54717/B
54720/B 984 Pages

ΠΑΝΤΑ. ΜΕΤΡΙΑ.



A. BRAUNE.

JOH. JACOBI WEPFERI,
Diverſ. S. Rom. Imp. Princ. & Reipubl. Scaphuſ. dum viveret, Archiatri Celeberr.

HISTORIA CICUTÆ AQUATICÆ,

Quâ non ſolùm

PLANTÆ hujus *VENENATÆ*
Structura naturalis, Vires & Operationes deleteriæ in Hominibus ac Brutis
Adcuratè deſcribuntur, ſciteq; explicantur:
Sed & aliorum quamplurimorum VENENORUM, inprimis
Cicutæ terreſtris,
Napelli, Coccularum, Nucis Vomicæ,
Hellebori albi, Jalappæ, Coronæ Imperialis,
Solani vulgaris ac furioſi,
Hyoſcyami, Amygdalarum amararum,
Antimonii denique, *Arſenici, Auripigmenti,*
& Mercurii,

Qualitates funeſtæ,
Inſtitutis experimentis collectisq; Obſervationibus, deteguntur, aperiuntur,
Tandemque *Methodus* illis *medendi* brevis additur.

Adjectæ ſunt ad Calcem Diſſertationes
De
THEE HELVETICO ac CYMBALARIA.

Curante
THEODORO ZVINGERO, Archiatr. Baſil.

BASILEÆ,
Ex Officina EPISCOPIANA, 1716.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO
PERILLUSTRI AMPLISSIMO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
JOHANNI CONRADO
LIBERO BARONI à **BRUNN**
DOMINO IN HAMMERSTEIN
SERENISS. PRINCIPIS ET ELECTORIS PALATINI CONSILIARIO INTIMO
ATQUE
ARCHIATRO PRIMARIO
PIO FELICI PRUDENTI
MECOENATI SUO
OMNI HONORIS ET OBSERVANTIÆ CULTU
PERPETIM VENERANDO
SALUTEM ET FELICITATEM
PERPETUAM.

PERILLUSTRIS ATQUE EXCELLENTISSIME VIR &c. &c.

TAmetſi in tam ſplendidâ adſpectabilis hujus Mundi Fabricâ exiſtant plurima, è quibus non exigua in Genus humanum utilitas, ſive ad Vitæ procurandam longævitatem, ſive ad conſervandam ſecundæ valetudinis perpetuitatem redundet, non pauca tamen etiam reperiuntur naturæ Hominum adeo inimica, ut magna ex illis noxa afferatur, ſicubi quis ea in uſum qualemcunque trahere voluerit. *Venena* hæc ſunt, tali particularum ſuarum acredine prædita, quâ quidem texturam noſtri corporis naturalem non leviter ſolùm alterare, ſed labefactare quoque plurimùm, imò penitus deſtruere apta ſunt. Hæc autem phænomena ſi mechanico modo, ſive per Mechanices regulas contingere dixero, haud arbitror me à veritatis ſemitâ aberrare; etenim particulæ Venenorum non tam quantulacunque mole, quàm acuminatâ figurâ ſuâ, angulis ſuis plus minus acutis, pungentibus aut ſcindentibus effectus ſuos deleterios in Corporis humani ſtructurâ producere

con-

conſueverunt. *Venenorum* autem *Species* differentes ſunt, quarum aliæ quidem in ſolidis, aliæ in fluidis, aliæ tandem in utriſque ejus partibus vim ſuam deleteriam exercent, atque ſyndromen accidentium excitant, prout magis vel minus ſubtilia illa fuerint. Hanc naturæ Venenorum diverſitatem præ cœteris nôrunt plures Itali, qui quidem illa tam ſcitè ac ſolerter præparare didicerunt, ut iiſdem non ſolùm Chirothecas, Induſia, Pileos, Togas, aliaque Indumenta perniciosè imbuant, ſed Epiſtolas quoque manuſcriptas nefandâ arte inficiant, ſicque earum apertores & perlectores in periculoſa Animi deliquia incidere faciant. Cujus rei memorabile exemplum nobis ante aliquot luſtra obſervare datum eſt in Viro quodam robuſtiſſimo, incolumitatis firmitudine nulli ſecundo, & ſanguineâ temperie prædito, qui ſcriptam quandam ab inimico Italo Epiſtolam cùm aperiret & legere cuperet, vel inter legendum animo tam graviter defecit, ut non niſi plurium hebdomadarum ſpatio, per efficaciſſima demum remedia quàm diligentiſſimè uſurpata, priſtinas recuperare vires potuerit, atque diu poſtmodum adhuc pallidus manſerit. Præſens equidem Tractatus hucusque *Titulum* præ ſe tulit *Cicutæ* ſolius *Aquaticæ*, conſcriptusque fuit occaſione multiplicis noxæ, quam inſipiens illius manducatio produxit, à Medico,

per totam Europam celebratiſſimo, Practico, ſi quis fuit unquam, judicioſiſſimo ac feliciſſimo, Dn. D. JOH. JACOBO WEPFERO, Archiatro dum vixit, non tantùm Reipublicæ Scaphuſianorum inclytæ, ſed & plurium S. R. Imp. Principum longè meritiſſimo, Patrono atque meorum ante pluſquam triginta annos Studiorum Promotore maximo. Præter illam tamen *Cicutam*, cujus effectus ſcitiſſimè ſunt explicati, plura quoque alia, tam vegetabilis quàm mineralis Regni Venena, horumque effecta obiter heic deſcripta invenies, ut Opus adeo hoc propemodum evaſerit in *Tractatum de Venenis* Univerſalem, in quo plurima Venenorum dicti utriuſque Regni phænomena, inſtitutis quamplurimis experimentis, panduntur. Quibus addere poſſumus funeſtum *Arſenici cryſtallini* effectum, ante aliquod tempus in Puello anniculo notatum, hic enim, cùm per integrum diem Ptiſanam è Decocto Seminis Aniſi & Cornu Cerv. uſti, per incuriam cum Arſenici Cryſtallini fruſtis permiſti, paratam bibiſſet, horrenda Tormina non ſine Abdominis inflatione, nauſeâ, & convulſionibus frequentibus bidui ſpatio paſſus, tandemque mortuus eſt, in cujus Cadavere deinceps aperto Ventriculum atque Inteſtina maximè inflammata ac ſiderata offendimus, ſimulque quintuplicem in Inteſtino Ileo ſubintrationem deprehendimus, quarum ſub-

intrationum minima digiti medii longitudinem ſuperabat: duæ etiam illarum à ſuperiore Inteſtini contignatione inferiora verſus, reliquæ tres autem ſuperiora verſus factæ conſpiciebantur; quod phænomenon inter rariſſima contingentia meritò numerandum eſſe cenſuimus. Prodit itaque Tractatus hic, qui diu quaſi ſepultus jacuit, in lucem denuo publicam, & quidem ornatiore pallio indutus, biniſque *Diſſertationibus*, quas quidem mei heic Diſcipuli, nunc Medicinæ Doctores, ſub manuductione meâ publicè ventilârunt, quasque Lectori non ingratas fore credideram, auctior redditus. Tuo autem Illuſtri Nomini Librum hunc dedicandum atque inſcribendum eſſe cenſui, non unam ob cauſam; primò enim Te Magni WEPFERI Generum eſſe, nemo non novit, ut vel hæreditario jure Tibi illum vendicare queas, qui hæres quoque evaſiſti omnium tanti Viri prærogativarum, Eruditionis, Experientiæ, Pietatis, Prudentiæ, Comitatis, atque cœterarum Virtutum; imò qui ad longè ſublimius adhuc felicitatis, dignitatis, & fortunarum Medicarum culmen res tuas evexiſti, ut vel Æſculapius in Te, vel Machaon aut Hippocrates reſuſcitatus videatur, cui certatim Imperatores, Reges, Principes, Comites, Magnaque Nobilium multitudo, ſuæ valetudinis curam incredibili fiduciâ hactenus committere haud cunctati ſint; ut mirum

hoc

eſſe nemini debeat, quòd non ſolùm immenſa Munera, Præmia, Soſtra, velut Torrentes in Te confluxerint, ſed & ingenti Tuo merito in *Illuſtriſſimorum* Claſſem *Baronum* fueris evectus. Quâ Felicitatis eminentiâ utut non gaudendi tantùm, ſed & ſuperbiendi anſam ſatis amplam nactus ſis, tantum abeſt tamen ut alios juxta Te deſpicias, Literarumq; ſtudia deponas, ut, quanto illarum amore adhuc tenearis, in lucem publicam edito nuperrimè Tractatu eruditiſſimo *de Glandulis Duod.* univerſo Orbi declaraveris. Itaq; tanto fidentius Illuſtr. Excell. tuæ Tractatum hunc inſcriptum volui, quòd ſpes mihi haud vana ſit, ſerenâ Te illum fronte admiſſurum, excepturumque eſſe; hoc autem ut facere digneris, ſubmiſsè rogo, Deum inſimul venerabundo animo precatus, ut Illuſtrem Perſonam tuam quam diutiſſimè porrò, ingenti Principum Virorum gaudio & ſolatio, Literati quoque Orbis commodo, ac Tuæ tandem Familiæ Illuſtr. ornamento, ſoſpitem & incolumem præſtare, ulterioreque proſperitatatum affluxu cumulatim beare velit. Ita vovet ex animo

Illuſtris Perſonæ Tuæ

Baſileæ D. 26.
Jun. 1715.

Addictiſſimus Cliens
THEODORUS ZVINGERUS.

Præfatio.

Ad Lectorem Benevolum.

PRimum paucæ pagellæ erant quæ de *Cicuta Aquatica* meditabar: verùm poſtquam convulſiones easque atrociſſimas à cicuta, propè omnium ore frigida, imprimis aquatica, & congelante excitari in animum inducere non poſſem, de ejus temperamento dubitare cœpi. Deinde cum animadvertiſſem convulſiones aſpectu terribiles & in Pueris eventu triſtes, non diu poſt radices comeſtas eveniſſe ac puellas, vomitu rejectis radicibus, plerasq;, imprimis Chriſtinam, brevi integre convaluiſſe, perſuadere mihi nequij è radicibus ſuccum in ventriculo elicitum, ſanguini confuſum & ad cerebrum delatum hos tumultus inſtituiſſe, cùm rejectis radicibus, vel aliqua menda in genere nervoſo permanſiſſet, cum ſemel hujus generis venenata cerebro communicata non tam cito deleantur aut evaneſcant: quod noſcunt illi quibus cum ☿rio & ♁nij fumo res

)( )(unquam

unquam fuit. Quomodo verò convulſiones univerſales, ſeu Epilepſia ſolummodo Ventriculo afflicto fieret, dici hæſit aqua: multivaria verſabam animo: tandem rem experimentis peragendam judicavi. Primum ex ſcriniis collegi, quæ pridem in brutis, ad vomitus & ſingultus generandi modum & rationem perſpiciendam, ſæpiùs tentaveram tum ſolus, tum cum *Nob. D. Joh. Conrado Peyero* Anatomico inſigni atque aliis Philiatris. Cùm hæc non ſufficere videbantur, alia ſuſcepi: ſingulorum tentaminum hiſtorias tum proprias, tum communicatas his inſerui, additis Scholiis, unde commentatiuncula in molem aliquam excrevit. Didici, citra ullum apparatum humorum, à ſolo venenato vegetabili, aut minerali intra ventriculum admiſſo, etiam antequam è pyloro ulterius pergeret, hujuſmodi tumultus concitatos fuiſſe, comperiq; venenata affligere acrimonia quadam ſeu aculeis, qualitate ſc. manifeſta & tactili, membranam nerveam, ſeu adæquatum tactus inſtrumentum atq; hanc ad corrugationem ſeu invitare ſeu ſollicitare fibras circulares & rectas ventriculi ac tandem univerſum genus nervoſum in conſenſum rapere. Acrimoniam nec acidam, nec

Alka-

Alkalicam, nec fixam, nec volatilem dixi, cum omnibus his inſit, ſi omnino ſalia vegetabilium fixa alkalia mera cenſenda ſint. Aculeis utpote inviſibilibus nullam certam figuram attribuere potui; ſint acuminati, ſint per me hamati: mihi ſufficiebat illos per tunicam cruſtaceam ad membranam nerveam, acus inſtar, penetraſſe, unde ſpicula quandoq; nominavi. Deprehendi quoque venena ſuam virulentiam exſeruiſſe citra ullam ſpirituum diſſipationem, corruptionem, aut alium depravandi modum & citra ſanguinis coagulationem, & ſi poſtea ſpirituum jactura ſupervenit, culpa proxima non tam veneno, ceu remotius in membranam agenti, quam diris & varij generis convulſionibus. Crebram mentionem facio Præſidis ſyſtematis nervoſi, quam per me cum Phyſicis peripateticis Animam ſenſitivam ſtatuere poteris. Alkalium & acidorum pugnam nullam obſervavi in ventriculo, quam vere talem dicere auſus fuiſſem: Vomitum muci ſpumei attribui conquaſſationi muci copioſi ab acrimonia venenatorum ex membranæ nerveæ vaſis eliciti, quæ ſequebatur conſtrictiones fibrarum ventriculi & ejus ſuccuſſiones in vomitu. Spuma copio-

ſa poſt obitum ex ore emanans, ut & abdominis inflatio ſequebantur putredinem Ariſtotelicam, aut particularum elementarium ſeu Ariſtotelicarum ſeu Chymicarum ſeparationem & ſeceſſum, vitali calore ceu cuſtode remoto. An his B. L. ſatisfacturus ſim dubito, cum nec dum mihi ſatisfecerim: ut rem hanc plurimis aliis experimentis decernendam putem nám monitore *divino Hippoc.* etiam ipſam Experientiam σφαλερὴν lubricam & fallacem, etiam in brutis tentatam, eſſe ultro fateor; at Agyrtis venena turpis lucri cauſa devorantibus omnino periculoſam ajo, ſpernant hæc alta ſupercilia: vocent crepundia, nugas, aut ſi quod vilius nomen excogitare poſſint, his laboribus impertiant: non me multum movebit, nec forte plus quam canis latratus afficiet. Id B.L. polliceri auſim hujusmodi exercitia in praxi medica non contemnendas utilitates oſtendere: & mihi ſæpiſſimè in rebus abſconditis non parvam lucem attuliſſe teſtor. Si qua in re hæſitent Philiatri, vel præcipuè hac methodo veritatem indagare poterunt idque ſine magnis ſumptibus, aut anxia ſollicitudine: ſæpè canes, quos Anatomicorum martyres vocant, Anatomæ vivæ deſtinant, ut Ventriculi, inteſtinorum,

ſtinorum,diaphragmatis,cordis motus,vaſa chylifera, lymphatica receptaculum chyli, ductum thoracicum & ſimilia videant; una eademq; opera cani ante ſectionem aliquid horum ingerere poterunt,votorum utrinq; compotes fient & ſæpè,quæ deſiderant, luculentius conſpicient: E.gr. fiat periculum *Nuce* vomica, detur primùm illa integra,quam quidam nullas convulſiones efficere ajunt,poſtea in fruſtula conciſa,aut limata; aut infundatur ejus eſſentia,vel ſi ſpiritus vini experimentum infidum reddere cogitetur , ejus extractum in juſculo ſolutum ingeratur,nam ſpiritum vini ex his quoq; ſpicula extrahere exiſtimo,cum illa ex cantharidibus eliciat,quorum Eſsētia quoque veſicas cuti impoſita excitat: Exhibeantur hæc cani vetulo, mediocris ætatis, aut lactanti, jejuno plenove ventriculo: obſervetur ſedulo numerus,ſeries & vehementia ſymptomatum: ſecetur canis vivus,aut ſtatim poſt mortem; inſpiciantur interna gulæ, ventriculi inteſtinorum: incidantur vaſa ſanguifera majora, dum adhuc calet, occurrent certè multa ad majora prælúceſcentia. Hic adjungi poſſent injectiones ex oleo & aqua tepida (quas non ſtudio,ſed otij & occaſionis de-

 fectu

ſectu omiſi) poſt primum vel ſecundum paroxyſmum epilepticum tentari, ut certo conſtet canes demulcentibus & vomitu à noxis hujus nucis devoratæ & noxæ vindicari poſſe. Ad injectiones per gulam in vētriculum quorumlibet liquorum Siphon æneus *Cl. D. de Graef*, adaptata cannulâ incurva, valdè commodus eſt, poſt quam ſemel dentes diducti fuerint, quod facilè manibus præſtatur, nec opus eſt vectibus quibus os apertum detineatur. Et hæc ſunt quæ præfari neceſſarium putavi.

Vale, Benevole Lector, & his meis conatibus fave porro, mecumque veritati litare annitere; qua in re nunc adjuvantes & ſuccenturiantes habeo Cl. D. Joh. Conradum Brunnerum Anatomicum, quod præ fiſcine dixerim, excellentem, Generum meum & Filium Joh. Conradum Med. Doct. qui quoque his ſtudiis delectatur. Iterum benè Vale.

Ad Celeberrimum Authorem,

Fautorem & Patronum Colendiſsimum.

H*ippocratem* miror, veneror quoque Scripta *Galeni*,
Fama, labor, laudes hinc utriusque placent.
Nec tamen hi ſoli mea ſunt hâc luce voluptas,
Quin magis admiror quæ nova mundus habet.
W*illiſium* taceo; ſileo quoque Scripta *Recentûm*,
W*epferum* ſtupeo mente manuque Sophum.

Hic

Hic cultro & manibus celebris, velut ipſe *Machaon*
Et ſi fata velint cras *Cous* alter erit.
Scripta *Viri* modò volve, ſagax hanc volve *Cicutam*
Lector, & à *nobis* non alienus eris.
Pandit virtutes, noxas & commoda *Plantæ*
Hujus, & in partes ſcindere ritè docet.
Toxica ne noceant, monſtrat, quò vita perennet,
Liber ut à morbis hic cluat *ipſe*, precor.

JOH. JACOBI HARDERI, Med. Doct.
& Philoſ. Prof. Baſ.

VIRO CELEBRATISSIMO
JOANNI JACOBO WEPFERO, Archiatro,
Ἰῷ πάνυ,
Cicuta Aquatica.

QVid mirum eſt, homini quòd diæ lumina vitæ
Diſturbo? lymphas turbat & ipſe meas;
Correptamque adeò malè cautus dente laceſſit.
Contrà ego, nam inſurgo, ut Cerberus atque draco
Tigride ſtipatus, nervos fibrasque revello,
Nempe, ne inulta cadam, tot Deus arma dedit.
Uro, caloris inops, manſa; & gelo, frigoris exſors:
Sphinx ego: WEPFERO *vindice digna ſatis.*

Cicuta nec arguta obnoxia ſanè ut innoxia.

Lucet. Pariſior. ad d. 3. Januar.
A. M. DC. LXXIX.

JOAN CVNRADI PEYERI, Med.
Schaffhuſa-Helvett.

Figura I.

A. *Caules ex radice tuberoſa partim terræ immerſa, partim extra terra protuberante emergentes.*

B. *Circuli radicem tuberoſam cingentes, cum ſcrobiculis, ex quibus radices minores & filamenta pridem emerſerunt & alicubi adhuc germinant.*

C. *Radices rotundæ, Hyoſcyami non abſimiles.*

D. *Filamenta copioſa, mire complicata, prolixam barbam candidam*

Figura II.

A. *Caulis.*

B. *Genicula caulium.*

C. *Involucra, membranea & herbacea, quibus folia includuntur antequam plenè prodeant, quamvis jam formata ſint cum ramis.*

D. *Folia cum ramo recenter emergentia.*

Figura III.

A. *Ramus à caule abſciſus.*

B. *Alæ ramorum cum foliis.*

Figura IV.

A. *Caulis.*

B. *Fiſſura tunicæ circa caulis genicula ex qua prodeunt rami frondoſi & pediculi umbellarum.*

C. *Rami.*

D. *Pediculi quibus ſuſtinentur umbellæ, florum & ſeminum feraces.*

E. *Umbella deciduis florum foliolis ſemina oſtendens.*

F. *Floris cum ſtaminibus delineatio ſeorſim ſed major quàm in planta conſpicitur.*

G. *Thecula ſeminum, itidem major quàm in planta videtur.*

Figura V.

Semina.

Figura I.



Fig, 11.



Fig. III.



Figura IV.



Figura V.



CICVTÆ AQVATICÆ
HISTORIA ET NOXÆ.

IN Landgraviatu Baar/ditionis *Illuſtriſsimorum Comitum Fürſtenbergicorum*, ad pedes Montium Sylvæ Nigræ,ſeu Hercyniæ,Orientem verſus,Planities longè latéque expanditur, Oppidis,Vicis,Paſcuis, imprimis origine Danubij nobilis : in qua quoque ſitus eſt Pagus, Almanshofium dictum vix quadrante Milliaris Germanici Doneſchinga,Arce ſplendida, Illuſtriſsimorum Dominorum Comitum ſede & Danubij fonte inclyta, diſtans,huicque meridiem verſus oppoſitus. Proxime pagum iſtum ſub colliculo declivi,in prato lætiſsimis paſcuis abundantiſsimo, Fons undis largis exoritur, & limpidiſsimo amne,flexuoſo itinere ſub arce Doneſchingenſi, in Bregam fluvium,ubi cum Briga flumine & Danubij rivo jungitur, ſe exonerat & cum utroque Danubij nomen induit. Ad ripas hujus Amnis atque alibi in pratis vicinis, aliâs herbis ſalutiferis, ſc. biſtorta, pimpinella ſanguiſorba Italica capitulo rubro prædita,ſucciſa,acetoſa aliisque refertiſsimis, ubi aquarum vivarum ſcaturigines (quarum plures hic reperi) exiſtunt, *Cicuta Aquatica* naſcitur, quam ob locum nativitatis & affinitatem ac ſimilitudinem maximam figuræ externæ & virium cum Ci-

cuta vera,hoc nomine inſigniendam exiſtimavi. In locis uliginoſis planitiei hujus ampliſsimæ,quæ Neidingam, ubi Monaſterium Monialium eſt, & ulterius in oppoſita Dannubij ripa, ad arcem Wartemberg & Guttmandingam ultra Milliare Germanicum extenditur,Cicutam hanc nuſpiam quamvis ſæpius hanc planitiem, quam ob uliginem Das Riet vocant, undiquaque tranſierim, inveni, nec Hortulanus Doneſchingenſis horum locorum & plantæ gnariſſimus unquam obſervavit: ac ſi ſolum aquis purioribus & limpidis gauderet, à ſtangnantibus vero & putridis abhorreret. *Cicutæ* hujus *aquaticæ* radix alia facie primo vere,poſtquam ſoluto gelu arva liqueſcunt,alia æſtate,cum lætius omnia virent,apparet; ſub finem enim hyemis atq; in veris principio Radix effoditur ῥαφανώδης, ſeu tuberoſa, nonnumquam palmam cum dimidia longa & uncias tres imò quatuor ſecundum diametrum craſſa; quandoq; brevior & gracilior: in ſuperficie videntur circuli ipſam ambientes, quorum in una radice nuncquinque, nunc ſex, nunc ſeptem, aliquando plures, aliquando pauciores numeravi; his circulis ſcrobiculi lentis, ſeminis milij, aut Capitelli acus capaces ſeriatim inſculpti ſunt, qui non pervij, ſed ſuperficiarij exiſtunt. Portio radicis hybernæ extra terram prominens atq; ei vicinior vireſcit,profundius terræ immerſa albicans eſt. Hâc ſecundum longitudinem divisâ caro candida, pulpoſa,Tuberibus terræ ſimilis conſpicitur atq; cellulæ quędam, inter circulos ſitæ occurrunt, aqua limpida plenæ, quæ à membrana pulpæ ſimili, ceu diaphragmate, invicem diſtinguuntur. Ex poris carnis pulpoſæ, maxime in ambitu, quæ corticis,licet non ſeparabilis,ut in rapis aut raphano, aut ſimilibus, exſudat liquor flavus, per noctem relictus ruféſcens & quaſi reſinoſus evadens, qui primum dulcis mihi videbatur, mox tamen linguam acrimonia quadam pupugit, ſed non tam durabili, nec tam mordaci, qua Arum linguam, fauces & palatum imbuere ſolet: odorem ſpirat ſimilem paſtinacæ ſilv. aut Hipposelini, ſed ut ego puta-

putaram, jam virulentiæ conſcius, magis nauſeabundum & horridum. Vere adultiore & Æſtate ad Autumnum uſque ex radicis tuberoſæ circulis ſeu Coronis, ut etiam ex reliquo Corpore hinc inde quædam radices oblongæ & geniculatæ, quædam rotundæ & glabræ prodeunt, ſimiles radicibus Hyoſciami; ambæ terræ profundius immerſæ, albæ, ſuperficiei propiores, virides; Craſſitie quædam parvi digiti, quædam graciliores; quædam duas Palmas longæ, quædam breviores. Inſuper tum imprimis ex Circulis corporis tuberoſi aliisque ejus partibus, tum ex radicibus glabris & geniculatis enaſcuntur Filamenta duabus palmis longiora, Craſſitie fili contorti, quandoq; graciliora, pilis aut ſetis vix craſſiora, quæ intermediis plurimis fibris, à ſe profectis mire intertexuntur & intricantur atque elota barbam prolixam & denſam albicantem, Venerandi canitie ſenis, referunt: horum filamentorum potior pars nuda omniſque terræ expers in amnem propendet, pars terræ vicinæ raræ & uliginoſæ infigitur, ex qua niſi vicini graminis radicibus implexæ ſint, ſine magna vi integræ evelluntur: in umbra detentæ aliquandiu, candorem amittunt atque ad flavedinem quandam vergunt. Non autem ſolummodo Radices majores hæc tria radicum genera emittunt, ſed etiam minores et vix nucem juglandem ſuperantes. Caro radicis tuberoſæ æſtate denſior & compactior eſt quam in vere, ſucculenta tamen pluſque humoris ex poris ſudans, ſed aquei, qui repoſitus flavior evadit, non autem rubicundior, aut glutinoſior, ut in vere quiete redditur. Eundem quoque liquorem ſtillant radices glabræ & geniculatæ, filamenta vero, ceu corpuſcula denſiora, firmiora & aridiora, poſtquam omnis aqua excuſſa fuit, nullum in minuta fruſtula conciſa liquorem præbent, quamvis acrius adverſo nidore, quàm cæteræ hujus plantæ partes, nares feriant. Caules ex radicis tuberoſæ ſummitate, & ſcrobiculis circulorum plures oriuntur; quidam etiam ex radicibus geniculatis propullulant; per has enim

nonſecus ac Arundines & Calamus Aromaticus, ſimilesve plantæ, Cicuta hæc ſe propagat.

Prope radices Caules & paulo altius emergentes aliquo usque albeſcunt & ſtriis rubris decorantur; in progreſſu vero uſque ad cacumina vireſcunt; Excreſcunt ad altitudinem duorum Cubitorum: imo æſtate 1672. altiores vidi: prope radicem tuberoſam craſſiores ſunt infantis brachio: Geniculati ſunt & quaſi corona circumdantur, geniculo uno ab altero plerunque dimidij cubiti longitudine, quandoque brevius diſtante. Ex quolibet geniculo, ſeu Corona, prodeunt Rami, qui circa ortum ſuum totum caulem ambiunt, ſed quoad tunicam exteriorem finduntutur, fiſtula ipſorum integra permanente, ut Cauli medio & alii ramo in oppoſito latere emergenti tranſitum concedant; quod etiam in Branca urſina aliisque ferulaceis videtur. Ramorum cauliculi digito parvo quidam craſſiores, quidam graciliores ſunt: hi in alios minores ſubdividuntur, quorum quilibet ſeptem Alis præditus eſt. Alarum quælibet tria, quinque vel ſeptem Folia obtinet, ut Cicutam hanc verè frondoſam appellare liceat. Foliorum quædam duabus unciis longiora ſunt, profunde inciſa, in extremitate acuminata, non ſecus ac Cicutæ & petroſelini, levia, virentia, minus tamen obſcura Cicutæ foliis, & magis tenera quàm petroſelini adultioris exiſtunt. Flores in umbellam collecti in ſummitate caulium & ramorum quorundam, jam Menſe Majo prodeunt & adhuc conſpiciuntur tota æſtate & circa finem autumni: nimirum in Cacumine caulium & ramorum quorundam recta ſurſum ſcandunt pediculi palmares, duodecim, ſedecim, etiam octodecim; quilibet illorum in petiolos graciles & vix unciales ſubdividitur, quos prope pediculum filamenta viridia herbacea cingunt & in illorum ſummitate excreſcunt flores albi, compoſiti ex foliolis minutis albis cordis figuram habentibus & ſtaminulis quatuor vel quinque, in apice globulum acus parvæ capitelli magnitudinem obtinentibus. Floribus decedentibus, in cujuſlibet floris

loco

loco Semina duo ſibi oppoſita enaſcuntur, magnitudine & figura ſemini petroſelini non abſimilia; quæ hactenus ſemper viridia vidi. Caules & Rami rotundi & fiſtuloſi uſque ad pediculos exiſtunt, exceptis locis ubi geniculati ſunt: intus albi & tomentoſi. Intra quorundam caulium cavitatem integram nullibique hiantem aliquando inveni alios Cauliculos jam foliis, ſed in glomerem coactis præditos. Caulibus & ramis per medium ſectis liquor aqueus quoque exſudat, qui poſtea in lentum & ſubflavum mutatur. In caulibus quibuſdam majoribus, ſeu vento, ſeu alia cauſa violenta fractis, vidi ex vulnere gluten quoddam, inſtar gelatinæ pellucidum, puriſſimum & albicans, nucis Juglandis magnitudine pendere, quod tenax & viſcidum digitis adhærebat, ut in fila trahi potuerit, guſtu primum inſipidum & aqueum, at paulo poſt linguam, ſed non diu mordebat. Cicutæ hujus caules hyeme circa radices putreſcunt ac decidunt, novique ex illa non profundè terræ raræ & uliginoſæ ad ripas amnis inhærente, appropinquante Vere, regenerantur.

Cum circa finem Martij 1670. Jumenta aquatum è pago ad fontem ducerentur, ripas amnis calcando radices Cicutæ hujus, cauliculis cum foliorum germine jam protuberantibus, in apricum produxerunt. Tunc temporis Pueri duo & ſex Puellæ paulò ante meridiem ad fontem & pratum, per quod amnis prælabitur, excurrerunt, & conſpecta radice non maleſuadæ famis Juſſu, ſed petulantis luxuriæ imperio, rati paſtinacam luteam eſſe, de illa avide comederunt, & quædam Puellæ ex illis radicem cæteris à dulcedine & ſuavitate commendarunt, unde imprimis Pueri largius illam devorarunt, & læti domum properarunt: unaque ex Puellis Matri lachrymabunda querebatur ſibi à ſociis avarius radicem ſuppeditatam fuiſſe.

Jacobus Mæder, puer ſex annorum, capillis albis præditus, tener, vegetus tamen, domum rediit hilaris ac ſubridens, quaſi re bene geſta; paulo poſt conquerebatur de præcordiorum dolo-

re, & vix verbum effatus, humi proſtratus urinam magno impetu ad Viri altitudinem eminxit; mox terribili aſpectu, cum omnium ſenſuum abolitione convulſus fuit, os arctiſſime clauſit, ut nulla arte aperiri valuerit, dentibus ſtridebat, oculos mire diſtorquebat, ſanguis ex auribus promanabat: circa præcordia tumidum quoddam Corpus pugni virilis magnitudine Patris afflicti manum & miſerandi Pueri præcordia, maxime circa Cartilaginem enſiformem, validiſſime feriebat: ſingultiebat crebro; Vomiturus quandoque videbatur, nihil tamen ore arctiſſime clauſo ejicere valuit: artus mire jactabat & torquebat, ſæpius caput retrorſum abripiebatur, totumque dorſum incurvabatur in arcum, ut puellus ſubtus per ſpatium inter dorſum & ſtratum inoffenſe repere potuiſſet. Ceſſantibus convulſionibus per momentum matris opem imploravit: mox pari ferocia illis redeuntibus nulla vellicatione, nulla acclamatione, nullove alio ingenio excitari poterat, donec viribus deficientibus expalluit & manu pectori admota exſpiravit. Durarunt hæc Symptomata vix ultra horam dimidiam. Poſt obitum imprimis abdomen & facies intumuerunt abſque livore, niſi pauco circa oculos conſpicuo. Ex ore cadaveris uſque ad horam ſepulturæ ſpuma viridis largiſſime emanavit & quamvis ſæpiùs à Patre mœſtiſſimo deterſa fuiſſet, mox tamen nova ſuccedebat.

Catharina Mæderin, Jacobi Soror adultior, poſtquam Frater convelli cæpit, ad Patrem non procul à pago arantem properavit fratrisque infortunium indicavit ac Patrem domum feſtinantem concitato curſu ſequuta eſt. Poſt Fratris obitum poſt fornacem ſedens & ipſa ſe male habere querebatur. Vix dimidia hora elapſa manipulum integrum radicum devoratarum evomuit: mox Epilepſia vera corripiebatur cum ſenſuum omnium abolitione & terrifica capitis, artuum & totius trunci ſucuſſione & torſione. Pater ipſi os clave effregit & Theriacam Venet. aceto ſolutam infudit, unde iterum manipulum harum

radi-

radicum evomuit. Poſtea horis 24. ceu mortua in lecto jacuit brachiis compoſitis & pedibus quietis ; dentibus tamen ſubinde ſtridebat, ſubinde quoque inclamabat Matrem ; quando vero Mater reſponſum dederat, aut ipſam alias alloquebatur, Puella conticuit, nec audire videbatur : Novem horis Puellam plane emortuam Parentes crediderant, facies enim cadaveroſa & reſpiratio ipſorum opinione inſenſilis erant, extremaque frigebant : Jmò Parentes adhuc dum illam vere mortuam opinantur & vitam ſe Voto nuncupato debere perſuaſæ ſunt. Poſt horas 24. ad mentem rediit : at diu ob linguam morſu vulneratam commode nequiit edere : diuque de præcordiorum dolore querebatur : obambulavit quidem ſed per quatriduum delaſſata. Nunc bene valet ; nullaque labes in Viſu, quamvis convulſiones oculos graviter torſerint & propemodum extra orbitam expulerint, nec in auditu animadvertitur. Eſt Carnoſa, vegeta nec quicquam imbecillitatis in hunc uſque diem paſſa eſt, ac ſi nunquam de radicibus iſtis comediſſet.

Maria Mæderin, annorum duorum cum dimidio comedit quoque de radicibus, ſed parciore manu : itidem Epilepſiâ corripiebatur, ſed non tam atroci ac Frater & Soror. Pater ipſam ulnis geſtans à tumore intra præcordia ſenſit magna vi, ceu à pugno, diaphragma percuti, unde ſingultiit, ejulavit, facies erubuit ; mox os ſtrinxit, artus jactavit ſenſusque amiſit. Vi ore aperto & Theriaca aceto ſoluta ingeſta, manipulum dimidium harum radicum evomuit. Intra horas octo penitus convaluit : die ſequente obambulavit, comeditque, Carnoſa & robuſta eſt, nec quicquam adverſi hactenus paſſa eſt.

Matthias Graff/puer annorum octo, Jacobo Mædero ad extremum uſque halitum adſtitit ac ſe quoque radices comediſſe jactavit, nec tamen quicquam incomodi inde ſe ſentire gloriabatur. Poſtquam vita defunctum ſocium vidit, domum ſuam abiit ; antequam paternas ædes attigerat, ſuper lapidem

ſedere

ſedere præ quadam vertigine cogebatur: vix ſubſidit, pronus in faciem ruit: ſine ullius ope ſurrexit & ceu temulentus domum properavit ac in ſcamnum prope fornacem decubuit; mox inde à motibus convulſivis in pavimentum hypocauſti, diſtantia paſſus, præcipitatus fuit. Iterum ſurrexit atque per aliquot paſſus vacillante greſſu incedit & poſt menſam ſcamno incubuit, inde rurſus ſubtus menſam dejectus fuit: protractus terribiliter convellebatur, cum arctiſſima dentium conſtrictione: Imprimis aſpectu horribilis erat ὀπισθότονος; dum cultri manubrio quidam aſtantium dentes diducere conabatur, aliquot dentium fracti fuerunt: infuſam Theriacam aceto ſolutam ob gulam pertinaciſſime occluſam deglutire nequiit. Corpus intra præcordia tumidum vehementiſsimè & validiſsime diaphragma percuſsit, ut à manu Viri robuſti nec reprimi nec impediri potuerit, cum ſingultu quodam ſonoro. Paroxyſmus iſte Epilepticus tanta violentia ad dimidiam horam, ſine ullis induciis continuabatur: nihil neque per vomitum, aut ſeceſſum excrevit, neque eminxit, donec viribus exhauſtis exſpiravit. Poſt obitum abdomen & totus habitus intumuit ut veſtibus exui nequierit: ſpuma viridis larga ex ore indeſinenter emanavit, donec terræ credebatur. Facies circa oculos liveſcebat: in reliquo corpore, præter inflationem nihil obſervabatur.

Chriſtina Gräſin Soror, annorum novem, de radice quoque, ſed parce comedit; quod primum negaverat. Ad veſperam uſque nihil mali paſſa eſt: nocte ingruente poſt fornacem ſedens ſibi ægre fieri & cadendum eſſe dicebat & radices ſe quoque devoraſſe fatebatur, indeque circa præcordia dolere cum ſenſu punctionis & ardoris ibidem: poſtea convellebatur. Pater harum calamitatum ignarus opportune veſperi domum rediens foliaque Tabacci minutim conciſa in promptu habens, quantum duo acetabula fiſtulæ, qua ejus fumus hauritur, capiunt, aquæ fontanæ permiſcuit ac dentibus vi deductis Puellæ

infudit,

infudit, unde liquorem infuſum cum radicibus mox violentiſſime evomuit: in lectum repoſita quievit, poſt breviſſimam quietem eſuriit, cibum petiit ſibique bene eſſe dixit: attamen pater radicum reliquias ſupereſſe ſuſpicatus, cibum denegavit: interea verò eandem doſin foliorum Tabacci aquæ fervidæ per horam dimidiam infudit & colatum liquorem ebibendum porrexit, unde iterum non ſine violentia mucum & bilem ſine ullis radicum reliquiis evomuit, jejuna tota nocte dormivit, mane læta ſurrexit, obambulavit & hucuſque ſaniſsima vixit.

Martini Mülleri Filia & *Georgij Maureri duæ Filiæ*, gemellæ annorum quinque de his radicibus quoque comederunt, ſed parca manu. Tres iſtæ Epilepſiam, ſed mitiorem paſſæ ſunt. Data Theriaca in aceto ſoluta omnes vomuerunt & brevi penitus convaluerunt.

Catharina Weberin & *Georgij Maureri Filia* tredecim annorum die 29. Auguſt. 1671. narrarunt mihi ſe quoque has radices deguſtaſſe, ſed ſine noxa, quæ alicujus momenti eſſet. Incolæ Pagi iſtius retulerunt mihi nec Equos nec jumenta Cicutam aquaticam frondentem attingere, nec ſiccata veſci illamque illibatam in præſepi linquere, niſi ſumma fame ad comedendum adigantur. Ante aliquot annos magnam porcorum jacturam fecerunt, cauſæ ignari; nunc omnem culpam huic radici deferunt, quamobrem poſtquam ipſis virulentia ejus ex puerorum pernicie innotuit, undiquaque illam exſtirpant, ut jam rarior occurrat.

COMMENTARII.

CAPUT I.

DAnubius nobilitate & celebritate non ultimus eſt inter flumina totius Orbis terreſtris, cujus quoque mentionem fa-

ciunt antiquiſſimi Scriptores, inter quos eſt *Herodotus*, qui in *Euterpe*, poſtquam de Nilo, ejus incremento & fonte dubio multis diſſeruiſſet, Danubium quoque ſeu Iſtrum memorat, ejus originem, progreſſum & effluxum in pontum Euxinum recenſet atque aliquomodo Nilo, omnium ſcriptis decantatiſſimo, aſſimilat: cujus verba apponi merentur: Νεῖλος τῷ Ἴστρῳ ἐκ τῶν ἴσων μέτρων ὁρμᾶται. Ἴστρος γὰρ ποταμὸς ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρρήνης πόλιος ῥέει, μέσην σχίζων τὴν Εὐρώπην: οἱ δὲ Κελτοὶ εἰσὶ ἔξω Ἡρακληίων στηλέων, ὁμουρέουσι σε Κυνισίοισι, οἳ ἔσχατοι πρὸς δυσμέων οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ κατοικημένων. Τελευτᾷ δὲ ὁ Ἴστρος ἐς θάλασσαν τὴν τοῦ Εὐξείνου πόντου διὰ πάσης Εὐρώπης. Paulo poſt addit: ὁ μὲν δὲ Ἴστρος πρὸς πολλῶν γινώσκεται ῥέει γὰρ διὰ οἰκεομένης; περὶ δὲ τῶν τοῦ Νείλου πηγέων οὐδεὶς ἔχει λέγειν, ἀοίκητός τε γάρ ἐστι καὶ ἔρημος ἡ Λιβύη. δι᾽ ἧς ῥέει. His quidem Herodotus fontem Danubij præ multis cognitum, cum per loca habitata fluat, aſſerit, verum dum ab extrema Hiſpania illum derivat ac mediam Europam ſcindere ſcribit, nimium hallucinatur atque ob hunc errorem graviter à Geographis vapulat cum *Ariſtotele*, *qui Meteorolog. l.1. c.13.* Πυρήνης ὄρου quidem loco Πυρρήνης πόλιος ſubſtituit, cætera tamen cum *Herodoto* conſentit & ex illo hanc opinionem ſuis inſeruiſſe videtur. His medelam afferre conatur *Dalechamp. in notis ad Plin. H.N. l.4. cap.13.* dum Πρυγήνης χώρας loco πόλιος aut ὄρου legendum putat, non ſine aliqua veriſimilitudine; cum n. Danubij fons, qui hodie in arce Doneſchinganâ indubie eſſe creditur, ſubinde à calore æſtivo aliasve ob cauſas exareſcat nullusque rivus ad Brigam vicinam, quæ prope Arcem hanc Danubij nomen induit, manaſſe obſervatus fuerit, (ut ipſemet factum memini & aliquoties quoque id eveniſſe Nobiliſſimus Dominus *Joh. Fridericus Plejerus de Ramſteinvveiler* per plures annos Aulæ ibidem Præfectus, recordatur; quodque Accolæ uni ex Illuſtriſſima Familia Fürſtenbergica ominoſum & mortis prænuntium ſuperſtitioſe credunt) non mirum eſt hominem exterum altius fontem Danubij, ſcili-

cet

cet à montibus Brigæis & Bregæis repetiiſſe, cum ambo amnes divitibus undis ad hanc arcem accedant ac demum ibidem hodie nomen Danubij ſuſcipiant. Neutiquam tamen hoc comēnto *Herodoti* & *Ariſtotelis* errata, ex reliquo contextu nimium palpabilia, eludet. Rectius *Accorambonus in Vera Mente Ariſtotelis ad Libr. Meteorolog. p.m. 477.* utrumque excuſat dum errori non patrocinatur ac tunc temporis Geographiam non excultam & hæc loca Septemtrionalia Græcis ignota fuiſſe, ingenuè fatetur. Inter Latinos antiquos plures quoque Danubium memorant, ex multis paucos allego: *Plin. H. N. l. 4. cap. 12. Ortus Iſter in Germaniæ jugis Montis Abnobæ, ex adverſo Raurici Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus ac per innumeras lapſus Gentes Danubij nomine, immenſo aquarum auctu & unde primum Illyricum alluit, Iſter appellatus, ſexaginta amnibus receptis, medio fere numero eorum navigabili, in Pontum vaſtis ſex fluminibus evolvitur. Tacitus de Morib. Germanor. Danubius molli & clemente edito montis Abnobæ jugo effuſus, plures Populos adit, donec in Ponticum mare ſex meatibus erumpit, ſeptimum enim os paludibus hauritur.* Utrunque proxime veritatem de ſcaturigine Danubij attigiſſe, norunt illi, quibus hæc Regio perſpecta eſt: vereque hic reperiuntur mollia & clementer edita juga, quibus ob declivem ſitum ex corrupto nomine Germanico diu ab novo merito nomen à Romanis Abnobæ attributum fuit: hæc abundant fontibus, qui divite unda manant, qualis imprimis ille eſt qui in Arce Doneſchingana ſcaturit, ut & alter qui prope Almanshofium oritur, quibus non cedit tertius qui longe latéque patentem piſcinam Doneſchinganam implet, quorum omnium ſociatæ undæ cum Briga & Brega Flumen prope arcem Doneſchinganam conſtituunt inſigne Danubij nomine. Quoniam Danubius placidiſſima unda, nullo modo impetuoſe, ut *Herodotus* & *Mercator* ſcribebant, per planitiem luculentam defluit, *Beat. Rhenan. Stumfius Chronic. Helv. l. 5. cap. 38. Münſter. Coſmogr. l. 5. cap. 9.* aliique

B 2 puta-

putarunt à loci conditione Danubium nomen obtinuiſſe: videlicet ex Germanico die eben ovo, eliſis aliquot literis Danovo enatum fuiſſe. In illo autem minùs accuratus *Plinius* fuiſſe videtur quod multis ultra Alpes millibus ex adverſo oppidi Raurici oriri Danubium opinatur, nam comodiſsime triduano itinere ad Alpes Helveticas quæ Germaniam & Italiam dirimunt pervenitur: Rauraca vero regio ad minimum novem milliaribus Germanicis à Fonte Danubij diſtat. Vere Danubius progenies eſt montoſæ regionis quam hodie Sylvam nigram, quidam Hercyniam, Veteres Martianam appellant: cumque ab aliquot annis ſæpe hæc loca acceſſerim, multaque notatu digna obſervarim, liceat aliquantum evagari & quædam memorare, quæ alios, quibus otium eſt, exſtimulent ad accuratiorem ejus Chorographiam concinnandam. Primùm namque plurimorum amnium & fluviorum ſcaturigines quaquaverſum occurrunt: ex multis paucos nomino, Wiſam, Alpam, Wuttam, qui omnes in Monte Feldtberg oriuntur: hic inter altiſsimos totius Sylvæ Hercyniæ eſt & alicubi in multam æſtatem nive operitur, quod etiam hoc anno fiebat, nam Menſe Julio parte qua Septemtrionem ſpectat, amplo ſpatio nive adhuc tegebatur: alicubi ſcaturiunt Nicer, Kinzinga, Natrix: alia flumina & amnes alibi. Amnes & fluvij iſti vel Danubio vel Rheno ſociantur: qui Rhenum petunt, ex jugis altiſsimis magno ſtrepitu præcipitati per Valles profundas plerique decurrunt; qui vero Danubio junguntur per decliviora loca placide manant. Aliquot in locis, vel ſola manu, fontium aquæ dirigi poſſunt, ut fluviis miſceantur, qui vel Danubium vel Rhenum adeunt. Prope pagum Furtvvangen in cacumine montis fons dives undis & aliquot molendinis verſandis ſufficiens ſcaturit, quem Colonus levi opera vel in Rhenum vel in Danubium derivare poteſt: Bregam vocant; qui nomen poſtea impertit fluvio illi, qui prope Arcem Doneſchinganam Danubio confuſus ejus incrementa juvat. Prope Blombergam



Donaü=Strand
DONAU ESCHINGEN
Furtwangen
S. Georg
Peterzell
Munchweiler
Rotweil
Dreifaltigberg
Speichingen
Ferenbach
Schwartz Wald
Villingen
Schwaningen
Fons Nitri
Dislingen
Hochr.
Emingen
Efingen
Hohen Karpen
Dutlingen
Donesching er Weyer
Heidhofen
Assen
Die
Meringen
Amtenhausen
Imedingen
Marpon
Kengen
Grun ingen
Wartenberg
Geysingen
Weyrbach
Ufen
Wilterding
Brege
Don-fl.
Eschingen
Danuby
Pforn
Gutendingen
Neidingen
Donau fl.
Mistelbrun
Bruckell
Wald
Hausenhofen
Almanshofen
Brunbach
Sumpforn
Fürstenberg
Rietberingen
Blomberg
Hüfingen
Bellen
Bar
Mundelfingen
Brege fl
Hausen vor Wald
Honberg
Leisferding
Rietehingen

gam fontium rivuli vel in Wuttaquam, vel in Natricem; prope pagum Munchvvyler & Martinsvvyler vel in Brigam vel in Kinzingam vel ad Nicrum facile deducuntur, atque Rheno aut Danubio nunc adduntur, nunc ſubtrahuntur. Quinetiam domorum quarundam dorſis montium impoſitarum ſtillicidia rivulis miſcentur, qui ad Rhenum aut Danubium properant, quod imprimis videtur in Hoſpitio, quod frigidum vocant, ob Gallum profugum frigore ibidem enectum. Præterea Lacus plurimos hinc inde, etiam in montium cacuminibus obvios, & Lacunas ac loca paludoſa plerorumque montium ſumitates occupantia. Omnes lacus, rivuli & flumina per univerſam Sylvam Hercyniam piſciferi ſunt & imprimis Truttis abundant. Deinde per univerſam Sylvam hanc Martianam ſolum arenoſum & plerunque rubrum eſt, quod pluviis aliterve madefactum neutiquam tenax & glutinoſum redditur nec ad tegulas aut vaſa figulina idoneum eſt: quin etiam lapides duriſsimi ſunt, qui nec ad ſtrues ædium commode adaptari, nec in calcem comburi valent: fortiſsimo enim igne in arenam ſolvuntur. Circa Monaſterium S. Blaſij lapides plurimi occurrunt, in quorum ſuperficie ſolis radiis expoſita rubedo cinnabarina efflorescit, quæ attrita odorem violaceum ſpirat, eoque lintea affricta imbuit. Utcunque autem terra ubique arenoſa ſit, nihilominus tamen fertiliſsima eſt: abundat lætiſsimis paſcuis: profert arbores, frutices, herbasque varij generis. d.16. Jul.1674. cum *Reverendiſsimo Domino D. Romano, Abbate Monaſterij S. Blaſij optime merito & literatorum Mecœnate* montem Feldbergicum conſcendi: ſumum quidem cacumen arboribus & fruticibus deſtituebatur; verum planities, per aliquot jugera expanſa, conſita erat imprimis gentiana, tormentilla, doronico altero plantaginis folio *Bauhini*, quod *Tabernamont. Herb. l.2.c.23.* Chaltam Alpinam vocat, aliisq; vulgo obviis: in locis declivioribus inveni Napellum, Aconitum lycoctonum, Cacalium I. tomentoſam Bauhin. circa fontem Alpæ gratiolum; paulo infra

B 3 fontem

fontem Rhaponticum IV. Bauhin. Cæterum alibi vix locus tam aſper eſt quin cultus abunde proferat Avenam & ſecalem aliasque herbas eſculentas. Sponte *Meum* plurimis in pratis naſcitur. Alicubi reperij quoque Helleborum album, Cytiſum, coronillam Roman. Cervariam albam & nigram, trifolium fibrinum; Myrtillos rubros & nigros. Geniſta plurimos colles inveſtit. *Seſeli Aethiopicum* copioſe reperitur prope Monaſterium Amptenhauſen, ab aula *Rudolfi I. Imperatoris* celebre. In locis declivioribus & in convallibus omnis generis arbores frugiferæ, frutices, etiam Vites & Frumenta, quæ in locis cultiſsimis proveniunt, inveniuntur: adeo ut ad divitias Sylvæ nigræ co̅mendandas & locorum aſperitatem demulcendam meminerim opſoniorum loco in Monaſterio S. Blaſij tempore autumnali uvas, poma, pyra fraga & ceraſa recentia bene matura menſæ appoſita fuiſſe, denique ſuppeditat mineralia, ferrum ſcil. plumbum, cuprum, Argentum: olim in valle Todtnovv aurifodinas quoque fuiſſe ajunt. Alicubi quoque effoditur Antimonium. Non ita pridem Amethyſti in Valle Eiſenbach abunde eruebantur: alibi agri lapide Lynceo & Ophiogloſſo petræo conſperguntur: Prope Evvattingam Hæmatites ſciſsilis & Cryſtallum ſexangulum reperitur; & hujus ſortis plura alia. Pomœriis Sylvæ Hercyniæ includendæ quoque ſunt Thermæ ferinæ, Acidulæ Deinaccenſes ad morbos Melancholicos expugnandos inclytæ, Ripplıſavienſes, Griesbaccenſes; ſalſulæ Sulzenſes. Animalium hanc ſylvam incolentium ſeriem ut Aquilarum diverſarum, Falconum, Urogallorum, Urſorum, cervorum aliorumve recenſere ſuperſedeo.

CAPUT II.

C*Icutæ* famam auxerunt Athenienſes Philoſophorum non contemptores modo, verum etiam hoſtes, ſucco ejus ad mor-

mortem in publicis Judiciis utentes, ut ſuo damno vel Socrates teſtari poteſt, quem ad Cicutam hauriendam compulerunt. Alioquin indigna erat herba, quæ in omnium Poëtarum carminibus & ſapientum Commentariis inveniretur, ut ſcribit *Johan. Bauhin. Hiſtor. Plantar. Univerſal. Tom. III. l. 27. c. 74.* Verum cum Medicorum officium ſit, tum ut omni ſtudio incumbant ad Cauſas morborum noſcendas, ut evitentur nondum admiſſæ, tum ut felicius expugnentur jam in corpus noſtrum ſævientes, non inutile erit hanc Cicutæ aquaticæ hiſtoriam explicare. *Cl. Caſpar. Bauhin. in Pinac. l. 4. ſ. 5. p. m. 161.* tres Cicutarias Aquaticas tradit. IV. Paluſtrem latifoliam albam. V. Latifoliam rubram. VI. Tenuifoliam, ſeu Cicutam Aquaticam *Geſneri*, quæ noſtra eſſe videtur: nam ejus deſcriptio, quæ apud *Joh. Bauhin. l. c.* ſub finem *c. 73. p. m. 175.* exſtat optimè noſtræ quadrat: niſi quod unius radicis fibris compluribus capillatæ meminit; forte imum trunci radicem eſſe non credidit, aut unam radicem præcipuæ magnitudinis ſc. pollicaris memorare voluit; Cæteras capillamentis annumeravit; quamvis plures inter illas parvi digiti magnitudine quoque viderim: reliqua quæ de ſucco rufeſcente ex vulnerata non ſolum radice, ſed etiam caule exſudante item de umbella & floribus, foliis atque caule addit *Geſnerus* omnino cum noſtra congruunt. Addit *Cl. Geſner.* circa paludes & in paludum marginibus ſponte oriri, ut ad Lacum felium Agri Tigurini. *Cl. D. Heinr. Screta* illam quoque ad marginem Lacus Büningani in vicinia noſtra invenit. *Lobel. ſtirpium Adverſ. nov. p. m. 326.* hanc deſcribit ſub nomine *Oenantes Cicutæ facie ſucco viroſo crocante*: hanc non admodum notam, niſi in Borealibus Angliæ, erumpere rivulis, lutulentiſve & riguis ripis, multo pullulatu, virore tetro, colore & facie Cicutæ: Caules bicubitales ſpargere ex radice in pares Aſphodeli albi bulbos multiplicata & quaſi brachiata, nullius fibræ vinculo aut interventu continuos, teneros; guſtu acres & ingratos, ſucco pri-

co pri-

co primum lacteo, deinde flaveſcente viroſo & exulcerante prægnantes: umbellam cicutæ affinem autumare illos, qui maleficio parem experti ſint. Addit hanc tam non eſſe Oenanthen, quam ab ea diſtet Ruta pratenſis & Cicuta; imo illos non Medicos audituros, qui illam in Iſchuria, ſecundinis tardantibus, in Epilepſia aut vertigine propinaturi eſſent; in quibus affectibus tamen Filipendula ſeu Oenante creberrimis experimentis commode detur. In hac deſcriptione radicem brachiatam & in bulbos multiplicatam Cicutæ aquaticæ videri, bulboſque & Caules radici nullius fibræ vinculo aut interventu continuos eſſe, vere monet; attamen illam nulla capillamenta emittere falſum eſt atque ipſamet figura à Lobelio appoſita contrarium evincit, nam hæc, licet pauca & rara, forte ut bulbi magis conſpicui ſint, in illa manifeſte exprimuntur. Apud *Dodon.Pempt.IV.L.5. cap.10. ſium 2. & c. 12.* Phellandrium, ſii tertia ſpecies deſcribuntur, quæ forte aliquam, quoad externam figuram, affinitatem cum Cicuta aquatica habent, non tamen in omnibus conveniunt, & falſo intra Synonymas apud *Johan Bauhin. l. c.* numerantur; niſi forte plantas has imperfecte deſcriptas, minus fideliter pictas & quoad illarum vires minus exploratas à *Dodonæo.* Viro alias diligentiſſimo, fuiſſe velimus. *Tabernæmontan. Herbar. l.2.ſ.11. cap.65.p.m.464.* præter nomen & figuram de hac Cicuta, nihil tradit: nec figura recte Cicutam hanc exprimere videtur; caulem enim ſtriatum exhibet, atque omittuntur radices bulbis Aſphodeli pares ex geniculis ſeu circulis radicis majoris enaſcentes. Forte etiam Radix Cicutæ aquaticæ fuit, quæ ad Hydromolam quandam prope Hafniam, quibusdam lethifera fuit; *Exc. D.Simon.Paul.Quadripart.Claſſ.3. de Cicut.p.263.* nam radix bulboſa erat & cultro in orbiculos aut taleolas ſcindebatur, quod magis aquaticæ, imprimis primo Vere, quam com̃uni convenit. Nullus dubito hanc plantam forſitan aliis quoq; innotuiſſe ac alibi quoq; deſcriptam extare: verum hæc huc cumulaſſe ſufficiant.

CAPUT

CAPUT III.

Κώνειον eſt *Dioſcor. Mater. Med. l.4. cap. 79.* φθαρτικὸν κατὰ ψύξιν ἀναιρῦν: ſeu Cicuta eſt Venenum ſecundum, vel cum, vel propter frigus enecans. Hoc *Dioſcoridis* de Cicuta effatum, anſam dediſſe videtur Medicis & Philoſophis quam plurimis, ut citra ulteriorem indaginem ejus Temperamentum frigidum ſtatuerint. *Galenus*, qui plurima Dioſcoridis inſeruit ſuis, *de Simpl. Med. Fac. l.3. c.6.* audacter ſcribit, neminem Cicutam calidam dicere, ſed velut uno ore omnes illam frigidam pronunciare: quod repetit *l.7. de Med. Simpl. Facult. l.3. de Simpl. Med. Fac.* frigidiſsimam & *l.4. de Med. Simpl. Fac. ſummè nos refrigerantem & interimentem* dicit, ac *corpus ejus potu frigeſcere L. Quod animi mores corporis temperaturam ſequantur c.3.* ait. *Libr.5. de Med. S.F. c.19.* ab ipſo frigida & humida creditur, ideo *l.1. de Temperam.* cum lactuca, mandragora & papavere Cicuta enumeratur, & *lib.7. de Comp. Med. Sec. Loc.* cum decocto Cicutæ ex Opio, Myrrh. Sem. Hyoſciam. pilulas ervi magnitudine parat, quarum duas exhibet ante ſomnum, contra deſtillationes, procul dubio acres & tenues ac contra vocem interceptam. *de Remed. facile Parabil.* Cicutæ ejusque ſemini vim adſtringendi & repellendi tribuit, ideoque frontalibus in opthalmia dolorifica admiſcet: & *l.7. de Comp. Med. Sec. Loc.* tribus medicamentis contra ſputum ſanguinis ſemen Cicutæ permiſcet, ſubjungens opium, hyoſciamum & ſem. Cicutæ maxime apta eſſe iis qui à tuſſi aut alias lancinentur; etiam omnibus ſanguinem quomodocunque reijcientibus convenire. *l.10. de Comp. Med. S. Loc.* paſtillis contra Veſicæ ulcera immiſcet. Hæc de Cicutæ temperamento *Galenus* tot in locis nudè, citra argumentorum ſeriem aut robur aliquod aſſerit, ac ſi ſola *Dioſcoridis* authoritate contra omnium ſecus ſentientium tela tutus foret. *Galenum* ſequuntur cæteri Græci: ex multis ſeligo *Aetium*, qui

C *Tetrab.*

Tetrab. Prim. Sect. 1. ſcribit: *Quod Cicuta extreme frigidam vim habeat, omnes norunt, & propterea ex ſumma illa frigefactione etiam enecat. Avicenna l. 2. Canon. Tr. 2. c. 669.* Cicutam frigidam & ſiccam in tertio gradu uſque ad quartum perhibet. *Santes de Ardoynis de Venen Tr. 3. c. 62.* frigidam & ſiccam in quarto gradu ſtatuit. Ad hunc uſque diem plurimi, qui de Venenis ſcripſerunt & in *Dioſcoridem* comentati ſunt, unanimes propemodum in hac ſententia Cicutam nimirum frigidam eſſe, perſtiterunt: adeo ut *Jan-Anton. Saracen. in Schol. ad Dioſcor. l. 4. c. 79. p. m. 85.* ſcribat, Cicutam potenter refrigerare ſuaque illa vi refrigeratoria etiam enecare, apud omnes fere Medicos in confeſſo eſſe. Verùm pridem de ejus vi refrigeratoria ſumma dubitatum fuiſſe ex *Petro de Abano, Conciliatore dicto*, conſtat, apud *Sant. de Ardoyn. l. c.* Vixit is ſub finem ſeculi decimi tertij, locoq; citato memorat quoſdam Cicutam Calidam & ſiccam in tertio gradu ſtatuere & ſententiam ſuam ſtabilire authoritatibus, pro more ſeculi, *Rhaſis, Averrois, Conſtantini, Platearij.* Diſſentientes à *Dioſcoride, Galeno* & pervulgata opinione *Petr. de Abano* conciliare conatus eſt diſtinguendo inter Cicutam terreſtrem, quam calidam & ſiccam minimeque venenoſam putat & Aquaticam, quam frigidam à loco & Venenoſam exiſtimat. Verùm *Sant. de Ardoyn. l. c.* Conciliationem hanc, ſalva Reverentia tanti Viri non veram eſſe dicit: palam namque eſſe Cicutam ſive oriatur in locis terreſtribus, ſive aquoſis frigidam, venenoſam, ſeu interimentem exiſtere. Itaque putat errorem hic in verſione potius comiſſum fuiſſe, quam quod *Averroes*, quamvis *Avicennæ* inimiciſſimus cenſeatur, Cicutam Calidam, aliique qui *Averroen* ſequebantur, crediderint: nimirum vocem Harmel, quæ rutam Sylveſtrem, calidam & ſiccam & medicamentum utile ſignificet, male Cicutam frigidam & ſiccam ac venenoſam, translatam fuiſſe. *Cl. Gregor. Horſt. in Conciliat. enucleato diff. 150. p. m. 200.* Exiſtimat *Petr. de Abano* per Cicutam terreſtrem intelligere potuiſſe

Cicu-

Cicutam bulboſam *Bauhini*, quæ *Cluſio* Cicutaria Pannonica dicatur & pro ſpecie Myrrhidis *Cæſalp.* & *Lobelij* habeatur. *Nicol. Rorar. in Concil. Contradict. Celſ 2. p.m. 152.* diſcrimen quoque facit inter Cicutam aquaticam, quam frigidiſſimam opinatur & terreſtrem, quam myrrhidem putat, in ſecundo ordine excalefacientem. *Cl. Sennert. Pract. l. 6. p. 7. c. 6.* allegat *Cardanum lib. 1. de Venen. c. 20.* Cicutam calidam aſſerentem, idque non ſine ratione, quia amara ſit & quandoque in furorem inducat: Ipſeque *Dom. Sennert.* non frigiditate agere autumat, cum aqua & nix Cicuta longe frigidiora nihil tale, ſc. eorum quæ de cicuta ſcribuntur, præſtent. Verum *Cardanum* alibi aliter ſenſiſſe patet ex *Jul. Cæſ. Scaliger. de Subtilit. Exerc. 152.* ubi refert Cardanum alicubi dicere ſuccum Cicutæ ſoporem gravem inducere & frigiditate imodica Spiritus ipſos ſine dolore extinguere: quam obrem quoque à *Scaligero* carpitur ipſemetque non exigua ad Cicutæ calorem evincendum argumenta ſuppeditare videtur: primum enim inquit Cicutæ folia loco petroſelini in juſculo poſita *Franciſcum Trapolinum* amentem, ſed ſine ſopore, redditum enecaſſe; & *Nazarium Baſſanum* cicutæ radicem pro petroſelino receptam amentem feciſſe, qui *Ludovici Laziſij* opera liberatus fuerit: multos alios vertigine torſiſſe & oblivione: qui ſopore extinctus fuerit, ex hominum numero nondum à ſe viſum ullum eſſe. Deinde ait in Liguribus Taurinis Anſerculos Cicutæ foliis devoratis illico exſpiraſſe: ibi tamen radices pro delitiis haberi in acetariis, addito etiam ſalubritatis elogio: urinas enim ciere valide admodum; quas ipſemet ſæpe eſitarit Siſari ſapore. Inſuper caſtigat *Cardanum* quod *Dioſcoridis*, tanti in re herbaria herois, ſententiam contemnat, aſſerentis ſc. *lib. de Alexipharm. c. 11.* ſuffocatos atq; convulſione cruciatos interire, quòd imenſi doloris cauſa eſſe ſoleat. Denique ipſum ludit, quod extinctionem & reſolutionem confundat, quorum illa fiat manente integro ſubjecto materiali & introducta nova qualitate; hæc

C 2 pabu-

pabulo deficiente; quibus innuere videtur tantillum ſucci Cicutæ ad calorem extinguendum non ſufficere. Verum nec ipſe *Scaliger.l.c.* Cicutam calidam aperte pronunciat, imo ad ſententiam illorum inclinare videtur qui frigidam opinantur, idque commotus potiſſimum *Socratis* morte, à *Platone in Phædone* deſcripta. Illa ipſa *Cl.Caſp.Hoffmann.De Medicam.offic.l.2.c.67.* quoque in diverſum abripit; non quidem Cicutæ calorem denegat §. 8. imo illum rationibus ſtabilit dum ſcimus, inquit ex *Scalig. l.c.* aliorumque Recentiorum obſervationibus, Cicutam urinas movere aliosque vehementes motus edere, qui à frigiditate (torporem enim illa inducit) non ſunt: inſuper adducit *Celſ.l.5.c.6.* Sem. Cicutæ inter rodentia numerantem, aliaque aſfert calorem quoquomodo probantia, quæ ibidem videantur: attamen §. 9. Cicutam Venenum frigidum eſſe tam clare docere *Socratis* obitum apud *Platonem*, ut non poſſit clarius, inquit: idem docere putat illos qui amentes facti ſunt: & §.10. Atticam venenum ſimpliciter frigidum fuiſſe infert ex morte naturali ſimili, quâ ſenſim & ſine Symptomatibus extinguitur igniculus ſc. vitalis. Verùm nihilominus §.9. fateri cogitur deliros & ſuffocatos id non docere, ideoque confugit ad diverſitatem Soli nativi, ſubſtantiæ illius lethiferæ ſcil. in Cicuta magis & minus coctæ, & diſcrimen inter ſubſtantiam & ſuccum, quarum illa alicubi comeſta innocens eſſe poſſit, ſuccus autem non item, quod quoque de Lactuca perhibeatur. §. 10. Motus tam vehementes quos apud illos ciebat de quibus *Scaliger*, *Matthiolus*, aliique mentionem faciunt partibus heterogeneis attribuendum exiſtimat: atque hanc diſtinctionem adhibitam vult ab iis, qui etiam Venena frigida volunt agere ἀῤῥήτῳ δυνάμει, quod non ſit, cum alibi aliud agant: ita Mandragoram tanto ardore purgare, Opium os inflamare, ſudores movere, Vinum ipſum tam diverſos effectus habere, &c. §.12. addit Confirmationi aſſertionis de Cicuta Attica ſola frigiditate agente, ſervire hoc,

quod

quod Hierophantæ Athenienſes modica Cicutæ ſorbitione ſe impune caſtrarint, quæque ad Pontificis deveniſſent dignitatem prorſus deſierint eſſe viri : putat tamen illos præſumpſiſſe tantum, ut prorſus liberi eſſent ab ἀναγκάια illa τύχη; quo nomine *Trag. in Herbar. l.1. c.159.* quoque Cicutam matrimonia ejurantibus commendat. Apud *Cl. Joh. Rhod. In not. ad Scribon. Larg. Ann. 179. p. m. 265.* Nonnulli ſuſpicantur Cicutam Athenienſium ſimpliciter frigidam fuiſſe, quod *Socratis* interitus fuerit naturali ſimilis. Et Ipſemet quid ſtatuendum ſit de qualitate activa, dubius pendere videtur: nam tum pro calore, tum pro ejus vi refrigeratoria argumenta producit. *Petri Aponenſis* diſtinctionem minus ineptam putat contra *Rudium* : ac terreſtrem calidam & ſiccam in tertio gradu ob inſignem attenuandi, ac vere Myrrhidis ſpeciem cum *Cl. Horſtio* admittere videtur. Addit Empl. ex Cicut. ab *Heurnio* contra duritiem Lienis deprædicari & à *Celſo* ſemen Cicutæ inter rodentia poni. Mox tamen ſubjungit artuum gelationem fieri quia Cicuta refrigerando perimat ova ſec. *Dioſcorid.* & ſanguis eâ quaſi conglacietur Authoritate *Aelian. de Animal. l. 4. c. 23.* & *Johan. Hayn. de morb. Aſtral. c. 5.* quem allegat ac ſi talem vidiſſet. Ex quibus patet id, quod de qualitate activa ſtatuendum eſſet, multis adhuc difficultatibus involutum eſſe: quæ tamen forte non tantæ erunt, ut non liceat tricas omnes evitare, ſi probe omnia expendantur, quæ ad ſimplicium facultates examinandas requiruntur. Cicutam ceu perfecte mixtum, & vegetabile quod nutritur, augetur & ſibi ſimile producit, nemo negabit particulis calidis, moventibus, & mobilibus præditam eſſe, ſive illa ex quatuor elementis, ſive ex Sale, Sulphure, Mercurio, Terra, Aqua & Spiritu, ſive ex particulis vel atomis varie figuratis componi credatur. Deinde nemo inficiabitur cujuſlibet ſimplicis temperamentum, ſeu vim aut facultatem denominari ab illo, quod ſe potiſſimum exſerit, quando ab homine vel aſſumitur vel foris apponitur: nimirum

præcipuè ſimplicia ex effectis cognoſcuntur: quamvis non negarim illa quoque per Analyſin Chymicam ſeu à priore nobis innoteſcere & quæ oleo, ſalibus & ſpiritu abundant calidiora eſſe illis, quæ horum magis egena deprehenduntur. Diſpiciendum igitur num Cicuta deguſtata aut intra corpus admiſſa aut foris admota affligat potius particulis Igneis, aut Salinis aut Sulphureis, aut acuminatis? Anne vero terreis, aqueis, ignavis, torpidis & obtuſis, calidis interea & mobilioribus ita ab his inviſcatis, ut neutiquam in nervum erumpere valeant? Si ad omnes effectus attente animum advertam, ſique quod verum eſt fateri licet, Cicutam calidam exiſtere, ſeu nobis particulis igneis, ſalinis, ſulphureis, ſpirituoſis, acuminatis prodeſſe vel obeſſe intrepide pronuntiare auſim; quod forte tum ex hiſtoria hujus Cicutæ aquaticæ, tum ex aliis qui caſu & per errorem Cicuta veſcebantur, tum denique ex comodis quæ in arte medica rite adhibita afferre ſolet, clarum fiet. Primùm enim ſpirat odorem nauſeabundum, horridum, inſtar paſtinacæ Sylv. aut hippoſelini: *Galen. lib. 5. de Med. Simpl. Fac. c. 18.* ſtatim alienum & homini adverſum vocat; idque dum Cicuta adhuc integra eſt, ſive aquatica, qualis mea erat, ſive terreſtris ſit, quam *Galenus* procul dubio innuit; de aquatica n. altum, quantum equidem ſciam, apud illum eſt ſilentium: ſiquè talem odorem exhalat dum adhuc integra eſt, contrita aut contuſa fortius nares feriet. Cujus generis effluvia calida ſunt & à ſale volatili & ſulphure fœtido impuro emanant. Dein linguam acrimonia quadam pupugit, non tamen tam durabili ac mordace, ut arum facere ſolet; forte tamen diutius linguæ inhæſiſſet, niſi protinus os frigida, veneni conſcius, eluiſſem. *Lobel. l. ſupra Cit.* Oenanthem ſuam crocantem Cicutæ facie guſtu acrem & ingratam, ſuccoque viroſo & exulcerante prægnantem comperiit. Saporem acrem Calidum eſſe *Galen. l. 5. de Simpl. M. Fac. c. 18.* ne demonſtratione quidem egere merito affirmat, cum ſenſus evidentia rationis

tionis fidem præveniat. Quare,inquit,nec quisquam de eo dubitavit, imo & *Plato* de eo tanquam de Calidiſſimo pronuntiat, tum *Ariſtoteles* quoque & *Theophraſtus*: atque adeo nec Veterum nec Recentiorum quiſquam eſt, qui ſecus ſentiat, quippe cum excalfactio, dum guſtatur, ſit ex ratione ejus eſſentiæ: rem declarat exemplo piperis, allij, Cæparum, pyrethri, &c. Et certe niſi Cicuta abundaret particulis igneis,ſalinis fixis & volatilibus, illæque ſemper in promptu eſſent & præ cæteris ſe exſererent, aculeis ſuis nec pungeret nec exulceraret. *Dodon. Stirp. Hiſtor. Pemp.2.l.3.c.12.* ait,crebro accidit iis, qui Cicutæ fiſtulas intra labia aliquandiu continuerunt, labia & os inflari; quod etiam puero eveniſſe memini, qui Florem Africanum mandere inceperat; qui effectus ab utraque Planta calidis potiùs & acuminatis particulis, quam frigidis obtuſis ac inermibus adſcribendus erit. Præterea Symptomata, quæ Cicuta caſu deglutita peperit, ipſam calidam ſeu particulis valide efficacibus & propemodum efferis potentem,non frigidam elanguidam,obtuſam & tardam, abundè probabant.

Apud *Jacobam Maderam* cardialgia, urinæ impetuoſa ejaculatio & Epilepſia terrifica admodum neutiquam attribui frigori poterunt, ſed humori ſeu ſucco acerrimo genus nervoſum ſummopere affligenti & ad violentiſſimos iſtos motus ſtimulanti: qui itidem ad vomitum quamvis, gula & faucibus conſtrictis, inanem & ad ſingultum irritavit miſellum. Forte à valida vi Cicutæ diuretica, quam ipſi tribuit *Scaliger & Lobel. l. c.* Veſica urina impleta fuit quam incipientibus jam convulſionibus tanto impetu tantaque altitudine irritata expulit. Sanguinis fluor ex auribus non imputandus videtur Capitis alliſioni alicui quam pater mæſtiſſimus puerique amantiſſimus omni ſtudio cavit, ſed vehementi cerebri ſuccuſſioni; unde forte ſanguis intra cranium ſtagnans aliquid Apoplectici effecit aceum intra dimidiam horam ſuſtulit: non raro enim Epilepſia vehementiſſima

in

apoplexiam deſinit, quod alij quoque mecum obſervarunt: quamvis enim poſt ultimum paroxyſmum expalluerit & manum pectori admoverit, citiùs tamen filum abrupit vitæ, quam ut leipothymiæ à ſpiritibus diſſipatis adſcribi poſſit; licet enim magna ſpirituum jactura fiat in qualibet epilepſiâ validiore, raro tamen tam brevi tempore enecat. Memini me Illuſtri Puello bienni adſtitiſſe qui 24. horarum ſpatio viginti duos paroxyſmos Epilepticos eosque truculentiſſimos pertulit, ſine leipothymia, qui congruis adhibitis ab Epilepſia prorſus immunis & ſanus in hunc uſque diem vivit. Spuma viridis poſt obitum large ex ore manans, effectus eſt fermentationis alicujus, quàm deberi particulis igneis, vel, ſi mavis, Alcali & Acido in ventriculo pugnantibus, in vulgus notum eſt.

Catharinam Maderin à Cicutæ violentia vomitus ſpontaneus vindicavit: non tamen penitus ejus virulentiam effugit & motibus epilepticis ac dolore præcordiorum de Cicutæ acrimonia teſtimonium præbuit: nec enim hujus generis violentos motus *Scaliger & Hoffman.* frigori, ſed calori potius deferunt. Acetum cum Theriaca, propinatum vomitum quidem non ſine auxilio excitarunt: verum annon ob ventriculum debilem & à Cicutæ ſucco eroſum ſymptoma illud ſuffocationi ab utero ſimillimum, quo novem horis extremis frigidis facie Cadaveroſa ſine reſpiratione decubuit, ab aceto excitatum fuerit? nam apud hunc ſexum ventriculo, maximè circa pylorum debili, Symptoma ſuffocationi uterinæ vulgò dictæ ſimile oriri non ſemel obſervavi. Novi Nobilem Matronam quæ ante quadraginta quatuor annos circa finem puerperii Carnibus aceto maceratis veſcebatur: ab illo tempore in hunc uſque diem nec vel minimum aceti, vel alius ſucci acidi deguſtare audet; imo primis annis nec pomum nec pyrum ipſi delibare licuit quam primum enim vel pauxillum comedit protinus primum cardialgia, hinc extremorum frigore coripiebatur, mox inſtar mor-

tuæ

tuæ corruit ac diu ſine ſenſu & motu jacuit inſtar Cadaveris. Eadem longo tempore nec mitiſſima purgantia toleravit. Eo vehementius autem acetum in pylorum Nobilis Matronæ ſæviit, quia ob peſtem quatuor annis ante hoc puerperium periculoſiſſime affligentem ventriculum magna acidorum copia debilitavit, partibus pyloro imprimis vicinioribus nimium abſterſis & ſuo munimine denudatis, unde poſtea in puerperio, quo tempore partes membranoſæ & nerveæ alias debiliores ſunt, citius aceti noxam experta eſt. De extremorum frigore nihil ulterius addo, cum inferius de illo dicendi campus ſuperſit.

Maria Mæderin Epileptica, ſingultiens & facie erubeſcens & ipſa Cicutam calidam edocet. Acetum minùs nocuit citiusque ſæviorum Symptomatum continuationem effugit, quia parciore manu comedit & mature radices evomuit.

Apud *Matthiam* Graf Cicutam caloris acumina quoque prodidiſſe, obſcurum eſſe nequit, nam primum vertiginem excitavit inſtarque temulenti inceſſit; ſive enim vertigo ventriculo cerebrum in conſenſum rapienti, ſive particulis ſucci Cicutæ ex Ventriculo expreſſis, Chylo & Sanguini permixtis ac ad cerebri medullam delatis adſcribatur, non frigidum obtuſum & torpidum, ſed aut acre & nervoſiores ventriculi partes rodens, aut ſpirituoſum volatile Spiritus animales intra Cerebrum inſtar Spiritus vini aut alius potus inebriantis perturbans accuſandum erit. Et quis Epilepſiam tam terribilem tamque pertinacem frigido imbelli ſucco tribueret, qua ille ceu ſtrangulatus ſuffocabatur? De ſuccuſſione corporis in præcordiis diaphragma ferientis, cum ſingultu ſonoro inferiùs dicendi locus erit. Spuma viridis poſt obitum, ſcilicet laxatis fibris gulæ & faucium antea convulſis, large ex ore manans, quoque in hoc puero inſignem fermentationem indicat, quam à Cicuta multo ſale volatili abundante profectam monſtrat ſpuma viridis: niſi enim hujus generis particulæ ſucco Cicutæ ineſſent, non tam cito nec tam ve-

D hemens

hemens fermentatio contigiſſet. Alii ſucci licet quoque ab alieno calido foveantur & à peregrino fermento acuantur ad fermentationem fortiorem, nihilominûs non horas ſed dies requirunt. Non ſolum abdomen, ſed et totus habitus intumuit, ut fieri ſolet à mercurio ſublimato, arſenico aliiſque venenis virulentiſſimis & calidiſſimis, quia hujus ſucci particulæ ſanguini integro in venis & arteriis ob ſtrangulationem ſtagnanti & ſpiritibus & ſale volatili abundanti permixtæ non ſolum in Ventriculo & inteſtinis, ſed in toto habitu quaquaverſum per vaſa diſtributæ fermentationem excitarunt.

Chriſtina Gräſin Cicutæ vim calidam nobis non ſolum vertigine & Convulſionibus probat ſed propemodum ardore & dolore pungitivo circa præcordia, demonſtrat quæ veſperi poſt plures elapſas horas à comeſta Cicuta percepit:. Cujus radices tunc in ventriculo adhuc perſtitiſſe Vomitus docuit. Nec obſtat quod folia tabacci omnium calculo calidi, ipſi opem tulerint, quod non alterando, ſeu acrimoniam Cicutæ demulcendo, ſed evacuando & ex ventriculo eliminando præſtiterunt. Sic apud *Cl. Joh. Beverovic. in Theſaur. Sanit. l.3. cap.20.* Felis comeſto cum eſca veneno procul dubio arſenicali, aut mercuriali, vi ori intruſo tabacco cum cibo permixto evomuit venenum ac convaluit: quod ipſe ſoli Vomitui tribui poſſe exiſtimat.

Tres ultimæ Puellæ quæ parca manu radicibus iſtis veſcebantur, non evitarunt tamen ejus ſpicula, nam & ipſæ convellebantur: ac graviores forſitan inſultus epilepticos effugerunt Vomitu à Theriaca in aceto ſoluta & epota.

Catharina Weberin & Georgij Maureri filia, ambæ adultiores & ſolummodo radicem deguſtantes, nihil quod alicujus momenti eſſet, experiebantur, quia nulla inter agens & patiens proportio erat, Cicutæque tantillum non ſufficiebat ad gravius quippiam moliendum.

CAPUT

CAPUT IV.

CIcutam particulis calidis acribus, ferocibus aut aliter efficacibus potiùs quam frigidis, obtuſis & torpidis agere in corpus noſtrum aliæ quoque Hiſtoriæ confirmabunt: Illorum ſc. qui caſu & per errorem illam comederunt. Apud *Matthiol. in Comment. lib. 6. cap. 11. Dioſcor.* Vinitor cum Uxore in cœna radices Cicutæ terreſtris coctas comedit, mox cubitum iverunt: media nocte ex ſomno expergefacti, omni penitus ratione amiſſa, huc atque illuc per domum in tenebris vagantes, amentia & furore ducti, caput, faciem & oculos parietibus allidentes, ſicque horrende & monſtroſe faciem deturpantes, illuſtre documentum præbent Cicutæ particulas fervidiores & validiores hanc Tragœdiam peperiſſe. Idem *Monachus Franciſcanus* ibidem docet, qui pluribus menſibus modo amentia, modo furore agebatur, quod Cicutæ folia, petroſelini hortenſis vice, piſcium quorundam juſculis impoſita, comediſſet: niſi forte furoris proximam cauſam frigidam cenſere velimus. *Franciſci Trapolini* amentiam, quæ ſine ſopore erat, atque cum vita finiebatur, non probabile eſt delirium quoddam fuiſſe, quod à cauſa frigida pendere ſolet, ut ſenibus bis pueris contingit: tales enim ſomnolenti ſunt & plerunque ſui nullum triſte deſiderium relinquunt. Nec diſſimilis huic *Natarij Baſſiani*, Equitis fortiſſimi amentia fuit, qui Cicuta vice petroſelini veſcebatur: ſi enim ſomnolentiam quandam comitem habuiſſet aliudve ſymptoma à cauſa frigida pendens, non ſubjunxiſſet *Scaliger Ib.* nullum à ſe viſum qui ſopore à Cicuta exſtinctus fuiſſet. Præ multis hiſtoriæ plurium qui Cicutæ terreſtris radicibus, vice paſtinacæ, coctis veſcebantur apud *Cl. Heinr. Smet. Miſc. l. 10. ad ann. 1591. p. m 569.* evidenter probant Cicutam calidam eſſe & calidis particulis nocuiſſe. De hoc edulio comederunt tres Mulieres, Vir unus, duo

Adoleſcentes totidemque Puellæ. Omnes delirarunt: quo quis plus de illis ederat,eo diutius & vehementius, quo parcius aſſumpſerat eo moderatius delirabat. Ipſa Nobilis Matrona quæ hiſtoriam ad D. *Smetium* perſcripſerat, oppreſſionem & anguſtiam ſibi obortam ſenſit, adeo ut intra 24. horarum intervallum, aut nihil, aut perparum ſui compos fuerit, nec quid ageret, ſciverit: fuit ſiticuloſa admodum, & in Ventriculo gulaque fervorem immodicum percepit. Poſt 24. horas elapſas nihilominus mens per quatuor dies errabat Nobili Matronæ: omne avicularum & caniculorum genus ſibi obverſari videbatur; quoscunque circum circa videbat homines,omnes vel mortui vel ægroti apparebant,quorum ſingulis opitulari & medicari allaborabat, aut ſaltem, qua poſſet ſolari. &c. Cæteri delirantes alii imaginabantur ſe videre lacertas, aut ſerpentes; alii arreptabant in ignem: alii ſaltabant & per dumos ſepeſque vagabantur. *Trag. Herbar. l. 1. c. 159.* quamvis vulgato errori implicitus Cicutam frigidam affirmet & contra morbos calidos commendet,nihilominus veritati litare cogitur,dum contrarium hiſtoria Fœminæ comprobat: cujus mentionem ibidem facit: hæc comeſta namq; radice cicutæ, loco paſtinacæ,ebria & inſana reddebatur, ut altum ſcandere & ſubvolare conaretur: cui ſuccurrebatur hauſtis aceti, unde pacatior facta ad mentem rediit. *Cl. Johann. Bauhin. Hiſtor. Plantar. Univerſ. l. 27. c. 74. p. 181.* narrat Cicutariæ vulgaris radicibus loco paſtinacæ comeſtis duas familias Montbelgardi in grandia Symptomata ſuffocationis, torporem, inſaniam, ita ut ebrios verius exprimerent, incidiſſe: unum horum per integrum diem non potuiſſe excitari: qui vomebant citius liberatos fuiſſe. Curavit ipſos per Vomitum; deinde per Cochlear inſtar lagenæ formatum pulv. rubr. Pannon. injecit. Ib. Fœminæ ſecundo poſt comeſtas Cicutæ radices die propinavit Diaphœnicon cum Mithridatio. An hæc Cicuta minor Cordi apud *Schenk. Obſerv. Medicin. l. 7. p. 875.* quæ *Trag.* vitium petro-

petroſelini dicitur, Ger. Glyſſen? Hæc enim pro Petroſelino vel una cum illo reſecta, cibiſque inſperſa veſcentium mentem gravi periculo turbat. Diſtinguitur à petroſelino foliorum ſplendore: alioquin foliorum inciſuris & forma non diſſimilis. Utramque ex Cicutarum genere ſimilitudo & effectus, comprobant; hos *Bauhin. l. c.* ſimiles illis dicit quos *Dioſcorides* Cicutæ tribuit: *Cordus* vero paucis innuit: utriusque effectus certè tales ſunt, qui rectiùs à cauſa calida derivantur, quàm à frigida; licet in uno torporem fecerit, à quo per integrum diem excitari non potuerit; quoniam hoc ipſum à vino, etiam à ſpiritu vini ebriis contingere ſolet; ut taceam laudanum opiatum, quod plures calidum ſcriptis publicis non temnendis rationibus probarunt. *Exc. D. Sim. Pauli in digreſſione de Febrium Malign. & Petech. cauſa, &c.* ad Hiſtoriam Herbæ Gerhardi. *§.* 2. p. 2. memorat 1651. d. 22. Apr. Capitaneum quendam cum Uxore & Vidua hoſpita Hafniæ varij generis herbas ruri collegiſſe ad concinnandum pulmentum herbaceum, quod primo verè germinantibus herbis plures facere conſueverint; his addidiſſe Cicutariam, quia feratur inſigniter ad hepatis calorem attemperandum facere. Quando verò pulmentum hoc comederint, non exprimitur: credibile tamen eſt hoc ipſo die ipſis Cœnæ condimentum fuiſſe; nam die 23. April. circa horam 12. ſeu tempore prandij Capitanei horrenda & lurida facie cadaver proſtratum una cum moribundis, aut certe conclamatæ ſalutis ambabus Viduis *Cl. D. Pauli* invenit, quod vix unius horulæ ſpatio Cicutaria, cum aliis cocta, præſtitiſſet. Quæ ſymptomata Capitanei mortem ante ceſſerint, non refert. At Viduæ tunc adeo languebant ut palpebras non attollere, membra non flectere vixque fari poſſent, rogantes ſolum ſibi ſomnolentis dormire liceret: alterutra lingua tremula facti ſpeciem recenſuit, herbas ex quibus pulmentum parabatur, nominavit: dum huic pulſum explorat, deprehendit ipſum tam languidum, ac ſi ipſæ arteriæ obdormiſ-

cerent; inſuper parvum, imo tres circiter ictus intermittentem. Nimirum ſuccus Cicutæ ſanguini confuſus & ad cerebrum & cerebellum quoque delatus, Spiritus animales torpidos minusque mobiles effecit, non congelando, cum idem Spiritus Vini, ut paulò poſt indicabo, præſtet, ſed fundendo in maſſa ſanguinea humores aqueos, illisque aditum ad interiora medulloſæ ſubſtantiæ parando: hinc quoque ſumpta potione largiter ſudorem proliciente, diſcuſſo ſero ſymptomatum horum authore, Veſperi hora 4. ab illis omnino immunes erant. Supererant ſitis & ructus ſtomachi piſces corruptos ſapientes & redolentes, ambo Symptomata ipſis permoleſta: quæ neutiquam potioni ſudoriferæ tribuenda, cum hujus generis ructus à Theriaca, mixtura ſimplici, ſale C. C. Vol. &c. non exſurgant; nec ſitim in malignis poſt ſe relinquant. *R. D. P. Guntherus Schmidlin Convent. S. Blaſij* rerum Chymicarum gnariſſimus, Ruſticis aſperrima loca Sylvæ Martianæ incolentibus, ſi pleuritide corripiantur, feliciſſime exhibet Spirit Theriacal. *Cl. D. D. Joh. Adam Meyeri p.m.* Phyſic. Lauffenburg: cujus deſcriptio extat in Libello de Peſte ab ipſius Filio *Cl. D. D. Franc. Ignat. Meyero* non ita pridem edito p. m. *66.* Vidi ante aliquot annos ſeni & adoleſcenti, ambobus linguam aridiſſimam habentibus, delirantibus, ſummoperè æſtuantibus & admodum ſiticuloſis, à prædicto D. Patre quantum cochlear capit cuilibet hujus liquoris datum fuiſſe; unde profuſe ſudarunt, protinus dolore lateris punctorio, æſtu & ſiti remittentibus; linguaque priſtinam mollitiem & madorem adipiſcente. Liquor iſte non multum diverſus eſt à Tinctura Bezoardica Celeberrimi D.D. Joh. Michaelis, quam nuper publici juris fecit Cl. Godofredus Schulz cum Comment. Quam ob rem quoque *Cl. D. Pauli* tum ut ſymptomata iſta corrigeret, tum ut aufferret ſiquid maligni à Cicutaria ventriculus imbibiſſet, ſuaſit decoctum ſuum ex raſurâ C. C. Compoſitum partim ex refrigerantibus ſc. hordeo, ſcorzonera, ſucc. Citr.

Conſ.

Conſ. roſ. rubr. ſyr. de rub. Id. partim ex malignitati reſiſtentibus, ut rad. contrayerv. Carlin. &c; Item Electuarium ex Diaſcord. Theriac. ſale Fraxin. &c. Die 5. vel 6. elapſo Ipſum gratias acturæ domi conveniunt, pulſu omnino magno ſed juſto tardiore, prorſus ſanæ, niſi quod totum corpus maculis ex rubro ſubnigris, ſubaſperis & ſcabris, magnitudinem ſquammæ Cyprini piſcis æquantibus, minoribus hinc inde interſperſis, pictum eſſet: quas itidem ſudorifero delendas cenſuit. Has effectum eſſe Caloris alicujus maſſæ ſanguineæ impreſſi ex tota reliqua digreſſione facile conſtabit, cum ex maculis iſtis anſam arripuerit prolixe diſſerendi de Cauſa vera, unica & proxima tum febrium malignarum & petechialium, tum morbillorum, ſcorbuti, Luis venereæ & ſimilium morborum, macularum: omnia hic congerere inſtituti mei non eſt; cui Volupe eſt, digreſſionem hanc multis præclaris obſervationibus divitem perlegat, neminem operæ pœnitebit. Apud *Exc. D. Thom. Barthol. Hiſt. Anatom. Cent. 4. Obſ. 46.* Quidam Hafnienſis ex eſu Oleris in prandio, illo finito deceſſit: duæ mulierculæ cæcutientes evaſerunt. Fridericiburgi Arcis Præfectus cum Uxore poſt hujusmodi olus Capite turbatus fuit. Uxor delirare cœpit: delirio ſedato perpetuus Capitis dolor remanſit. Oleribus his ſine dubio Cicutam admixtam exiſtimat. Forte apud Hafnienſem oleri ferocius venenum Cicutâ adjunctum fuit, cum alias tardius enecet, niſi forte Vinum in prandio ſuperbibitum mortem accelerarit, quòd *Plin. & Galen.* crederent. Si omnino ſoli Cicutæ interitus præproperi cauſa attribuenda erit, vix alterando maſſamque ſanguineam refrigerando id efficere potuiſſet, cum pauxillum oleris non niſi lente tale frigus induxiſſet: forte ſi ad omnia Symptomata adſtantes attenti fuiſſent, aliquid ſpaſmodici animadvertiſſent, ægrumque ſtrangulatum potiùs obſervaſſent. Cæcitatem fœminarum fateor equidem humori nervis opticis intruſo deferendum eſſe: verùm illuc vix impingi potuiſ-

potuiſſet, niſi præceſſiſſent calor humorem fundens, ſtimulusque meninges cerebri ad corrugationem quandam irritans, quod Cicuta præſtitit: nam ante Oleris eſum ſanæ erant. Perturbatio capitis apud Præfectum & Uxorem, deliriumque apud Uxorem, continuam cephalalgiam poſt ſe relinquens, Cicutam non frigore, ſed calore nocuiſſe manifeſtum eſt: neque enim frigus Spiritus animales, ut deliraret, exagitare valuiſſet. Si aliquid de Cephalalgiæ poſtea continuatæ cauſa proxima aſſerendum foret, aliæ Circumſtantiæ addendæ fuiſſent. *R.D.P. Athanaſ. Kircher. In Scrutin. Phyſico-Med. de Peſt. ſ.2.c.2 p.203.* æquè illuſtre ac *Cl. Smetius* teſtimonium de Cicutæ calore ſuppeditat, cui eo major fides adhibenda eſt, quo minùs de ejus frigore mentem præoccupatam habuit: Jam illos narrat enim duos Religioſos in paſtu ferculum ex radicibus Cicutæ carnibus incoctis primo loco appoſitum, fame ſtimulatos, mortis in olla hoſpitantis ignaros; mox adorſos: vix cibo in ſtomachum demiſſo protinùs virulentam vim explicaſſe; utrumque protinùs mente captum inſignis & exoticæ inſaniæ ſigna dediſſe: primum, urgente veneni furore mox in vicinum lacum ſe præcipitaſſe, in anſerem ſe mutatum aſſerendo: Alterum omnibus ſpoliatis diſruptis veſtibus, in publicum prorupiſſe, nihil niſi flumen ad inteſtini incendij vehementiam exſtinguendam appetentem, clamando ſe in anatem transformatum, ſine aquis ſe vivere non poſſe. Addit. Medicos cognitis ex totius corporis livore incendiis, tantùm Catharticis, Cardiacis & Bezoarticis mediis effeciſſe, ut mortem quidem effugerint, veneno aliquouſque ſuppreſſo, tota tamen vita languidos & tremore paralytico ex veneni in fibras intimas implantatione perculſos, vitam reliquam ſummis doloribus exantlaſſe & intra triennium utrumque tandem extinctum fuiſſe. *Amat. Luſitan. cap.5. Curat.98.* Mercatoris Piſaurenſis Filium undecim Annorum, comeſtis jejuno ſtomacho Cicutæ ſummitatibus extra urbem, illico dormiviſſe, ſub

finem

finem Maj. 1556. & à ſomno expergefactum nec vidiſſe nec mente conſtitiſſe ſcribit: verum dubia fide, nam vix credibile eſt quempiam Puero adfuiſſe, alias non reliquiſſent ad torridum ſolem dormientem humi decumbere, adeo ut de ſopore illico puerum corripiente ambigere liceat. Quoniam autem expergefactus nec vidit nec mentis compos fuit, Cicutam quoque in hoc puero calorem prodidiſſe arbitror, ſecus ac *Amatus in Scholiis*, Socratis morte ſeductus, opinatur. Dum domum deportatus brevi diem ſuum obiit, Cicutam etiam in Italiâ lethiferam oſtendit. *Dalechamp. ad Plin. l. 25. c. 13.* qui Caulem viridem à pleriſque edi ſcribit, in notis addit: Eſu Cicutæ, quæ apij hortenſis ſpecie incautum fefellerat, ego quendam novi ad extremum uſque vitæ dementem factum: non ſanguinem ſpiſſando, quod ſucco Cicutæ ex ſemine trito expreſſo & Sole denſato *Plinius l. c.* tribuit, ſic enim potiùs citò ipſum enecaſſet. Plinio id ibidem aſſerente. *Cl. D. Joh. Rhodius in Emend. & Not. ad Scribon. Larg. Not. 179. p. 266.* Coronæ Imperialis virulentum effectum patefecit, cujuſmodi nemo Botanographorum, quod equidem ſciam nobis prodidit: Ita enim ille: Lilij, quod Corona Imperialis appellatur, eandem ferme noxam oſtendit Patavij Nobilis Germani Pediſſequus, qui bulbum conciſum in patella ex oleo & ſale curioſius frictum poſtquam aſſumpſiſſet, ſimilibus Cicutæ malis correptus vix potentiſſimis auxiliis priſtinæ ſanitati reſtitui potuit. Cum 20. Sept. 1674. labore examinis autumnalis defunctus S. Blaſij hortum cum *R. D. P. Gunthero & Cl. D. D. Joh. Jacobo Benzio* mecum Celeberrimi Monaſterij Medico ordinario perambularem, invenimus bulbum Coronæ Imperialis aeri expoſitum, quem medium cultello diviſi; ſucculentus admodum erat & liquor aqueus ex poris protinus exſudabat, qui ſenſim in ſubflavum mutabatur; ſpirabat fœtorem allio deteriorem, quem *Joh. Bauhin. Hiſtor. Plantar. l. 19. c. 13. p. 697.* viroſum & Colchicum, *Cluſius* ibidem, hircum olentem & nares procul etiam

E ferien-

ferientem ait: extremo linguæ apice deguſtatum compe ri a-crem, mordacem, veluti urentem & ſubamarum & paulò poſt aliquantulum linguam corrugantem: quod etiam *D. D. Benzius* obſervavit. Nullus dubito quin ſuccus iſte linguam exulceraſſet, niſi protinùs os frigida colluiſſem. Ex his facile colligere eſt Calidum in hoc bulbo cæteris qualitatibus prævalere & quoniam eadem noxa, qua Cicuta ſolet, Pediſſequum affecit, temperamentis pares erunt. *Miſcellan. Medico-Phyſic. Ann. 3. Obſ. 345. p. 553. Cl. D. Chriſtoph. Ræſler.* ſcribit Comitiſſam ab Hanavv cum Virginibus & famulis inter paſtinacas elixas etiam Cicutam, quas forma & ſapore refert, comediſſe, omnes inde vertigine ceu inebriatas correptas fuiſſe, ſequentibus delirio, ſingultu aliisq; ſymptomatibus gravibus: Addit *Cl. D. D. Gottofred. Chriſtian. VVincler* nullam ex comedentibus mortuam fuiſſe, quia non copioſa paſtinacæ admixta erat & parum ſaltem deguſtarint. Quo vero minus aſſentiam Cicutam frigus ſuum in his exſeruiſſe prohibent me Vertigo, non plurium dierum intervallo ſenſim obrepens, ſed ſtatim, ceu à potu inebriante, Convivas obruens, ſequente delirio, ſingultu aliiſque gravibus ſymptomatibus, à calore potius quam frigore aliquo genitis.

CAPVT V.

VErum ut cunque hæc evincant Cicutam particulis calidis, acribus & aculeatis, quibus abundat, hos effectus in iſtis præſtitiſſe, nullum tamen facile aſſenſum impetrabo; obſtabunt potiſſimum *Dioſcoridis* authoritas, à quo cætera turba, quicquid nominis habet hac in re, mutuata eſt & in ſua transtulit; deinde *Socratis* mors, plauſibile frigus Cicutæ concilians. Diſpiciendum igitur num *Dioſcorides* commode explicari & in partes Cicutam calidam credentium trahi poſſit? φθαρτικὸν quidem κατὰ ψύξιν ἀναιρεῖν ſeu *Venenum ſecundum frigus enecans* dicit,

cit, & quomodo vel partes, vel maſſam ſanguineam cœteroſq; ab illa pendentes humores & ſpiritus frigefaciat, alto ſilentio præterit. *Galen. l. 3. de Simpl. Med. Facultat.* medicamenta ſimplicia hominis reſpectu exploranda ac prout illum immutant, ratione temperamenti definienda eſſe monet, neutiquam autem ex ſua natura: nam ſic ipſe Cicutam quatenus nutritur, augetur, germinat, fructificat, cum Philoſophis calidam eſſe non refragatur; ad hominem vero collatam frigidam perhibet: at perquam appoſite ſubjicit: *ἓν ἐστι μόνον ἀσφαλὲς κριτήριον ἐν αὐτοῖς, ἡ πρὸς ἄνθρωπον πεῖρα, διοριζομένων ἡμῶν ἐν αὐτῇ τὸ κατὰ συμβεβηκὸς τοῦ καθ' ἑαυτό.* Seu *unum, ſolum certum Criterium* & quaſi *tribunal eſt, illa Exploratio ad hominem* ſeu hominis reſpectu *in illis ſc.* medicamentis ſimplicibus nempe quoad illorum vires. *diſtinguentibus & diſcernentibus nobis in hac Exploratione illud quod per Accidens, ab illo quod per ſe.* Licebit ergo etiam cum bona *Galeni* veniâ inquirere an per ſe, an vero per accidens Cicuta frigefaciat? eoque liberius quia ubique locorum Cicutam ſolummodo frigidam nude & citra rationes prægnantes, ceu rem indubiam, pronunciat. Si itaque frigidiſſima ſit *Cicuta* ut ſequaces *Dioſcoridis* poſtea commentati ſunt, poſtquam ille Venenum ſecundum frigus enecans pronuntiavit, non quidem inſtar nivis aut glaciei ſtatim os, ventriculum aliamve partem, ubi aliquandiu detinebitur, actu ipſo frigefaciet, ſed de potentia in actum deducta vim ſuam explicabit, ventriculo frigoris ſenſum imprimet, ſanguinem ex. gr. in arteriis capillaribus, cavitatem ventriculi, imo, ſi tanta frigefaciendi vis illi ineſt, etiam in arteriis & venis ventriculum ambientibus ita condenſabit, ut vel ad motum ignavior evadat, vel plane ſiſtatur; Spiritus animales ita figet, ut ad minimum villi, aut extrema nervorum in Ventriculum expanſa prorſus ſenſu priventur, denique omnes poros ita conſtringet, ut omne in ventriculum effluvium inhibeatur. At nihil horum apparuit in illis, qui Cicutam per errorem comederunt,

derunt, quin potiùs in Ventriculo ardorem, ſævos dolores, inſolitas ſuccuſſiones & violentos motus excitatos fuiſſe, memoratæ hiſtoriæ fidem faciunt.

Chriſtina Maderin Veſperi radicibus adhuc in Ventriculo perſiſtentibus, juxta cardialgiam, querebatur de ſenſu punctionis & ardoris Ventriculi. *Nobilis Matrona* ſiticuloſa admodum in Ventriculo gulaque immodicum fervorem percepit. Anti periſtaſin aliquam in Ventriculo cauſari hic ridiculum foret, quomodo enim propulſus aliorſum ſanguis ardorem excitare & tactus inſtrumentum ſpiritibus privatum hanc moleſtiam ſenſiſſet? *Jacobus Maderus* conquerebatur de dolore præcordiorum, crebro ſingultiit, Vomituriit; ipſius *Soror* natu major vomuit aliæque ex ſociis, quæ à Ventriculo ſtupido & ſpiritibus animalibus orbato exſpectari non poſſent. *Dioſcorides* ipſemet *de Alexipharm. c. 11.* inter alia Symptomata, quæ Cicuta efficit, λυγμὸν numerat, ad quem perficiendum requiritur ſenſus moleſtiæ præſentis & Vigor aliquis moleſtiam hanc excutere annitens, iſque ſatis validus ſi crebro eveniat, ut in *Jacobo Madero* contigit: & quamvis *Galeno* largiamur, moleſtiam illam & ſenſus contriſtationem in Ventriculo, non ſolum acre, ut piper, & copia peccans, ſed etiam ventriculum perfrigerans parere, ut opinatur *l. 3. de Sympt. cauſis c. 3. atq; alibi*; neutiquam tamen propterea frigidiſſimam aut, prout quidam eo uſque prolapſi, in quarto gradu frigidam Cicutam dicere poſſemus, nam & Venenum & frigidiſſima ita obſtupefacerent Ventriculum, ut moleſtiam non adverteret, non ſecus ac Aſini Cicuta paſti in Hetruria, apud *Matthiol. Libr. 4. in Dioſcor. c. 74.* qui profundiſſimo ſomno & torpore capti, ut non tantum ſtupidi ſed plane mortui viderentur: niſi velimus Ventriculum poſtliminio expergefieri, non ſecus ac Aſini illi, quibus ceu mortuis pellis ad uſum detrahebatur, in medio opere ad ſenſus redierunt non ſine magno excoriantium terrore atque ingenti ſpectantium riſu. Et

quam-

quamvis *Galeno* aliiſque *Dioſcoridis*, ſeu Commentatoribus, ſeu Expilatoribus, ob ſingultum Cicutam aliquomodo frigidam eſſe concedatur, nihilominus alias ſuppetias ad Cicutæ calorem evincendum præbet, *de Alexipharmac.* enim *l.c.* ſingultui jungit τῆς διανόιας παραφορὰν, ſeu *mentis abalienationem*, quam plures alii quoque obſervarunt, ut ex hiſtoriis ſupra recenſitis patet, & quidem talem, quæ, ut jam innui, nullo modo à particulis frigidiſſimis Cicutæ, ſanguini & tandem ſpiritibus animalibus permixtis, ſed omnino à calidis orginem duxit, utpote quæ in aliquibus cum furore, in aliis amentia non torpida & ſomnolenta, ſed ineptis & abſurdis geſticulationibus ſociata fuit. Quod Symptoma tam frequens poſt ſumptam Cicutam eſt, ut *Galenus* fateatur, *Libr. quod Animi mores Temper. Corp. ſequuntur c.3.* ejus nomen Græcum Κώνειον, ab effectu, ſcil. amentia quam ab ipſa corpus pati cernimus, duxiſſe; quamvis falſo ibidem quoque Cicutæ frigiditati inhæreat. His ſymptomatibus addit *Dioſcor. l.c.* σκοτώματα καὶ ἀχλὺν, ὥστε μηδὲ ἐπ ὀλίγον βλέπειν Vertigines & Caliginem, ut ne minimum videant. Cujus vel humoris, vel vaporis, frigidi ſc. an calidi ſoboles ſint? facile divinari poterit ex Vertigine *Matthiæ* Grafen / qui temulenti inſtar domum properavit & paulo poſt ad necem uſque terribiliter convulſus fuit: item ex hiſtoria *Vinitoris cum Uxore apud Matthiolum*, qui amentia & furore ducti huc atque illuc per domum vagantes in tenebris, miſere caput, faciem & oculos parietibus alliſerunt: ut & illi apud *Johannem Bauhinum*, qui ebrios verius quam aliter ægrotos ſe monſtrarunt. Sive enim Cicuta comeſta in Ventriculo perſtiterit, ſive à Ventriculo ejus ſuccus expreſſus, in duodenum cæteraque inteſtina truſus & per lacteas & ductum thoracicum ad cor & cerebrum delatus fuerit, nullo modo credibile eſt Cicutam in Ventriculo inſignes ejus nervos frigore ita afflixiſſe, ut inde Spiritus animales in gyrum acti fuerint, aut ſuccum ejus ad cere-

brum delatum poros occluſiſſe alicubi, ut Spiritus animales ad hunc ſcopulum allidentes retroacti ad inordinatos motus compulſi fuerint: nam frigus enorme potiùs in ventriculo nervos obſtupefeciſſet, & ſuccus frigidus ad cerebrum delatus ſpiritus ſopiiſſet, quam exagitaſſet, prout apud illos factum, qui furore perciti huc illuc oberrabant: nec principium nervorum ad Epilepſiam terribilem inſtituendam ſtimulaſſent, ut in Pueris & Puellis evenit. Rectius ſtatuetur Cicutam calidis particulis nervos ad cavum ventriculi penetrantes roſiſſe & Vertiginem excitaſſe, non ſecus ac humores acres in Ventriculo ſtagnantes ante Criſin, aut bilis in Ventriculum effuſa, aut alij humores ex corruptione nidoroſa, maxime poſt comeſta fercula valde pinguia, dulcia aut in butyro frixa, illam, etiam quandoque cum Viſus obtenebratione, efficere ſolent: Aut ſi ſuccum ad cerebrum uſque pertigiſſe credemus, veriſimilius eſt illum Spiritus animales ea prorſus ratione turbaſſe, quâ vinum aliique liquores exagitare ſolent, eoque magis quia furor comes in quibusdam erat & convulſiones in pluribus ſubſequebantur. Nec obſtant profundi ſopores, quibus quidam poſt comeſtam Cicutam obruebantur, cum idem Ebriis non ſolum à Vino, ſed etiam à ſpiritu Vini non raro evenerit; ac potius ſomnolentia hæc effectus eſt aſſumpti liquoris aut ſucci calidi quam frigidi, qui humores in maſſa ſanguinea fudit ac colliquavit, ſecumque intra anguſtiſſimos poros rapuit, ubi ſubſtiterunt, poſtquam liquorum & ſuccorum particulæ tenuiores à furore aliterve diſſipatæ fuerunt: qui humores tamen ipſi evaneſcunt, niſi gravius ſymptoma ſuperveniat, ut cuidam apud *Cl. Joh. Bauhinum* evenit, cùm per integrum diem excitari nequiviſſet, nihilominus convaluit medicamentorum beneficio, quod non niſi hoc ſpirituum ligamine ſublato factum fuit. *Nicol. Fontan. L. Reſpon. & Curat. p. m. 162.* narrat Fœminam quandam quinquagenariam à peſte liberatam ſomnum capere non potuiſſe: Conſilio cum mulier-

mulierculis inito, acetario ſub Veſperam pauculum Cicutæ aſperſiſſe, & ex ejus eſu bene ſubdormiviſſe: atque hujus uſum ad ſomnum conciliandum continuaſſe, donec Febri Synocho putrida correpta fuiſſet: qua poſt 14. dies expugnata, addit vigilias rediiſſe, quas cum iteratis vicibus Laudan. op. primum ad grana duo hinc ſenſim ad grana novem exhibito, abigere fruſtra conatus eſſet, ſe in cauſam tum pertinacium vigiliarum inquiſiviſſe: quam poſtquam intellexerit, ſimulque remedium reſciverit, juſſiſſe ut Cicutam ſolito more acetario inſpergeret, ſicque denuo optime quieviſſe. In Reſponſ. ad Literas *D. D. Bethi p.165.* putat Cicutam non habere vim deleteriam ſuapte natura, nec à tota ſubſtantia, ſeu toto genere, ſed quantitate ſola lethalem eſſe, unde in parva quantitate non lædere, ſed ſuperatam à calore nutrire, in pituitam & poſtea in ſanguinem converti; nec mirandum ſi inter coquendum vaporibus frigidis & lentis ſomnum, cœterorum alimentorum frigidorum ritu conciliarit. Poſt laudani op. uſum nullum ſomnum ſecutum opinatur, quia naturæ inimicũ ab illa non blandè prehendatur, propterea non coquatur & ſic fumos ſomniferos nullos ſurſum ableget; quia præterea Opium magis denſum & ſolidum non ita per corpus diſtribuatur; denique quia partes calidæ amaræ plures in opio exiſtant, quæ calorem innatum exacuant & pro ſomnolentia pervigilium concitent: In antecedentibus cauſatur quoque canalium anguſtiam, vel ob ætatem, vel ob craſſorum & lentorum humorum copiam. Verum nec iſta hiſtoria frigori Cicutæ patrocinatur: quamvis enim Cicutæ pauxillum ad ſomnum apud hanc fœminam conciliandum efficacior laudano op. fuerit, nullum tamen indubium argumentum eſt illam propterea frigidam eſſe, quin potiùs concludi poſſet Cicutæ ſuccum cum ſanguine ad cerebrum delatum potentius calore ſuo porulos reſeraſſe, ſecumque portiones ſeroſas abripuiſſe illoſque oppleviſſe atque hâc ratione ſomnum produxiſſe, quam vapores frigidos per gulam,

lam, baſinque cranij dura matre quadruplicata obvelatam, oſtiis penitiſſime à vaſis egredientibus & ingredientibus occupatis, ad cerebrum pertingere, piam matrem perrumpere & ad beatas ſomni ſedes pervenientes ipſam ſuavi quiete demulſiſſe: neque enim forte ipſe credidit tantillum ſucci Cicutæ ſanguinem, qui largo flumine dum vivimus continue per carotides & vertebrales arterias in cerebrum irruit, frigefeciſſe ut ſomnum producere valuiſſet, cum vel millies à ſanguine actu calido ſuperatus fuiſſet; è contra vero quilibet haud difficulter à ſe impetrare poteſt, pauxillum liquoris calidioris facile * maſſam ſanguineam, utpote particulis pinguibus & ſale volatili abundantem, calidiorem reddere poſſe, cum ſenſuum fide, vel pauxillo ſpiritus vini aut ſimilis liquore deguſtato, maxime ab inaſſuetis id manifeſte percipiatur. Quæ ulterius de Opio affert, cum non ſint hujus loci, prætereo: ſi quid deſideretur peti poterit ex Opiologia accuratiſſima *Exc.D.D.Georgij Wolfgangi Wedelij*, ubi abunde inveniet, quæ veritatis avido ſatisfacient. Solummodo addo *D. Fontanum* obiter Cicutæ qualitates hoc in loco exploraſſe, ſi enim Cicutæ acrimoniam levicule deguſtaſſet, opium propter amaritiem ad ſomnum parandum vix imbecillius præ Cicuta dixiſſet. Quod Cicuta tantùm non omnium ore frigidiſſima dicta fuerit in hunc uſque diem, ex omnibus ſymptomatibus quæ patiuntur illi, qui illam comederant, præcipue ψύξιν τῶν ἄκρων ſeu Frigus extremorum & anſam & argumentum ſuppeditaſſe ſuſpicor: quod quidam etiam apertè fatentur, ut videre eſt ad *Scribon.Larg.c.47.in notis Exc.D.Joh.Rhod.comp. 179.p 265.* Poſtquam enim *Scribon.* Cicutam potam caliginem mentisque alienationem & artuum gelationem ſubſequi ſcripſiſſet, addit in notis, illam ſecundum *Dioſcor.* refrigerando perimere ſanguinemque ab ea quaſi conglaciari, *Aelian. de Animal.l. 4.c.23.* notante. Imprimis vero id manifeſtum evadit ex *Sante de Ardoynis l.3. de Venen. c.62.* ubi accidentia poſt aſſumptam Cicutam

tam evenientia, non eo ordine recenſet, quo *Dioſcorides*, ſed illo quem propria phantaſia & præconcepta opinio dictavit: accidentium apud illum ſeries hæc eſt: *Frigiditas extremorum*: *Gravitas motus corporis*: *ſuffocatio & ſtrictura anhelitus*: *Permixtio rationis*: *Caligo oculorum*: *ſubet ſeu ſomnus profundus*: *ſingultus*: *dolor ſtomachi*: *Color labiorum citrinus vel viridis*, *Corporis plumbeus*: *Stupor membrorum*: *durities pulſus*; *quies venarum pulſatilium & poſt quietem illam Mors*, *niſi curatio acceleretur.* Forte autem ordo non tanti faciendus eſſet, niſi cauſas tot Symptomatum obſcuraret & fiendi modum inverteret, falſaque pro veris obtruderentur, quod ab *Ardoyno* factitatum fuiſſe, patebit: nam Frigiditatis extremorum cauſam ſtatuit exceſſivam Cicutæ frigiditatem & exſtinctivam caloris naturalis; Gravitatis motus corporis eandem frigiditatem congelantem humiditates muſculorum; ſuffocationis & ſtricturæ anhelitus congelationem humiditatum muſculorum gutturis & pectoris; permixtionis Rationis, aſcenſum vaporum præcipuè ſubtilium ad Cerebrum ejusque Ventriculos; Caliginis oculorum Vapores groſſos aſcendentes ad oculos; Somni profundi, multitudinem vaporum elevatorum ad cerebrum; ſingultus & doloris ſtomachi, motum ſpasmoſum ventriculi, factum ob congelationem humoris illius; Coloris citrini, viridis & plumbei mortificationem caloris naturalis; pulſus duri & quieſcentis congelationem humiditatis arteriarum, remiſſæ illius ſc. duritiei, magis vero factæ, quietis; mortis denique cauſam exiſtere poſt horas tres ſuffocationem & exſtinctionem Caloris nat. totalem. Non injurius *Ardoyno* forem, ſi dicerem illum nunquam Cicutam, ad regulas, quas paſſim *Galen. de Simpl. Med. Facult.* ad qualitatum ſimplicium cognitionem neceſſarias eſſe inculcat, examinaſſe, cum omnia κριτήρια jejune prætereat, quamvis ejus frigus præter mentem *Dioſcoridis* ad ſummum gradum exaltet: Merito autem reprehendi poſſet, quod plurima ſymptomata in unum cumulum

F cor-

corraſerit, licet vel nunquam uſu & tractando ægros à pota, aut comeſta Cicuta, Symptomata hæc obſervarit, vel oſcitanter illa expenderit. Si enim unquam his ægris ſerio adſtitiſſet atque illis operam ſuam impendiſſet, haud obſcure percepiſſet etiam hoc Venenum primò virus ſuum in Ventriculo exſerere, cum enim primum ibi detineatur, ibique crudelis hoſtis aliquandiu diverſetur, vix fieri poſſet quin mature noxam perciperet, ob inſignes nervos quibus non ſolum orificium ſiniſtrum, quod στόμα vocatur, ſed quoque pylorus dotantur. Certe primus Puellus antequam convulſiones emergerent, conquerebatur de præcordiorum dolore: Ejus ſoror adultior demum quidem poſt fratris obitum male ſe habere dicebat, quo Ventriculi afflictionem procul dubio innuit, cum rudior ætas, imo quoque alii, ignari loci primario affecti, in Ventriculo male habentes hac ratione ſemet explicent; quod ipſum Vomitus poſt dimidiam horam ſubſequens amplius confirmavit: Apud ſororem natu minorem pater ſenſit præcordia à tumore magna vi percuti, unde ſingultiit, ejulavit, facies erubuit, quæ ſymptomata potius ventriculi quam alterius ab æquo rerum æſtimatore cenſebuntur. *Matthias* Graff à duro patre educatus nec poſt vertiginem, nec poſt primum inſultum Epilepticum ullas querelas edit, at Ventriculum à tormentis immunem fuiſſe non credibile eſt, vix enim corpus illud tumidum diaphragma percutiens & ſingultus ſonoros pariens, alia pars quam ventriculus erat: de quo paulo inferius dicendum plus erit. Soror ipſius tarde quidem de præcordiorum dolore cum ſenſu punctionis & ardoris conqueſta fuit, at neque etiam de ullo alio ſymptomate alterutrius partis: quæ cum Vomitu concitato evanuerint, non niſi ſoli Ventriculo attribui poterunt. Symptomatum ſeriem, quam alii poſt comeſtam Cicutam obſervarunt, hic non repeto: hæc ſufficient ad demonſtrandum Ventriculum primo graviter affici. Interea nulli mirum & paradoxum alia quoque Symptomata

mata ſuperveniſſe videbitur, qui Veriverbium *Galen. l. 1. de Symptom. Cauſ. cap. 7.* perpenderit: οὐδὲν οὕτω μέρος οὔτ' ἀκριβῆ τὴν αἴσθησιν οὔτε τὰς ἀρχὰς ἑκατέρας ἑαυτῷ συνδιαλίθησιν, ὡς τὸ στόμα τῆς γαστρὸς addo καὶ τοῦ πυλωροῦ cum æquè nervis abundet ac orificium ſiniſtrum: qui hujus illuſtrationem expetit locum ipſum adeat.

Singultum autem & ſtomachi dolorem proxime à ſpaſmo quodam & hunc ab humorum ventriculi congelatione originem duxiſſe, quis in animum inducere poſſet? quis perſuadebitur ſanguine ventriculum vivificante congelato, ſpiritus animales, ſenſus & motus præcipuum inſtrumentum, integros perſtitiſſe? Cujus beneficio his abolitis moleſtiam ſenſit? Quomodo ſpiritibus vel fugatis, vel perditis fibræ validiſſimos motus, qui in ſingultu & Vomitu manifeſti ſunt, perficere potuerunt? Utique enim ſi tanta ſeu congelandi, ſeu conglaciandi vis Cicutæ ineſſet, hic primum ſe exſeruiſſet, cum glaciale hoc venenum ad hos humores & ſpiritus proxime pertigerit, adeo ut neque ſtatim poſt aſſumptionem nec demum extremis jam frigefactis evenire potuiſſent. Unde & quibus ab oris venerunt Vapores ſubtiles delirij, groſſi caliginis oculorum, copioſi ſomnolentiæ authores? An à Ventriculo ubi gelu detinetur? Aut ab inteſtinis, ad quæ contenta ventriculi ab inimico hoſpite fugata fuerunt? Num ab hepate ex inteſtinis fugitivum aliquem liquorem trahente & per Venas Jugulares lente primum ſubtiles, poſtea groſſos parcius, tandem magnam vim, nebulæ inſtar, ad cerebrum rationis & ſenſuum regiam ſedem amandante? Credebatur enim Ardoyni tempore hepar ex inteſtinis Chylum trahere, illum in ſanguinem mutare & tardo greſſu tandem quoque ad cerebrum portionem per venas mittere. Anne forte immediate orificio ventriculi non rite clauſo Vapores per gulam ad baſin cranii pertingentes in cerebrum irruperunt? Qualis liquor in vaporem reſolvitur? An ille qui ex Cicuta elicitur,

aut alius in ventriculo, inteſtinis, Viſceribus, aut denique in vel extra vaſa ſtagnans? Qualis ignis vel calor liquorem in una memoratarum partium reſolvens & in halitus convertens? Si Cicuta tam frigida ſit, ut calorem nativum extinguat, unde extremorum frigus oboritur; ſi humiditatem muſculorum in artubus, pectore ac gutture & ſanguinem arterioſum in Venis pulſatilibus congelet, ſi denique calorem penitus mortificet ac labia colore citrino aut viridi, habitus plumbeo deturpentur, humores potius denſabuntur, quam attenuabuntur, viæ vaporibus intercludentur & Calor, vaporum parens, à Cicuta exſtinguetur. Et licet forte concederetur Cicutam quoque particulis calidis præditam, quod quibusdam non abſurdum videtur; at tantillum à ſummo frigore obrueretur adeo, ut ne minimam vim exſereret: potiores effectus ſemper penes illud eſſent nec unquam particulæ calidæ emergerent. Et licet forte ex Cicuta liquor aliquis eliceretur, aut ſtagnans alias in Ventriculo, ob Calorem per quandam antiperiſtaſin fortiorem factum reſolveretur, protinus tamen Vapores antequam ex ventriculo exirent condenſarentur, cum præſente ſingultu & cardialgia jam humores congelati ſint & antequam hæc ſymptomata eveniant, quoque tota maſſa ſanguinea conglaciata exiſtat, adeo ut nec ulterius progredi, nec uſque dum cerebrum attingerent, ſupereſſe poſſent. Alias Congelati in monte *S. Gotthardi Alpium Helveticarum* nec delirant nec convelluntur, ſed placidiſſimo ſomno obruuntur, donec non amplius evigilaturi obdormiſcant, & mortui colorem fere naturalem obtinent. Anno. 1634. poſt Feſtum Nativitatis Mercatores quidam ex nundinis Argentinenſibus domum redituri, in Sylva Martiana proditorie trucidati atque aliquandiu in nive ſepulti, demum poſt aliquot dies huc delati & in Cœmiterio omnium conſpectui expoſiti fuerunt: omnes nativum colorem retinuerunt ac dormientibus quam mortuis ſimiliores viſi ſunt. Alia facie ſuffocati apparent. Etſi

vero

vero ἡ ψύξις ἄκρων ſeu frigus extremorum plauſibile argumentum ad Cicutæ frigus cudendum videri poſſet, infirmum tamen eſt, nam idem in Febribus acutis, à cauſa calidiſſima pendentibus, evenit, Juxta *Hipp.ſ.4. aph.48. & ſ.7. aph.1. It. Prognoſt. S.VIII. p.m. ed. Lindan.454.* Ubi extrema vocat τὰ ἔξω, ἀκρωτήρια & in *Prognoſticis* exprimit nomine capitis, manuum & pedum. *Gal. in Comment. ad aph.48.ſ.4.* ait, extremis frigidis interna uri in febribus intermittentibus ſe neque vidiſſe neque quomodo fieri poſſit animo capere poſſe: φαίνεται δὲ μόνον τοῖς ὀλεθρίοις ὑπάρχοντα καύσοις, ἢ εἰ βούλοιο καλεῖν ἑτέρως, τοῖς κακοηθεστάτοις, οἷον λιπαρίαις: ἄλλος δ᾽ οὐδεὶς πυρετὸς διακαίει τὸ βάθος ἐψυγμένου τοῦ δέρματος; potiùs nimirum manifeſtum hæc ſolum ſupervenire Cauſis pernicioſis, aut ſi velis aliter vocare, maligniſſimis, quales Lipyriæ: nulla vero alia febris interna urit, cute exiſtente frigida. *In Comment. ad Aph.1. ſ.7.* Symptoma hoc ſupervenire in acutis ſcribit φλεγμοναῖς σφοδροτάταις τῶν σπλάγχνων inflammationibus vehementiſſimis viſcerum, niſi enim magna adſit inflammatio externa non frigeſieri, ſed quoque calere. Idem quoque tradit in *Comment. ad Prognoſt. Hipp.c.* Cui aſſentitur quoque *Celeberr. Sennert. l.2. de Febr.c.16.* Cauſaturque inflammationem magnam & vehementem aut Eryſipelas viſceris alicujus, præcipue Ventriculi. Tum *Gal.* tum *Sennertus* opinantur à parte inflammata ſpiritus & ſanguinem, ceu à Cucurbitulâ, introrſum trahi. In Febri epidemia jam per quinquenium non ſolum in his locis ſed prope per univerſam Germaniam graſſante non raro obſervatum fuit, cum partium internarum æſtu extrema friguiſſe. Dum hæc ſcribo Ancilla quædam robuſta & carnoſa ante annum ab hac febri congruis feliciter curata, circiter d.12. Jul. 1676. iterum male habere cœpit, conquerebatur de Ventris, præcordiorum & Lumborum doloribus, qui noctc poſt ſomnum ipſam affligere cœperunt, appetitus imminuebatur, ſitiit, caput doluit, delaſſabatur, quandoque diarrhœam patiebatur: neglexit morbum niſi

 quod

quod Venam ſecandam curarit: noluit decumbere: à Vino non penitus abſtinuit. d.16. Jul. decumbere cœpit, noluit tamen lecto affixa eſſe, cum ſororibus jocabatur: abhorruit Medicum & medicamenta. 17. Jul. Circa Veſperam crebrius bilioſa dejecit, unde ſummopere debilitabatur & extrema frigebant: nocte appropinquante extrema brachia cum manibus ultra cubitum & pedes ſupra genu gelidiſſima erant: mortem in propinquo credebant aſtantes: præ anxietate Corpus hinc inde jactavit: circ. 10. noctis vomuit mucoſa ad lib. 5. A vomitu quietior evaſit, non tamen penitus incaluit. d. 18. Jul. vocor: manus frigidæ & lividæ: Frigebant quoque frons, naſus, aures: labia pallebant: pulſus erat freq. cel. parvus & debilis: reſpiratio per vices debilior: lingua arida: ingentem patiebatur ſitim: in ventre ſe æſtuare dicebat & aliquomodo, non tamen vehementer dolere: dejecit flava: urina tinctiſſima pene rubra craſſa: mente conſtabat. Poſt meridiem oculi convellebantur: frigus extremorum intendebatur, Veſperi deliravit cum vehementia quadam, brevi tamen ad mentem rediit: naſus incaluit: ſitis remiſit. Poſt medium noctis cum anxietate magis rurſus algebant. d. 19. Jul. mane hora 4. vivere deſiit. Poſt obitum multum fæcum nigrarum & Veſperi cruor ex ore emanavit. Idem aliis quoque evenit qui morbum negligentes Vinum biberunt; aut imprudentes pil. purgantes ſumpſerunt, quod Chirurgus quidam 1665. Febri Ungarica valde ſæviente, magno damno expertus eſt: nam excitatis torminibus Ventris cum ardore partium internarum, extremis frigidis brevi vitam cum morte commutavit. *Hipp. ſ. 7. aph. 26.* ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῶν περὶ τὴν κοιλίαν, ἀκρωτηρίων ψύξιν fieri indigitat. *Viſcherus in Comment. ad hunc Aphoriſmum* non putat *Hipp.* hic loqui de dolore, quem magnitudo inflammationis internæ efficiat, cum à dolore vehementi, ſc. partium imi ventris nervoſarum & ſenſilium, non minùs intro revocetur quam ob magnam viſcerum inflammationem. In prolapſu inteſtinorum ad ſcrotum

tum & in fœminis extra inguina, compreſſis fortiter inteſtinis, flatibus & excrementis deſcenſu denegato, quamvis integer Clyſter aliquando apud Fœminam quandam per os reijceretur, & omnes crebro eructarent, quandoque mucoſa, bilioſa & aſſumpta evomerent, ſæpe vehementiſſima tormina, maxime circa umbilicum cum extremorum frigore oborta fuiſſe obſervavi, citra inteſtinorum inflammationem, nam repoſitis inteſtinis & flatibus ac excrementis per alvum exoneratis, non ſolùm à dolore liberabantur, ſed protinus quoque in toto incaluerunt. Vir quidam literatus, obeſus mitiſſimi animi, nephritidi obnoxius, cum denuo ſævo paroxyſmo corriperetur, ac per biduum cum crebro vomitu miſere torqueretur, nihilominus obambulans, ſubito in extremis perfrigefieri cœpit cum magna virium proſtratione & poſt paucas horas, magno ſuorum luctu vivere deſiit. Aliquoties obſervavi in dyſenteria lethali apud adultos per dies duos, imo tres, artus naſum & aures gelidas habuiſſe: non tamen auſim dicere illos absque magna inflammatione hoc Symptoma paſſos fuiſſe, cum illius veſtigia non obſcura in cadaveribus repererim. Illuſtriſſimus quidam Dominus ante aliquot annos ex eſu fructuum immaturorum Diarrhæa cum torminibus primum affligi cæpit; opinabatur Colicam eſſe, quam ſpiritu vini hauſto mitigare conabatur, cum illam pridem in Alſatia ex ſuaſu Chirurgi cujusdam brevi, epoto Spiritu Vini ſimplici ſopiiſſet; Verum non ſolum dyſenteria inde ſummopere exacerbata fuit, quin etiam intenſiſſima ſitis, ineffabilis cruciatus cum ardore in ventre, crebro ſingultu, quandoque accedente Vomitu, excitata fuerunt, extremis prorſus gelidis ad quartum uſque diem. Præ doloris & ardoris vehementia ventri in pavimentum conclavis proſtratus incubuit, ac ſe triſti ſpectaculo miſere volutavit. Excrementa tandem nigra, quovis cadavere fœtidiora excrevit, & paulò pòſt diem ſuum obiit. Ante aliquot annos Fabri ſtannarij noſtratis Uxor, fœmina robuſta

alias,

alias, ex Rhætiâ oriunda, jam ſexagenaria major Radicem Hellebori albi in cincinnum complicatam ex Rizotomi conterranei ſuaſu integram Vini dimidiæ Menſuræ immerſit: cum iterato de hoc vino bibiſſet, in prandio quoque veſperi ſubito ſummopere circa præcordia angi, & dolere cœpit ac humi proſtrata fuit, extremis frigidiſſimis, citra leipothymiam, ſudore frigido undique emanante: cum in procinctu convulſiones eſſent, vocatus infudi juſculum, unde vomuit & paulo poſt exhibita aq. Cord. offic. ſenſim melius habere cœpit: at diu de dolore compreſſivo circa præcordia conquerebatur. Memini quoque Vomitoria alia ex Antimonio & Vitriolo albo; item quoque purgantia frigus extremorum non momentaneum ſed etiam per horas durans effeciſſe; maxime, ſi quantitate à Medico, aut in regimine, ut loquuntur, à ſumente erratum fuit; & non raro etiam ante hypercatharſin extrema frigebant. Si omnes venenorum Claſſes evolverem, vix ullum forte eſſet quod non vel brevi poſt aſſumptionem, vel certe non diu poſt illam, antequam enecaret, in extremis frigus excitaret, ſive rodens, ſive putrefaciens, ſive alia quacunque occultiſſima qualitate præditum eſſet. Napellus exempli loco ſit: illum *Santes de Ardoynis. Lib.2. de Venen. cap.1.* plantam ex Venenis deterioribus magisque pernicioſis & calidum & ſiccum in quarto gradu eſſe ſtatuit ac etiam hominem drachmæ dimidiæ pondere interimere dicit. Dum nuper radicem tranſverſim apici linguæ admovi, primum ſuccus ſubflavus ex poris ſudans dulcis apparuit, mox leviculè conſtrinxit, at protinus ardorem poſt ſe reliquit in particula illa quam attigi, eum vix aqua eluere valui, quin toto die ſenſum ambuſtionis quendam paterer: nihil vero animadverti eorum, quæ *Helmont. in Idea demente* poſt deguſtatam levicule obvenerunt, cranium nulla Zona ſtringebatur, non animus turbabatur, nec poſt 2. vel 3. horas Vertiginem ſentiebam: Et quoniam *Helmontio* nihil amplius quicquam horum poſtmodum contigit tametſi

aliquo-

aliquoties de eodem Napello deguſtarit. Forſan hæc accidentia ob aliam cauſam evenerunt, mensque ab alienis ideis occupata Archeos ſuos turbavit. Quamvis autem *Napellus* ipſo *Ardoyno* aliiſque fatentibus, calidiſſimus exiſtat & cauſa Apoſtemationis labiorum & linguæ ſit fortis inflammatio ab exceſſiva ejus caliditate proveniens, nihilominus Extremorum frigus effeciſſe apud *Matthiol. in Comment. ad Dioſc. l.4. c.73. Edit. Baſil.* Pragæ in Latrone obſervatum fuit: Huic primum drachma radicis Napelli cum Conſerva Roſarum data fuit, ad ſeſqui horam alteram & poſtea aliud pharmacum ex ejus caule, foliis, floribus & ſemine paratum; duabus horis tranſactis nullum ſymptoma excitarunt, verum una hora adhuc elapſa de laſſitudine ulcerosa, imbecillitate magna & Cordis gravedine conquerebatur & quamvis ſatis audacter loqueretur, nullo mentis incommodo & vividis oculis *Matthiolum* intueretur, conſpexit tamen ille frontem frigido ſudore madentem & arterias jam fere obdormiſcere animadvertit: poſt antidotum propinatum in ſyncopen quidem incidit, verum refocillatus de frigore conquerens, paulopoſt putrida, bilioſa & livida vomitu rejecit, quo ſe non parum adjutum fatebatur: dum Medici juſſu à ſomno arcetur, obmutuit, nulloque alio ſymptomate ſuperveniente obiit, facie livida facta acſi laqueo ſuſpenſus fuiſſet. Alii Latroni ibidem Rad. Napelli drachma data, circa umbilicum veluti globum effecit, qui inde ſuperna petens in poſticam capitis partem frigidam quandam auram diffundebat: inter alternantes laterum paralyſes ajebat univerſas corporis venas frigeſcere. Hic ſeptima poſt datum Lapidem Bezoar hora, vita deſperata, convaluit. Huic lingua nunquam intumuit, quamvis Napello piperis ſaporem ineſſe percepiſſet. Memoria & Conſideratione digniſſima eſt hiſtoria *Rei* apud *Schenk. Lib.7. Obſ.7.* cui incœnato rad. Napelli drachma data fuit, qui perpetuo de duritie quâdam frigida, ac ſi lapis quidam in ſtomacho foret, conquerebatur, quamvis aliquoties eo

die vomuerit ſedesque habuerit. Credebatur à Lap. Bezoar granis quinque convaluiſſe, licet ipſe quoque peſſima Symptomata pertulerit. His παραδοξότερον videbitur *Spiritum Vini* etiam non magna Copia aſſumptum Extremorum frigus peperiſſe: quod tamen cum *Exc. D. D. Emanuele Hurtero Collega meo gratiſſimo* illudque non momentaneum ſed per horas durabile d. 14. Decembr. 1673. obſervavi; quod forte quoque aliis evenit qui nimium ſe hujus ſpiritus ingurgitatione obruunt. Puer I. O. tredecim circiter annorum robuſtus & vegetus, mane poſt ſeptimam ſpiritum Vini prælibavit, quem pro patre apud Victorem comparavit; multum enim bibere auſus non fuiſſet, quia Patri duriori ſeu dolus, ſeu furtum innotuiſſet: Poſt octavam matutinam Templum adiit, mox temulentus factus ob magnam dormiendi neceſſitatem ſcamno incumbit, ſomno obruitur; paulo poſt ad vomitum ſollicitatur, egerit portionem Spiritus vini cum aliis in ventriculo contentis, è templo quaſi ſemi mortuus ad vicinas æditui ædes deportatur; in hypocauſto probe calefacto perpetuo dormire cupiebat: ſuccutiendo, vellicando & acclamando unum alterumve verbulum extorquebatur, tandemque ſe Spiritum Vini bibiſſe faſſus eſt: decima antimeridiana vocatus, inveni illum pallidum, extremis frigidum, prorſus ſomnolentum; erecto Corpore nutantem ac ſi collum perferendo capiti impar eſſet: vomituriit: eructavit crebro, ructus ipſiſſimum Vini Spiritum redolebant: ſemper oculis connivebat; ignarus ubi locorum eſſet, quiritabatur. Statim propinavi Lactis tepidi uncias ſeptem circiter cum olei Oliv. Cochl. ij. mox ad vomitum ſtimulabatur, quo parum ejecit: naribus alternatim Sp. Salis Armon. Urinoſum & Ol. ſuccin. admovi: acceſſit tunc quoque *D. D. Hurter*. Perdurarunt aliquo uſque ſymptomata. Ante 11. rurſus Lac cum oleo propinatum fuit: verum non amplius vomuit. Interea adſtantes perrexerunt ipſum vellicando & ſuccutiendo vexare, unde excuſſo torpore, moleſtiarum

per-

pertæſus è lecto vegetus ſurrexit, aliquandiu in hypocauſto obambulavit & ante 12. domum in ſuburbium properavit, magis currendo quam eundo: nihilque adverſi ab illo tempore huc uſque perpeſſus eſt. Novi denique quam plurimis Extrema non per momenta, ſed aliquandiu friguiſſe, mane imprimis, quando prævia anxietate Vomitus inſtabat, nec incaluiſſe donec magno niſu vel aquam ſpumeam, vel viſcidam, nunc inſipidam, nunc ſalſam, nunc acidam, quandoque ceu Vitriolaceam & poſt multos labores tandem bilioſam evomuerunt. Sed ſatis de his: nunc operæ pretium erit inquirendi in rationem quomodo nimirum ab his frigus in extremis producatur? Nemo negabit Extrema cum partibus internis æquali calore præditum iri, quamdiu ſanguis calore & ſpiritibus illuſtris inoffenſe per arterias quaquaverſum diſpergitur ac ſuperfluus in venas recipitur, ad cor currit atque ad extima recurrit: non enim aliunde quam à ſanguine calent: quam primum vero ejus affluxu defraudantur nec ſalutari nectare ſufficienter irrorantur neceſſario frigebunt. Ante omnia monendum eſt in memoratis caſibus non eadem ratione extremis partibus ſanguinem denegari: culpa enim nunc deferenda eſt ſanguini, nunc viis per quas ad extrema properat, nunc cordi, ceu primo motori, quod dum homo vivit, in defeſſo labore & continuo nixu ſanguinem longe lateque propellit. Deinde certum eſt ſanguinem è corde citra ullum ſelectum ad extrema protrudi, nec calidiorem internis deſtinari, frigidiorem artubus aliisve ultimis & remotioribus impertiri; aut particulas ſeu alimentorum, ſeu medicamentorum, calidas & frigidas ventriculis illatas ſecerni ac prudentia quadam & pro lubitu vel ad interna, vel ad externa amandari: conſtrictis enim validè cordis ventriculis ſanguis ibidem ſibi ſimilis, qua data porta, citra ullam cunctationem ad ſegregationem neceſſariam, pleno impetu, ruere cogitur: quod ideo præfandum arbitratus ſum, quia in ſcriptis Medicorum ſæpè occurrit quædam

medicamenta & Venena ex diverſis particulis compingi, quæ ſanguini quoque redditæ illique immixtæ calidos & frigidos effectus diverſis in locis, ceu mente quadam præditæ, edant. Denique ſi ullibi, hic omnino attendendum eſſe ad illud quod per ſe, aut per accidens fit, neceſſarium exiſtimo, ſeu diſtinguendos eſſe proprios rei effectus, ab illis qui aliam ob cauſam ſequuntur: Alij hos effectus nonnumquam poſitivos, aut privativos nuncupare ſolent. Sanguinem primum quod attinet, ceu mobile, ineptus redditur ad minima Capillamenta arteriarum & venarum tranſeunda ſi coaguletur intra vaſa, quod in Febribus malignis & Petechialibus fieri prolixe contendit *Exc. D. Simon Pauli in παρεκβάσει de Vera, unica & proxima Cauſa febrium malign. & Petech. &c.* Cui quoque alij aſſentiuntur atque eo quoque Spina *Helmontij* collimat. In Febribus iſtis jam ultra quinquennium his in oris ſævientibus extrema frigefieri plerunque, non tamen ſemper, cum ægri interitu frequenter obſervatum fuit. An coagulatio indubiæ veritatis ſit? non diſceptabo, non poſſum tamen non addere me hæmorrhagias narium, uteri, renum tum Patavij tum his in oris eaſque periculoſiſſimas & enormes ſæpè evenire obſervaſſe, non niſi à ſanguine tenuiſſimo, admodum fluxili, fervidiſſimo extrema arteriarum capillamentorum oſcula reſerante, quam in Virgine jam letho vicina cum *Exc. D. D. Eman. Hurtero* non ita pridem non niſi Jchthyocolla in juſculis carnis & Aqua pro Emulſione amygdal. dulc. cocta, ſc. ſanguinem incraſſando compeſcere valuimus: quod poſtea in aliis caſibus facere conſuevimus non ſine exoptato ſucceſſu. Præterea ante triginta annos & quod excurrit hic Tribuno Plebis in principio hujus febris venam ſecandam curavi, verum tantum abfuit ut coagulationem aliquam animadvertere potuerim in ſanguine, ut fibroſum quoque nulla ratione, longo tempore, quovis in loco repoſitum concreverit unquam: id poſtmodum aliis temporibus comperi quamvis rarius in febribus malignis

& fere

& fere nunquam niſi primo die Venæ ſectionem & quidem ſolummodo in plethoricis & aſſuetis,urgente ſimul pleuritide,&c. nunc ſuadeam. Denique Ego aliique mecum non ſine valetudinis damno in cadaveribus hac Febri interemptorum diſſectis, non hanc coagulationem ſanguinis in ventriculis Cordis & vaſis majoribus invenimus, ſed potiùs pulmonum, hepatis, meſenterij aliarumque partium interiorum inflammationes deprehendimus: de qua re videri poterit *Cl.Spigelius de Hemitrit.* Et ſi qua aliquando occurrit cruor concretus,non multum abſimilis fuit illi, qui in violenta morte, aut alio aliquo morbo interemptorum cadaveribus omnibus frigefactis reperitur; nam calentia adhuc cadavera humana aperire pietas prohibet. At poſito ſanguinem in his febribus coagulari ac propterea minuta vaſa pervadere non poſſe, neutiquam tamen id à frigore fit, neque illa congelatio quædam reputanda eſt: nam ipſemet *Exc.D. Simon Pauli in l.c.§.19.* Calorem in ſanguine, qui ipſiſſimæ Febris eſt,poſtquam calorem Febris Ephemeræ comparavit calori in liquore à balneo vaporario,in Synocho imputri à baln.Mar. in putrida à baln. Arenæ, in maligna & peſtilenti ſimilem ſtatuit ab igne aperto profecto: & licet doloſe benignus & blandus plerunque appareat, inſigniter tamen penetrantem & adurentem contendit §. 14. ſc. à ſero & ſanguine aduſtis ut refert §. 17. Et quis tota maſſa ſanguinea ſupra modum effervеſcente particulis gelidis locum ſupereſſe in animum inducere ſibi poſſet? unde etiam *D.Sim.Pauli in hac digreſſione* nullibi tales admittit ac potiùs coagulationis cauſam à ſalino principio derivat. *Exc.D.Joh.Sigismund.Elsholz.Clyſmat.Nov.c.5.p.m.24.* in venam jugularem & cruralem animalis refert injeciſſe *Cl.D.Fracaſſatum Anatom.Piſan.* aquam ſeparatoriam, ſed debiliorem, animal actutum interiiſſe, omnem ſanguinem coagulatum magis in vaſis quam circa inteſtina fuiſſe, majoribus quoque vaſis fiſſis, forte per naturæ impetum. *Idem D.Fracaſſ.* alteri Animanti

G 3 Spiri-

Spiritum Vitrioli infudit, quod tardius, prægreſſa Epilepſia, interimebatur: in hoc cruor quidem coivit, at in grumos ſeparatus, ſimiles fuligini fornacis. In Cane Spir. Sulphuris per ſiphunculum iteratis vicibus infuſus ipſum non interemit, imo famelicum effecit. In alio Cane ol. tartari immiſſum ſanguinem non inſpiſſavit, ſed fluidiorem & rubicundiorem effecit. At quis aquam fortem, aut Spiritum Vitrioli à multis cauſticum creditum, affirmaret frigore coagulationem effeciſſe? *Idem Cl.D.Elsholz. Deſtillat. Curioſ. c. 16. p. 68.* §.8. aliquod Coagulationis liquidorum exempla tradit; p.73. in ſanguine humano ab extractione calente adhuc, à ſpiritibus iſtis mineralibus inter alia quoque grumeſcentias & coagulationes advertit, quibus ſubjungit p.75. obſervationes *Cl.D.D. Godofredi Leiſneri* in ſanguine & ſero hujuſmodi ſpiritibus inſtillatis factas: ubi leguntur coagulationes à Sp. Nitri, Salis, Vitrioli, Sulphuris, liquore Nitri in ſanguine Scorbutici productæ: quod etiam in aliorum ſanguine eveniſſe, ibidem legi poterit: neque enim omnia exſcribere animus eſt: ſufficiat oſtendiſſe Coagulationem à calidiſſimis in ſanguine effici. Interea obſervationes illæ merentur ut attentè conſiderentur ceu magni momenti in re medica, optandumque foret ut plures Virorum iſtorum doctiſſimorum Solertiam in experiundo imitarentur; certe non tot frigida & jejuna ſæpè è cathedris reſonarent, aut Theatra implerent. Ex obſervationibus his hoc quoque notatu dignum eſt, Sal tartari in Cane ſanguinem fluidiorem & ſolito rubicundiorem effeciſſe l. 4. Spir. Salis Armoniaci in ſcorbutici ſanguine nullam mutationem Obſ. 1. ut nec in Phthiſici obſ. 2. effeciſſe: in alio ſcorbutico cum lap. Hæmatit. d. colorem intendiſſe; in hæmoptoici grumo nihil impreſſiſſe. Ex quibus patet, non omnia ſalia coagulare, ſed ſolummodo acida: alkalica potiùs fundere & colorem intendere, quod quoque fecerit Sp. Salis Armoniaci colorem rubicundiorem parando, ac ſi alkalicis magis cum ſanguine conveniret, quam ut il-

lum

lum deſtruerent, ſi ſolummodo non in magna Copia immixta ſanguini fuerint. Alias ſerum ſanguinis calor quoque conſpiſſat, quod non ſolum videtur ſero ſanguinis ſeorſim in patina prunis ardentibus ſubjectis calefacto, ſed quoque in pleuritide & febribus putridis ſanguine V. S. emiſſo, qui denſa ſæpe nunc ſubflava, nunc gryſea, nunc ſubviridi pelle obducitur, vere hujus ſobole; item in catharris coryza & broncho, in vulneribus & ulceribus quando materia dicitur, concoqui conſpicitur. An vero ſerum à Calore febris quoque ardentiſſimæ ſpiſſius & tenacius redditum, ſanguinem minutiſſima capillamenta permeaturum remoretur, unquam? non facile aſſerere velim, cum ob perpetuum impulſum concretioni nulla mora concedatur, & ſi qua daretur, præter extremorum frigus tumores, vel certè tubercula pullularent.

Extrema quoque frigeſient ſi penus ſanguinis nimium exhauriatur in febribus ardentibus, quod fiet ſi in Cauſo aliave febri maligna nihil comedant, neque phrenetici bibant; aut ſi his febribus hæmorrhagiæ enormes ſuperveniant, quod non raro evenire quotidie obſervatur; quibus accenſendæ ſunt dejectiones pice nigriores, fœtidiſſimæ, quæ nihil niſi cruor extravaſatus, diu in cavo inteſtinorum detentus & corruptus exiſtunt, cujuſmodi erant Excretiones Illuſtriſſimi Domini in dyſenteria funeſta & ancillæ febri maligna extinctæ.

Nonnunquam in Cordis Ventriculis corpora alba, denſiſſime compacta & profunde cavernis ventriculorum radicibus plurimis infixa & quaſi implantatata, ab *Ampl. D. Nic. Tulpio & Exc. D. Malpighio* non inepte Polypi vocata reperiuntur, quæ ramos per cavam ſurſum deorſumque, ex utroque ventriculo in pulmones ac per aortam, eoſque in plures ſurculos ſubdiviſos emittunt, ſanguiniſque liberaliorem diſtributionem impediunt unde illi qui hujuſmodi polypos in corde geſtant, facie liveſcunt, aut admodum pallent, in extremis levi ex cauſa frigeſiunt.

fiunt. Non tamen hic locum habere videntur; nam ſenſim generantur, neutiquam vero paulo ante mortem, aut demum frigefacto cadavere, prout pellis cachecticorum & pleuriticorum grumoſum ſanguinem operiens producuntur, ut vel imprimis ventriculorum cordis & quatuor fontium vitæ inſignis amplitudo demonſtrat, ac potiſſimum in Valetudinariis, morbo chronico, aut pertinaci cachexia affectis inveniuntur. Si verò ſubito ſimiles polypis grumi etiam in cordis Ventriculis gignantur, non niſi à ſpiritibus mineralibus ſupra nominatis, aut humoribus ſimilimis, id eſt acerrimis, neutiquam frigidis è ſanguine coagulato ut jam dictum eſt, naſcentur.

Extrema denique frigebunt, utcunque ſanguis naturaliter caleat aut p. n. ferveat, ſi non valida & indefeſſa cordis contractione propellatur, nam licet ſæpe extimæ partes ſanguine abundent, niſi ſingulis momentis novus accedat, effœtuſque ad Cor retrudatur, brevi calor ſanguinis perit & niſi protinus ſuppetiæ ferantur cum parte extinguitur ac veluti emoritur. Ob varias autem cauſas Cordis motus vel imminuitur & elangueſcit, vel penè ſuccumbit, vel inhibetur quo minus contenta ſolita ratione propulſare valeat: omnes huc accerſere non neceſſum eſt: ſufficiant illæ quæ præſenti inſtituto inſerviunt ac potiùs in Calidorum quam frigidorum cenſum veniunt. Imminuitur languidusque evadit cordis motus potiſſimum ob Spiritus ab æſtu in cauſo ſimilibusque febribus diſſipatos nec reſtauratos, propter nimiam à cibis, etiam potus in phreneticis abſtinentiam: aut quia pereunt ob ſudores diaphoreticos, aut diarrhœas colliquativas, febribus malignis nimium quam familiares. Ignavior redditur cordis motus ſpiritibus animalibus vim hanc cordi largientibus, ut Conſtat ex *Exc. D. Willis Anatom. Cerebr. & Exc. D. Lovveri de Corde* experimentis, à narcotico ſtupefactis, ut Puero à Spiritu Vini evenit & aliis qui opio abuſi ſunt: quomodo vero hæc Spiritus afficiant alibi dicendi locus erit. Vidi aliquot

gangræ-

gangræna nunc cum pleno ſphacelo, nunc incipiente inteſtinorum, renum, item pedum correptos, Extremorum frigus non per horas, ſed dies aliquot ſuſtinuiſſe. Quidam Colica male tractata, alii Enterocele neglecta, etiam poſt inteſtinorum repoſitionem, præterita æſtate quidam poſt nephritidem calefacientibus internis & externis inunctionibus & inſeſſibus fervidiſſimis exacerbata, jam ſopitis omnibus doloribus bona quæque ſperantes, extrema propè gelu frigidiora tangenda præbuerunt. In pedum extremorum & tibiæ parte vero ſphacelo correpta, ſed ſuperficiario nec ultra cutem penetrante, integris muſculis eorumvé tendinibus frigus hoc non ſunt experti, inter quos erant Reverendiſſimus quidam Abbas 76. ann. & ſereniſſima quædam Princeps 78. ann. & Illuſtriſſimus quidam Comes 50. ann. qui omnes hæc ante biennium perpeſſi, in hanc uſque diem ſatis commode vivunt. At ſi profundius ſerpat, etiamſi ultimos tendinum apices in pedum digitis ſolum corripuiſſe videbatur, à frigore & vitæ diſcrimine, maxime ſenes & in principio neglecto ſphacelo immunes non erant. A partium fere vel etiam penitus emortuarum muſculis & tendinibus non fibrillæ aliæve portiones ſolidiores in venas, ſed ichores reſorpti fuerunt. Hos utcunque calore prope actuali privatos, non frigidos per ſe cenſendos arbitror, quia febres ad ultimum halitum perdurantes & deliria excitarunt, cum intenſiſſima ſiti & quamvis deliria tandem ceſſarint, ſana loquti ſint ac compoſita mente adſtantibus ultimum vale dixerint, non tamen perfrigerii in maſſa ſanguinea plenum ſignum erat, cum hæc quoque Cauſo aut phrenitide affectis ante obitum contingant, minus turmatim ſc. particulis igneis in profunda cerebri per arterias carotides & Vertebrales irruentibus.

Cor licet muſculus jam olim ab *Hippocrate* vocatum fuerit & à Recentioribus non ſine ratione ſc. ab *Exc. D. Nic. Stenone*, *Exc. D. Lovvero*, *Exc. D. Willis* aliisque his annumeretur, præter

H neceſſita-

neceſſitatem perpetuo ſe movendi impoſitam, hoc peculiare inſuper habet, ut à quibusvis animi pathematis & aliarum partium etiam remotiſſimarum doloribus ejus motus pervertatur, nunc acceleretur, nunc tardetur, nunc vehementius concitetur, aliquando nunc brevius, nunc longius ſuſpendatur & penè ſubſiſtat: ſc. pro ratione animi pathematum & dolorum. Magis tamen à doloribus afficitur & non raro mire compatitur, ſi partes illæ affligantur quæ eorundem parium nervorum cum Corde participes ſunt, ſcil. Ventriculus, inteſtina, renes, uterus, &c. Cardialgiam vehementiorem non ſolum Extremorum frigus & omnino Syncopes conſequi in vulgus notum eſt. Vomitus ſæpè præcedunt, anxietates idemque frigus; quod etiam *Hippocr.* & *Galen.* magnís ventris doloribus & inflammationibus dolorum authoribus, adſcribunt. Quid in Nephritide calculo in pelvim delapſo & per ureterem ad veſicam contendente Cor patiatur; norunt illi qui in hac palæſtra exercitati ſunt. Quid injectio uterina cui Vitrioli Romani aliquantulum addebatur effecerit apud *Harveum æterna memoria digniſſimum* videri poterit *de Gener. Animal. Exerc. de Partu. p. 525.* Et omnino rectius à Corde compatiente ac in motu tardante, aut illum aliquo modo ſuſpendente Extremorum frigus derivatur, quàm à dolore, aut Calore inſtar cucurbitulæ Sanguinem & Calorem ab extremis ad ſe rapiente, cum exploſa attractione, poſtquàm verus ſanguinis motus, prælucente *Celeb. Harveo*, innotuit, certo conſtet ſanguinem ad quaſvis partes pulſu pertingere. Nec credibile eſt in harum partium inflammatione tanta copia ſanguinem ſtagnare, ut extrema inde eo defraudentur, cùm ſæpè non multum ſit ſanguinis hîc cunctantis, & *Exc. D. Sennert.* Eryſipelas in his locis ad frigus extremorum efficiendum ſufficere innuat: niſi fortè quispiam putet fibrillas nerveas vaſis ſanguiferis circumjectas ob dolorem convelli, vaſa anguſtiora reddi ac per Cavam magnam ſanguinis copiam ad Cor refluxuram intercipi; Verùm ſi hoc

fieret

fieret Venæ partium inferiorum quoque ſummopere intumeſcerent, imprimis ſi conſtrictio iſta convulſiva, tam diù perſeveraret, quam diù dolor & inflammatio continuare ſolent: quod tamen accidere nec ipſi memorant, nec fortè hactenus ab ullo animadverſum fuit: imo vidi in Viro, & aliquot in gravidis varices turgidiſſimas in pedibus & femoribus, quas ulterius quoque protenſas ajebant idque ſine ullo Extremorum frigore.

Cicutam frigefaciendi vi pollere forte etiam Medendi methodus Veteribus conſueta & à Recentioribus in uſum cum felici ſucceſſu ducta, non ſine applauſu credulos perſuadere poſſet. Verum cum de hac methodo pluribus circa finem hujus diſſertationis agendum ſit, hanc examinare hoc loco ſuperſedeo.

CAPUT VI.

Socratis mors à Cicuta illata quibuſdam venenum frigidum eſſe perſuaſit; Alios, effectus non niſi calori adſcribendos ab ipſa edi Obſervantes, ancipites reddidit, ut quale temperamentum ipſi tribuendum ſit, hæſitarint, aut alia effugia, ne calidam pronuntiare cogerentur quæſierint. *Exc. D. Caſp. Hoffmann. de Medicam. Offic. l.2. c.7. §.9.* ait Cicutam venenum frigidum eſſe, idque tam clare docere *Socratis* obitum apud *Platonem*, ut non poſſit clarius lib. §. 10. addit Cicutam Atticam venenum eſſe ſimpliciter frigidum, quia mortem *Socrati*. ſc. naturali ſimilem intulit: in quo nimirum ſenſim & ſine ſymptomate exſtinguitur igniculus ille, nempe vitalis: idem docere ipſi videntur illi qui à Cicuta amentes facti fuerunt. Attamen & ille ipſe calori §. 8. manifeſte favet, dum ipſi ex *Scaligeri* aliorumque obſervationibus innotuit, Cicutam urinas movere aliosque motus vehementes edere, qui à frigiditate non ſunt. Dubia conciliare annititur à Cicutæ diverſitate ratione ſoli natalis, partium, ſubſtan-

tiæ & ſucci, cruditatis aut coctionis perfectioris; inculcat quoque diſtinctionem partium in illa heterogenearum, quam adhibendam putat contra illos, qui etiam velint venenum hoc frigidum agere ἀῤῥήτῳ δυνάμει. Expendantur quoque illa quæ apud *Jul. Cæſ. Scaliger. Exercit. 152. & Exc. Joh. Rhod. in not. 179. ad Scribon. Larg.* habentur. Verum ſi attente omnia ponderabuntur quæ *Plato* de morte Socratis tradit & quæ ad temperamentum Cicutæ vere definiendum requiruntur, non certo inde conſtabit illam frigidum venenum per ſe exiſtere. Primum non extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſt, Venenum quod Athenienſes ex malevolorum inſtigatione, cum æterna nominis infamia *Socrati* Juſtiſſimo & Sapientiſſimo tunc credito propinare juſſerunt, Cicutam fuiſſe: nam in dialogo quem *Plato Socratis diſcipulus* φαίδωνα appellat & ubi hiſtoriam hujus veri Parricidij tradit, venenum hoc vel novies φάρμακον, nullibi κώνειον nominat, ut neque *in Apologia Socratis*: licet id inter nonnullorum allegationes, ceu res obvia, legatur. Quamvis κωνέιȣ nomen *Platoni* non ignotum fuerit; ita enim ille in *Dialog.* Λυσίδος: εἰ αἰσθάνοιτο αὐτὸν κώνειον πεπωκότα; ἆρα περὶ πολλȣ̃ ποιοῖτ' ἂν οἶνον: ſi ſenſerit illum Cicutam bibiſſe, utique maximi faciat vinum, &c. & ipſemet *Exc. D. Hoffmann. l. c.* meminit apud *Anguillar.* dubitari: verùm putat adverſantium argumenta ſufficienter ab illo propulſa fuiſſe. Sed fuerit Cicuta Venenum illud, ſic ſuadente *Plinio Hiſt. N. l. 25. c. 13.* inviſam publica Athenienſium pœna, appellante, it. *Diogen. Laert. in Vita Socratis*, aliisque illorum ſequacibus, licet aliquot ſeculis *Platone Socratis* συγχρόνῳ autoribus, detur hoc unanimi venerandæ antiquitatis conſenſui & credulæ poſteritati: attamen non abſque omni dubio eſt Venenum hoc ex ſola Cicuta confectum fuiſſe. Apud *Exc. Rhod. l. c.* allegatur *Guainer. c. 9. de Venen.* qui compoſitum probat authoritate *Valer. Max. l. 2. p. m. 62.* ubi mentionem facit Veneni Maſſiliæ publicè cuſtoditi, ex cicutâ temperati, quod ei dabatur, qui cauſas Senatui exhibuit,

buit, propter quas mortem expeteret: quod etiam in Inſula Cœa ſervetur, ubi cum Sex. Pompej. vidit ſummæ dignitatis fœminam, quæ nonageſimum annum transgreſſa erat, Venenum hoc cum pompa quadam ſumere *Thraſyas Mantinenſis* apud *Theophraſt. Hiſtor. Plantar. l.9. c.17.* invenit Venenum quod facilem & ἄπονον ἀπόλυσιν mortem non laborioſam faceret; parabat autem ex Cicuta, papavere aliiſque hujuſmodi quodque εὔογκον πάνυ καὶ μικρόν mole & pondere parvum ſc. drachmæ ad enecandum ſufficiebat, quod denique eſſet ἀβοήθητον ſeu immedicabile, durans diu nec quicquam mutationis experiens. Atticam huic in multis ſimile fuiſſe non vane hariolari licebit ex *Dialog. Cit. Platonis fine*, ubi hiſtoria mortis Socrateæ traditur. *Criton* Venenum jubet afferre ſi tritum ſit, ſin minus, ut atteratur, ac ſi ſemper ad ejuſmodi cædes patrandas in promptu Athenis fuiſſet, nam Pueri operam ſuam locantes *Critonis*, publici nefandi facinoris miniſtri, erant famuli. Alius συχνὸν χρόνον διατρίψας perlongum tempus atterens indigitat, illud ob compagem ad ætatem ferendam denſiorem & firmiorem, quale *Traſyæ* erat, requirere multum temporis ad redigendum in pulverem. Alius τετριμμένον ἐν κύλικι contuſum in poculo attulit, ceu facile liquori mixtile, quod de radicibus, foliis & ſeminibus, etiam in pollinem redactis, dici nequiret, quin ſuperficiei innataſſet & inter bibendum plurimum citra additamentum lateribus poculi adhæſiſſet, nec Socrates μάλα εὐχερῶς καὶ εὐκόλως admodum facile & expedite ebibere potuiſſet, nec indubie dixiſſet, qui poculum attulit, τοσοῦτον τρίβομεν, ὅσον οἰόμεθα μέτριον εἶναι πιεῖν, tantum trivimus quantum ad bibendum ſufficeret; quia enim expedite & facile ebibendum erat veriſimile eſt pondere & mole parvum & paucum fuiſſe, unde paucis reliquiis ſuperſtitibus quoque minus efficax fuiſſet, ſecus ac exitus demonſtravit, qui quoque prope ἄπονον, ut *Thraſyæ*, exſtitiſſe probavit. Non tamen certo compoſitum affirmare auſim, quamvis admodum veri-

ſimile ſit,cum plures ſucci inſpiſſati omnis compoſitionis expertes, denſi, ætatem ferentes,conterendi & etiam in quantitate exigua efficaces in Pharmacopoliis aſſerventur ſc.opium, ſanguis drac.in lachrymis, ſucci glycyrrhizæ, acaciæ, hypociſtidis, &c. Fortè certiùs Cicutæ ſuus calor manebit atque ab exceſſiva frigefaciendi facultate vindicabitur,ſi aſſeratur *Platonem* hunc dialogum non compoſuiſſe, nec propterea hiſtoriam mortis fini ejus attexiſſe, ut probaret & demonſtraret quænam qualitas in Cicuta ex quatuor Elementorum miſcela, licet tum quoq; temporis illa non ignota eſſet, reſultet,cæterasque in agendo ſuperet, ſed potiùs in illo fidem erga Præceptorem optimum & facundiam oſtentaſſe ad ignominiam perpetuam Athenienſibus, Philoſophorum hoſtibus, inurendam ob *Socratem,* tum Sapientiæ & Juſtitiæ nomine celeberrimum,inſtinctu invidorum & delatorum nequiſſimorum tyrannice interemptum, atque ita potiùs Rhetorem quàm Phyſicum ſe præſtitiſſe: Sermonis hujus pondus & efficaciam in ſemet expertus eſt *Generoſus alias Jul.Cæſ. Scaliger* dum *Exercit.152.* teſtatur ſe dialogum hunc ſæpe, cum illius perlegendi cupiditate incredibili arderet, non ſine lachrymis legiſſe & ubi eo loci deventum eſſet, ſcil. ubi hiſtoria mortis deſcribitur,& conſilium & librum abjeciſſe: nec quempiam, niſi prorsùs ferreus, aut ſtupidus ſit, fore exiſtimo, quin perlecto hoc *Dialogo & Apologia Socratis* indignationis & commiſerationis ſigna daturus ſit. Attamen ad perſuadendum Medico Philoſopho & veritatis avido olim Cicutam uſque adeo Venenum frigidum eſſe, alia in medium producenda fuiſſent τεκμήρια, quàm in hoc loco à *Platone* factitatum fuit: nec enim fieri potuiſſet, quin vel in illis partibus quæ primò Venenum ſuſceperunt ſui indicia prodidiſſet. *Exc.D.Hoffmann. l.c.* opinatur quidem hanc *Socratis* mortem naturali, in qua igniculus vitalis ſc. ſenſim & ſine Symptomatis exſtinguitur, ſimilem fuiſſe. Verùm in illa extinctio ſenſim quidem fit, ſed non paucorum vel momentorum

mentorum vel etiam horarum, ut apud *Socratem* contigit, ſed plurium dierum, menſium, imo annorum decurſu abſolvitur. Nimirùm Flammula vitalis in Corpore, ubicunque detineatur, ceu Las familiaris, quotidie pabulum ſuum depaſcit, quod quotidie quoque congruis Alimentis inſtaurandum eſt: non tamen, utcunque exactiſſima diæta obſervetur, tàm laudabile reſarcitur ac conſumptum fuit, neque illa inexſtinguibili pabulo potitur, quin elangueſcat, donec tandem exſpiret, ſive quod ipſius flammulæ vis hebetior fiat minusque concoquat ac aſſumpta ſubigat, ſive quod fibræ ſuperflua exprimentes, aut propellentes nimium exſiccentur & indureſcant, ſive quod pori per quos aliena expellenda ſunt obliterentur ac coaleſcant, unde flammula magis magisq; obruitur & tandem planè ſuffocatur, quod plerunque ſenibus ſive ætate, ſive temperamento talibus, nunc ſine Symptomatibus, nunc non absque illis, ſc. Catharris ſuffocativis, apoplexiâ ſimilibusque evenit. Deinde licet *Traſyas* ſuum Venenum jactet ἄπονον, atque aliquomodo Atticum illi ſimili appareat, non tamen veriſimile eſt hominem ſanum & vegetum, ab illo per os aſſumpto ſine tumultu & concitatione graviſſimorum Symptomatum, & quidem paucorum momentorum intervallo enecari poſſe, cum id non niſi Cordis motu abolito, integris adhuc viſceribus & Vaſis ſanguiferis majoribus contingere debeat: nam ſi corroſivum reputaretur nullo modo in cenſum Venenorum ἀπόνων veniret, nec fortè tàm quiete & tàm cito vitam ſuſtuliſſet. *Socrates* enim, licet ſexagenario major eſſet, ut in *Apologia ad Athenienſes*, effatus eſt, licet quoque in carcere detentus & quidem vinculis côercitus idque diu, ſc. donec Iudices ipſius peracta θεωρία è Delo pòſt longum tempus domum rediiſſent, licet denique plures injurias devorare cogeretur, integer tamen viribus perſtitit & magnanimus mortis contemptor perduravit, ut ex *Apologia & toto Dialogo* luculenter patet, in quo graviſſime de immortalitate Animæ & vita poſt mor-

tem

tem beatiore diſſeruit: & *Phædo* refert *Echecrati:* Ευδαίμων ὁ ἀνὴρ ἐφαίνετο καὶ τοῦ τρόπου καὶ τῶν λόγων, ὡς ἀδεῶς καὶ γενναίως ἐτελεύτα; Vinculis ſolutus crus perfricuit ac dixit jucundi & injucundi κορυφὰς ſeu vertices & ſummitates colligatas eſſe & uno ceſſante alterum ſuccedere ac dolori à vinculis illato voluptatem à frictione ſupervenire: cum fatalem diem inſtare ſciret vinculis ſolutus juſſit Amicos ſecedere, ſemet enim loturum, ne mulieribus poſt mortem negotium faceſſat: aliud cubile adiit: lavit: lotus Uxores, liberos, Amicos ad alloquium admiſit: abactis Uxoribus & liberis cum Critone etiam & undecim Virorum famulo mortis nuncio ſermones imperterritus à mane ad ſeram Veſperam miſcuit: poculo accepto nec tremens nec colore aut vultu mutato hominem poculum præbentem, ut ſolebat ταυρηδὸς aſpexit: denique epoto veneno Amicos cæteroſque lachrymas fundentes increpavit. Omnia hæc demonſtrant *Socrati* Cor validum & firmum ad momentum illud quo pharmacum ebibendum erat, perduraſſe, nec carcere, aut vinculis fractum, nec metu mortis, quàm imperterritus adiit, proſtratum fuiſſe; Maſſam ſanguineam in vaſis ſufficiente copia & ſpiritibus abundam viguiſſe & rite curſum ſuum peregiſſe; Cerebrum ſanum & ſpiritibus illuſtre perſtitiſſe, alias *Phædoni* non εὐδαίμων ſeu bono genio dotatus & beatus ex moribus ſeu geſtibus & ſermone judicatus fuiſſet, nec dicere potuiſſet ἀδεῶς ſecurè & abſque metu & γενναίως vitam finiiſſe: non in Apologia cauſam ſuam coram Athenienſibus tam generoſe defendiſſet; non tam graviter, ſcite & prolixe de immortalitate animarum & vita poſt mortem beatiore diſſeruiſſet, niſi hæc omnia, ipſamque mortis hiſtoriam, à Platone ſolummodo oſtentandæ ſapientiæ & facundiæ cauſa conficta velimus; non finito dialogo ſurrexiſſet, nec amicos, ut, donec lotus eſſet, diſcederent, monuiſſet; vix hanc ob cauſam aliud cubiculum adiiſſet; nec uxores, liberos, amicos, Undecim Virorum famulum obfirmato animo,

animo, abſque lachrymis, cœteris omnibus illachrumantibus multo ſermone à ſummo mane ad ſerum veſperam compellaſſet idque non abſque vehementia, alias *Crito*, publicus ille nocentiſſimæ fæcis miniſter, ut ipſum *Scalig. l.c.* vocat, non ipſum hortatus tunc fuiſſet, ut parce loqueretur, ne loquendo magis caleret ac venenum bis terve repetendum foret: hæc enim omnia non niſi partibus Principibus adhuc integris & Spiritibus bene irriguis præſtare potuiſſet. Quid aſpectus ταυρηδὸν ſibi velit videantur *Honor. Niquet. Phyſiognom. Hum. l.4.c.16. de ſignis Viri fortis*, *Scipio Claromont. de Conject. cujusque moribus l.6.c.9.* ubi imprimis conſideretur obtutus projectus & adverſos proſpicientium oculos & animos penetrans. *Joh. Baptiſt. Poſt. Phyſiogn. l.2.c.2.* ubi effigiem *Socratis* habet ac l.3. c. 24. ubi taurinum obtutum torvo ac terribili annumerat ac *Attilæ*, pridem orbis flagello, tribuit. Hoc Principum partium robur & hic in *Socrate* ſene vigor ſuperſtes breviſſimo tempore abolenda fuerunt, nam poſt epotum Venenum inter pauciſſimas interlocutiones & amicorum lamentationes miſellus exſpiravit. At quis in animum inducere poſſet Venenum frigidiſſimum, excluſa omni ejus vi inexplicabili, aut occulta, cordi omnem motum citra tumultum, aut Symptomata graviſſima eripuiſſe? Vix fieri potuiſſet quin intra ventriculum nervoſiſſimum & frigoris impatientiſſimum receptum, cardialgiam peperiſſet, quin ad inteſtina propulſum, quorſum potulenta alias citius quam vulgo creditur properant, tormina excitaſſet, quin denique hinc per ductum thoracicum Cordi infuſum rurſusque in pulmones ſæpius ejaculatum graviſſimam dyſpnœam facultate ſua gelida effeciſſet, antequam Cordis motum abolevisſet: has enim partes omnes Venenum perambulare cogebatur & Cor quidem ac pulmones ſæpe iteratiſque vicibus; niſi velimus Venenum omne in ventriculo ſubſtitiſſe ac Cor in conſenſum tractum motu ſpoliaſſe, quod tamen quoque non niſi mediante ſæviſſima cardial-

gia, ſuperveniente tandem Syncope cardiaca, præſtitum fuiſſet.

Cæterum nec illa quæ circa ultimam vitæ Cataſtrophen *Plato Socrati* eveniſſe memorat, ſufficiunt ad demonſtrandum Venenum Atticum, ſive merus ſuccus Cicutæ fuerit, ſive mixtus, frigidiſſimum fuiſſe, quamvis multis hæc præcipue hiſtoria illud perſuaſerit: nam nec perfecta ſymptomatum enumeratio in illa apparet, neque uſque adeo veriſimilia proponit. Nulla mentio fit ſenſus frigoris in ventriculo, ubi Venenum primò in actum, ut loquuntur, ducendum fuit, de quo etiam Latro à napello calido in 4°. gradu, ut creditur, conqueſtus eſt apud *Matthiolum*, quod utique feciſſet, cum poſt obambulationem τὰ σκέλη βαρύνεσθαι non ſubticuiſſet, ſc. rem minoris momenti, & cum poſtea pes valde comprimeretur, ſe id ſentire negavit. At forte frigore intenſiſſimo ſtatim ventriculi ſenſum obtudit, ut ejus præſentiam non animadverteret. Verum quomodo Venenum è ventriculo propulſum fuit, cum ſenſus & motus ventriculi pari paſſu ambulent, ſenſuq; pereunte, motus auferatur? aut ſi forte ejus portio in inteſtina elapſa fuerit, qua ratione oſcula vaſorum lacteorum, aut alios poros, ſi qui alii ſint, Venenum gelidiſſimum, ſanguinem & ſpiritus congelaturum penetraſſet? nonne ſibimet viam geliditate centies occluſiſſet? At rimam invenerit; omnia obſtacula perruperit, qui factum, quod ſanguini permixtum primum crura gravarit, obſtupefecerit, famulusque ſuris compreſſis invenerit ὅτι ψύχοιτο τε καὶ πήγνυτο, imo paulò pòſt τὰ περὶ τὸ ἦτρον ψυχόμενα, atque ita robuſtus & ſanus *Socrates* ab infernis emori cœperit? Cur Venenum Sanguini permixtum non æquè in partibus ſupernis vim ſuam exſeruit? Quamobrem ſanguinem non in vaſis pulmonum, capillis etiam tenerioribus, congelavit atque ita reſpirationem difficilimam reddidit? Cur ad cerebrum delatum loquelam non ſurripuit? Quam tamen retinuit pedibus jam ſtupidis omnibusque ad ἦτρον ſeu

ſeu hypogaſtrium & regionem ſub umbilico frigefactis: Cur non memoriam obliteravit, ut oblivifceretur *Galli Aeſculapio* perſolvendi? Nam jam *Socratis* tempore ſanguis in circulum movebatur eique admixta, è ventriculo ſiniſtro, ſurſum deorſumque citra ſelectum & absque ulla prævia deliberatione, quorſum quæque ſpectarent, propellebantur. Nec enim fortè dubitabitur œconomiæ corporis eandem rationem nobiſcum fuiſſe: ſi verò quis hæſitet Hippocratem adeat, apud quem hujus veſtigia reperiri ajunt illi qui hunc motum nunc defendunt. Si hoc Venenum foris partibus inferioribus applicitum illas ſenſim congelaſſet & ſtupefeciſſet, forſan major fides *Platoni* adhibenda fuiſſet: Res enim non ſine exemplo fuiſſet. Apud *Nob.D.Franciſcum Redi* mentio fit Piſcis ἀνθρωπομόρφȣ ſeu ſirenis, qui conſpiciatur circa Inſ. S. Laurentij cujus oſſa præter modum frigida & ſicca traduntur, ut ſiquis, dum ſanguinem mittit unum ex his oſſibus capiat, non ſanguis modo, ob frigus quo brachium afficitur, ſubſiſtat, ſed in ipſa etiam vena concreſcat: de qua re videatur *D. Redi. de Experiment. Natur. p. 93. & ſeq.* ſi relationi experimenta reſponderent, forſan aliquis ſibi imaginari poſſet, qua ratione Venenum Atticum pedibus appoſitum primum ibi frigus inducere potuiſſet, quod poſtea ad ἦτρον, tandem ad præcordia tendens, hac facultate intenſe frigida *Socratem* ſenſim & absque labore occidiſſet: quamvis nec ipſe *Dom. Redi* piſcis iſtius oſſa, ut & dentes Hippopotami magni faciat & relationi fidem deroget ſatis apertè. Verùm ut his tandem finem faciam, videtur *Plato* hoc ipſo in loco, qui plurimos faſcinarit, prodere cauſam Cicutam frigidam aſſerentium: nam circa ultimam vitæ cataſtrophen indicia profert, quæ Venenum Atticum Calidum innuunt; poſtquam n. quaſi congelatus nihil amplius reſpondit, ἀλλ᾽ ὀλίγον χρόνον διαλιπὼν, ἐκινήθη, ſed exiguo & pauco tempore deficiens, ſeu leipothymia affectus, movebatur: nimirùm à ferocitate Veneni Cordis motus imminuebatur, & per accidens

ſenſim artus frigeſiebant, paulò pòſt propè obrigeſcebant, tandemque plane per breve tempus defecit, facultas animalis nihilominùs tamen irritata & extrema inſtare ſentiens, ultimum conatum adhibuit ad hoſtem mortem intentantem excutiendum, convulſionem quandam inſtituendo. Hæc in Acutis evenire quandoque, colligere licet ex *Hippocr. Coac. Prænot.* 82. ubi legitur *ἐν ὀξέσι κίνησις, ῥυπτασμὸς*, &c. *ἐνίοισι σπασμὸν σημαίνει*; in Acutis, ſeu ut *Foëſius* vertit, in Malis præcipitibus corporis motio, jactatio &c. quibuſdam convulſiones portendit, ſeu procul dubio imminere ſignificat. At quoque hanc *διάθεσιν* p. n. toti Corpori *Socratis* à Veneno Attico illatam jure meritoque inter Acutos recenſere licebit, cum citiſſimè & citiùs febre acutiſſima ipſaque peſte ſuam periodum abſolverit, ſedemque ſuam non minùs quàm ipſa peſtis ſimilisve acutus morbus in ſanguine locarit, indeque truculenter principes partes aggreſſa fuerit & peſſum dederit. Præterea cùm *Foëſius in Commentario*, etiam *Galenum* in ſuas partes trahendo, dicat hujuſmodi motus indicia eſſe efferveſcentium & exagitatorum humorum acrium in Corporis cavo & Ventriculo, cur hujuſmodi efferveſcentiam, exagitationem & acrimoniam huic Veneno Attico detraheremus? quod ob breviſſimam vitæ uſuram poſt exhauſtum poculum neceſſario attrociſſime intra cavum corporis ſæviiſſe ſtatuendum erit. Imo credibile eſt *κίνησιν* hanc *Socratis* convulſivam fuiſſe idque irritata facultate animali ab humore aliquo acri, nam poſtea retecto vultu *τὰ ὄμματα ἔστησεν*, oculi aperti & immobiles videbantur, ac Crito *συνέλαβε τὸ στόμα καὶ ὀφθαλμοὺς*, os & oculos hiantes apprehendit & clauſit. Atque ita veritas *Coac. Prænot. t. 2.* *αἱ μετὰ καταψύξιος δυσφορίαι κάκισται*; & t. 3. *Κατάψυξις μετὰ σκληρυσμοῦ, ὀλέθριον*, vere illuxit, quæ ſymptomata quoque tribuuntur febribus acutis & viſcerum inflammationibus, non cauſæ per ſe frigefacienti; quæ etiam Venenum Atticum aut Cicutam non per ſe, verùm per accidens effeciſſe concludo.

CAPVT

CAPUT VII.

QUamvis ex præmiſſis, ut arbitror, abunde probatum ſit & poſtea ulterius ex infra memorandis experimentis conſtabit, Cicutam calidam eſſe, nequaquam tamen credendum eſt illam Pueris ob calorem, reliquas qualitates in illa ſuperantem, funeſtam fuiſſe, aut ſolo calore tam terrifica & atrocia ſymptomata in Puellis iſtis excitaſſe. Utcunque enim ruſticè vixerint, non raro tamen nacti ſunt λάγανα, ſeu placentas dulciarias, quas parare ſolent ex pipere, Z.Z. Caryophillis, Melle aut rob. Ceraſorum nigrorum cum pauxillo farinæ, præcipue circa Feſta Salvatoris N. & S. Nicolai, Encæniorum &c; nulla n. familia prope tam paupercula tunc erat antequam incolæ à milite hybernante aut tranſeunte fere ad incitas redacti ruſtici fuerant, quin liberos hujuſmodi donariis exhilararet, quas ætas illa harum avidiſſima, nulla mediocritate obſervata, innoxie comedit. Inſuper etiam Vinum, maxime in diebus feſtis & ſolennitatibus nuptialibus non avara manu conceſſerunt: imo tenellis infantibus quando dentiunt vinum infundunt, ſuſque deque habito *Platonis* præcepto, Vini uſu ante decimum ætatis annum interdicente, obtemperantes potius Proverbio apud ipſos inveterato, Matribus Vittas & Calanticas vendendas potius eſſe quam dentientes vino defraudandos. Denique Cibos condire ſolent pipere, Zinzibere, allio, cæpis, quorum quoque natu juniores participes in communi menſa fieri ſolent, imo quandoque ob ætatis illius voracitatem ſe præ adultioribus referciunt: & hactenus quidem ſine notabili damno, nam omnes tum integra valetudine utebantur. Taceo alios pridem & quotidie herbas & radices Cicuta multo calidiores comedere: Sunt integræ Nationes quæ impenſe delectantur raphanis & alliis ingeruntque ſæpiſſimè non avara manu innoxiæ. Novi quendam

vere folia ari primum germinantia large acetario permiſcuiſſe, comeſtaque non aliam ventriculo cæteriſque viſceribus quam ardoris moleſtiam aliquot horis durantem peperiſſe. Apud *Exc. D. Plater. lib. 2. Obſerv. p. m. 435.* quidam ultra triginta annos, ſingulis matutinis, duas radices magnas Zingiberis, paululum ſaltem maſticatas deglutivit, propter imbecillitatem ventriculi à febri quartana contractam; ab illius uſu nec quicquam mali in ventriculo ſenſit, imo inde ad omnia munia graviter obeunda alacrior reddebatur & multorum annorum uſu, nec die uno illa ſine noxa carere potuit. Nec Cicutæ iſtius aquaticæ radix hanc noxam intulit, quia illam crudam copioſeque devorarunt, cum antea more ruſticæ hujus progeniei rapas, raphanos, rad. Petroſelini, Paſtinacæ luteæ impune inglutierint, unde procul dubio avidius his quoque radicibus inhiarunt, illarum quadam ſimilitudine & ſapore ſubdulci deluſi.

Verum Potius in radice Cicutæ iſtius Aquaticæ δύναμις δηλητήεια ſeu Venenata harum noxarum, ſeu præcipuus author, accuſanda erit: licet enim inter maſticandum & deglutiendum nihil adverſi perceperint, *Jacobus Mæderus* hilaris & ſubridens quaſi re bene geſta domum redierit, *Matthæus* Graff ſe de radicibus quoque comediſſe jactarit & una ex puellis lachrymabunda matri conqueſta fuerit à ſociis avarius radicem ſuppeditatam fuiſſe; attamen paulò pòſt magno malo ejus virulentiam experti ſunt. Omnes ſani erant, nullus tum morbus Epidemius graſſabatur: *Jacobus* vix duabus horis elapſis à comeſta Cicutæ radice iteratis vicibus atroci Epilepſia affligitur atque intra ſemihorulæ ſpatium ab illa enecatur: Idem fatum expertus eſt *Matthæus* Graff/ atque in eo ſolum differebat Epilepſia quod tardius invadens continua duratione & Symptomatum vehementia *Jacobi* ſuperaret, itidemque dimidiæ horæ ſpatio nihilominus occideret. *Puellæ* quidem omnes vomitus beneficio mortem effugerunt, nihilominus tamen hujuſmodi convulſiones

expertæ

expertæ fuerunt, quæ abunde teſtarentur radicem hanc virulentiſſimæ indolis eſſe. Magis virulenta erat *Cicuta* Romanis *Hiſpanica noviſſima* dicta, de qua *Exc. D. Carolus Drelincurtius Medicus Regius in Galliis nec non Sereniſſimo Principi de Turenna gl. m. olim à Conſiliis Medicis, nunc vero Lugduni in Batavis Medicus Profeſſor Primarius*, ipſis Cal. Nov. 1677. ſcripſit ad me, Medicum quendam & Chirurgum Hagienſes in hortenſi deambulatione conſueta, menſe Aprili hujus anni Cicutam hanc ſaporis percipiendi cauſa ſuctu deguſtaſſe atque ambos citius quàm quadrantis horæ ſpatio mortuos fuiſſe: Idem in literis ſub finem hujus anni confirmat ac hoc veriſſimum abundè ſibi compertum eſſe fidem facit: quæ verò ante obitum excitarit ſymptomata & num multum ſucci in ventriculum demiſerint non memoravit, ſufficit citiſſimam mortem Veneni præſentiſſimi, teſtem eſſe.

In quo natura Veneni Cicutæ hujus aquaticæ ſita ſit, inquirere operæ pretium erit: vere enim *Exc. D. Wedel. de Med. Facultat. l. 2. ſ. 2. c. 1.* monet plurimos errores in forum medicum illatos fuiſſe, non conſiderantibus Medicis penitus, in quo Veneni natura conſiſtat, in eorum occulta qualitate ſola acquieſcentibus: ut hanc cenſuram Jure optimo multis exprobratam evitem, quid ſentiam libere exponam. Omnium Venenorum naturam excutere, intempeſtivum hic foret: ſufficiet tum hujus Plantæ, tum aliarum congenerum una eademque opera vim examinaſſe, quæ in ſubſequentibus experimentis pro virili ſtabilire conabor. Multis Viris doctiſſimis & non levem in naturæ ſecretis indagandis, magno rei Medicæ incremento, operam navantibus anſam dedit ſtatuere Plantas quoque Venenatas qualitate occulta edere effectus ſtupendos, poſtquam viderunt jam *Galeni* ætate, maximam Turbam ſequacium infeliciter illas à manifeſtis derivaſſe, ſeu à *Temperamento* ex quatuor elementorum Peripateticorum varia miſcela reſultante, quod *Exc. D. Bruno*

Dogm.

Dogm. Med. Gener. p.1. c.3. §.2. per ludibrium *Quintam Elementorum Eſſentiam* vocat ejusque doctrinam tot ἀνεμίδια peperiſſe, aut fumum nobis vendidiſſe veriſſime aſſerit atque illam merito ματαιολογίας damnat; maxime ſi à ſolo temperamento Venenorum vires diducere fautores conarentur: taceo ab aliis illos ſummæ impudentiæ accuſari, qui etiam horum Venenorum vires ſecundum temperamenta metiuntur, & indicibilem mixtionem oggerentes indicibilis pertinaciæ argui. Obſervarunt Viri etiam aſſidui rerum naturalium excultores, à Vegetàbilibus venenatis in quantitate exigua ingeſtis, brevi quoq; tempore, vehementiſſima ſymptomata, imo mortem ipſam inferri, quamvis multis medicamentis ſalutiferis, ex certis ſignis calidis aut frigidis, calore, frigore aut alia manifeſta qualitate impares & inferiores eſſent, atque experti ſunt has noxas in quibuſlibet etiam ſaniſſimis & robuſtiſſimis quacunque ætate, ſexu & temperamentis effeciſſe. Has occultas qualitates quidam à Cœlo deducunt & *Aſtrales* vocunt, ac præ cæteris in perfecte mixtis attendendas autumant; Alii *Eſſentiales* appellant, ſeu à forma ſpecifica cujuſlibet mixti oriundas. Aſtrales ſuis authoribus linquo, qui, ut *Creidan. Inſtit. Phyſic. l.1. tr.2. c.9.* loquitur, talibus qualitatibus rem explicare nituntur, videntur Deos cœlo vocare, ut ſolvant nodum fabulæ. De Eſſentialibus ulterius inquirendum & quænam hoc nomine veniant & quales in ſcenam producendæ hic ſint, diſpiciendum erit. Cicutam, etiam hanc aquaticam in primordio cum aliis rerum naturalium ſpeciebus à Deo O. M. creatam credo cum *Exc. D. Sennert. Pract. l.6. p.5. c.1.* & per ſe bonam & ad Mundi perfectionem abſolvendam & complendam pertinere, ac cum illo exiſtimo habere vires hominibus utiles, quæ etiam non usque adeo ignotæ ſunt, ut ſuo loco indicabitur. Creatura hæc Creatori ſapientiſſimo & potentiſſimo obediens ſemina produxit, atque ad hodiernum uſque diem in qualibet adultiore nova ſemina, ni aliunde impediatur,

diatur, ab ipſius Architecto, ceu æterni præcepti memore, pro gignantur. Architectus iſte in ſemine, quod totius plantæ compendium eſt, latet, imprimis in illa parte, quam gemmulam vocant & *Exc. D. Sim. Paul. Quadripart. Botan. Cl. 2. in Bona*, hilum eſſe evincit, cui conſentit *Exc. D. Hoffmann.* hic ἀρχὴν δ'ἐργαςικὴν ϗ ποιητικὴν locans: ibi in materia compacta, pingui, acri, ſpirituoſa, ceu viſcatus & incarceratus permanet, donec terræ congruæ creditus, emollitis involucris, calidioribus & Spirituoſis particulis à benefici ſolis radiis excitatis, provinciam demandatam adire quaſi invitetur. In actum autem ut loquuntur, deductus, aut ſepultus à Solis radiis ſuſcitatus quaſi Architectus iſte, involucris ſeu perruptis, ſeu oblongatis, deorſum protrudit radices, ſurſum emittit primum caules, utendo, ceu inſtrumento, θερμῷ ἐμφύτῳ ſeu calore inſito ſive congenito, in ſeminis ſale potiſſimum volatili & ſulphure ſeu pingui ſubtiliore locato: in radicibus efformat poros ad liquorem, futuræ plantæ alimentum admittendum, item in his, ut & in caule, cæteroque ejus ſyſtemate ſc. in ramis, pediculis, foliis, floribus, theculis, ſeminum repoſitoriis, parat varij generis fibras, ſub tegmina, pulpas, integumenta, porulos, meatus & ductulos, omnia artificioſiſſime, ſine Syllogiſmis aut Cynoſura, prout nimirùm in primordio creationis à ſapientiſſimo Creatore imperatum fuit, ipſeque ad conſervationem, augmentum & ſimilis ſpeciei conſervationem conſultum duxit: de qua re videatur *Exc. Malpighii. Anatome. Plantor. Elegantiſſima.* Liquor quem radicum pori admittunt, quique per poros meatus & canaliculos in totam plantam diſpergitur, illamque irrorat, non videtur eſſe pura puta aqua, ſed imprægnata vario ſale & ſulphure terræ, quibus ubique locorum abundat: quamvis enim obſervatum fuerit plantam peculiari vaſi incluſam, ex ſola aqua affuſa in molem inſignem excreviſſe, nihil parumvè de pondere, ad trutinam poſtea vocatæ, terræ deceſſiſſe compertum fuerit: unde enim plantis conſiſtentia &

K firmi-

firmitudo, quandoque lignea? In ſeminibus pingue? In cineribus ſal fixum cum terra, quæ nulla arte in liquorem redigi poteſt? In flamma ſulphur & ſal volatilis? *Helmont.* quidem *de Cauſis & initiis Naturalium*, ſolum duo Principia admittit, fermentum & Aquam, quàm alibi æquè Idiotis ac Philoſophis ignotam pronuntiat: in *Tr. de Natura contrariorum neſcia*, opinatur in ſemine vim tranſmutativam aquæ exiſtere, licet in proxime antecedentibus aſſeruerit naturam ſibi nunquam contrariari, imo horrere omne contrarium & quicquid unitatem turbat: atque ita ſibimet contrarius contrarium hic admittit: quis enim credat totius ſubſtantiæ immutationem ſine pugna fieri poſſe? Quis à ſe impetrare poſſet fermenta ſeminum, quæ Architectus ſunt cum θέρμῳ ἐμφύτῳ ejusque ſubjecto pingui ſalino, inſtar Lapidis Philoſophorum aquam ita transmutare ut tot tamque diverſiſſima ex hoc elemento inde reſultent? Si verò eum *Adeptis* modernis putet lapidem hunc ſe unire cum particulis ſcoriis plurimis involutis, atque ex harum puriorum cum illo, novo conjugio, Aurum emergere, naturam quidem contrariorum neſciam ſtabiliet, attamen ſimul concedere cogetur Liquorem quem plantæ per radicum poros recipiunt, non ſimpliciſſimum exiſtere, ſed ex diverſiſſimis particulis compoſitum, quamvis magis amicæ fermento ſocientur. Non equidem negarim liquorem recenter adventantem imbui ſalinis & ſulphureis particulis ſeminis, cùm à pauxillo quoq; bilis magna aquæ copia amarore & à paucis Spiritus Vitrioli guttulis aqua acore inficiatur, at illum propemodum in infinitum multiplicari, eademque principia vel millenis ſeminibus E. gr. in Cicuta quantitate & viribus paria impertiri incredibile eſt. Veritati magis conſentaneum videtur poros in radicibus ita conformari, ut cuilibet plantæ congruum alimentum admittant: ſic verum manebit non omnem terram non omnia ferre; ex pingui tellure uberiorem meſſem ſperandam; ſegetem lætiorem ex agris ſtercora-

tis

tis ſurgere, cujus cauſa etiam delectus ab agricolis habetur, ut videre eſt apud *Varron. de Re Ruſtic. l. 1. c. 38. 39. & 40.* ſic non abſurdum intelligetur in dumeto ex terræ ſpatio arctis circumſcripto terminis creſcere Oxyacantham, uvam criſpam, flammulam Jovis, liguſtrum, Viburnum, acetoſellam, violam, arum, herbam paris, primulam veris, moſcatellam Cordi, fumariam bulboſam aliasque viribus diverſiſſimas, quarum quælibet, non niſi ſibi congruum liquorem aut particulas poris adaptatas ſuſcipit: quòd etiam confirmat polypodium ex ramis quernis enaſcens, ſolùm dulci liquori aditum concedens per poros radicum, præteritis Vitriolicis quibus quercus ſcatent. Liquor admiſſus poſtea ſuccus vocatur atq; evadit proximum totius plantæ alimentum cujus particulæ à congenito & ſolari calore varie diſponuntur, ſubiguntur, uniuntur & ſegregantur, prout individui conſervatio & ſpeciei propagatio id requirit, donec in qualibet planta omnia ad ἀκμὴν ſeu ſummum vigorem pervenerint. Præter terram & aquam cuilibet plantæ ineſſe ſalina & ſulphurea principia teſtatur analyſis Chymicorum artificioſa, qua ex illis eliciunt Spiritus & olea ſale volatili & ſulphure prægnantia, ſal fixum: nuper *Exc. D. Wedelius peculiari libello* ex Plantis ſalis volatilis parandi modum ſeorſim docuit, ut, qui illum fumo & oleis permiſceri negant, palpare poſſint. Ab horum principiorum miſcela diverſa, prout nimirum unum alterum copia ſuperat, aut hunc vel illum ſitum nacta ſunt, hanc vel illam figuram acquiſiverunt, arctius vel laxius unita fuerunt, aliove modo tertium inde reſultavit, quamlibet plantam diverſam virtutem obtinere exiſtimo, quarum quælibet non abſolutè conſiderata ſed ad hominem comparata diverſos effectus edit: quod nemini mirùm videre debet, cùm idem Chymicorum ſolertia ex varia ſalinorum miſtione, exaltatione & obtuſione uni ſubjecto diverſas virtutes conciliare valeat: Exempli loco ſit *Mercurius* qui vivus vacuis ventriculo & inteſtinis in-

teger elabitur, cum ſalibus ſublimatus ventriculi & inteſtinorum tunicis pertinaciter inhæret, illas corrodit, rurſus cum vivo ſublimatus dulceſcit, blandius & ſecurius magiſterio Gialappæ purgat; ☿ vitæ, frequens nunc Caſtrenſium Chirurgorum præſidium, ſurſum deorſumque movet: *Nob. D. Heinricus Screta à Zavorziz* verè Philoſophus Chymicus parat his ☿ diaphoreticum, præſtans auxilium in dolore Iſchiadico & Lue ♀. Plura hujuſmodi in Chymicorum libris reperiuntur. Has plantarum δυνάμεις quiſpiam Eſſentiales, ſpecificas, aliové nomine per me nuncupare poterit; nec forte admodum abſone, cum ex ordinatione & diſpoſitione Architecti emerſerint tales, quales poſtea effectibus ſe præſtant: non tamen ac ſi ab illo emanent, cum etiam abſente & pridem perdito illo permaneant in pulvere, ſucco expreſſo, etiam in extracto: non enim credere poſſum Ex.gr. in planta purgante à Capra comeſta, in quatuor ejus ventriculis variis modis attrita, in inteſtinis portione ſucci cum Chylo, hinc cum ſanguine mixta, ad mammas tranſportata, lactique confuſa, mediante nutrice poſt varias rurſus immutationes, infanti communicatâ Architectum ſalvum manere, utcunque veluti extractum, tandem ad infantem pervenerit. Si quis formam ſubordinatam his principiis præeſſe putet, in quibus aſſerendis multam operam impendit *Cl. D. Kergerus*, ſub cujus præſidio unita detineantur, per me quilibet ſuo ſenſu abundet, attamen ſi attenderit ad labores Chymicorum intelliget & hos ſæpiùs talium formarum artifices evadere, quod plures Phyſicorum non concedent, qui ab arte formam ſubſtantialem ludi poſſe, quod equidem ſciam, pernegant. Architectum in plantis accidens eſſe neutiquam dixerim, cum in omnibus plantis conſtanter obſervetur à primordio creationis, ſummo Numini obſequentiſſimus diſponatque tam ſtupende omnia, ut potiùs admirari, quam verbis artificium exprimere liceat, neque enim tertium nomen novi, ſervetq; ſibi *Helmontius* ſuum

fermen-

fermentum, quod neque ſubſtantia neque accidens ait, ſit Elia, Lælia, Criſpis, nec Vir neque fœmina neque Hermaphroditus: & tandem nihil: non tamen in examine virtutum medicamentorum aut virulentiæ Venenorum curioſius illius naturam attendendam exiſtimo, cum quoque Veteres in excutiendis plantarum temperamentis non uſque adeo de Elementorum aut mixti formis ſolliciti fuerint. An verò Virtutes iſtæ plantarum occultæ ſint & ita prorſus abſconditæ, ut omnes ſenſus fugiant, de illis Judicium ſuſpendendum exiſtat, Venenatæque illudant curioſis, valdè dubito, credoque cum *Cl. D. Creidano*, cum omnes oriantur ex certa materiæ diſpoſitione, in quam ſi reſolvendo indagemus, nullam uſque adeò occultam permanſuram, & ſi occultæ maneant potiùs incuriæ aut torpori noſtro adſcribendum eſſe. Primò enim Principiorum iſtorum materialium, quæ potiſſimum in conſiderationem apud Medicos veniunt, indoles non uſque ignota eſt, quin quoque Γαληνωκόται ipſis effectus manifeſtos, ceu à cauſa perſpecta & clara, nullis obſcuritatibus involuta provenientes adſcribunt, quamvis quidam illa principiata, aut elementata appellent, iniquè quidem cum vix in alia reſolvi queant, aut ſi reſolvantur, id fiat potius phantaſia, adeo ut vel nulla unquam talia in rerum natura extiterint, vel ſaltem non hujus fori ſint, nec unquam cauſæ morborum habita fuerint. Attribuunt iſti ſalibus quibuſdam vim abſtergendi, vellicandi, irritandi, rodendi; quibuſdam auſterioribus vim corrugandi, aſtrigendi; quibuſdam acidis attenuandi; ſulphureis & pinguibus vim deliniendi, laxandi, emolliendi, inflammandi & ſexcenta alia; cuiuſmodi effectus ſi quispiam occultis qualitatibus imputaret, ignorantiæ, imo inſaniæ nomine ipſis vapularet. Chymici induſtria ſua principia hæc exaltantes & puriora ſiſtentes, aut artificioſe denuò permiſcentes effectus illorum clariſſimos, oculis conſpicuos & manibus palpabiles, exigua quantitate, brevi tempore prorſus admirabiles,

biles, iis præcipue qui horum principiorum ignari ſunt, palam nunc in Theatro Medico proponunt: pugiles inſuper Alkali & Acidum mirandorum effectuum authores in ſcenam producunt, quos non ſolum extra corpus commiſſi præſtant, ſed etiam in corpore noſtro prudenter admiſſi edunt cum ſanitatis emolumento. Hæc plurimis Viris præclaris & incremento rei Medicæ invigilantibus anſam dederunt Morborum cauſas & medicamentorum vires ab hujuſmodi principiis derivare & cum præviderent nova multis ſordere, *Hippocratem de Priſca medic.* in ſubſidium adduxerunt, quem ibi multis aperte ſuccenturiantem habuerunt, cum ſtatim in exordio hypotheſin in cauſis morborum & mortis calidum, frigidum, &c. ſibi figentes aperte errones conſpicuos appellet, ac in contextu ſatis clare in his non ſubſiſtendum probet. Quamobrem *Exc. D. Sennert. de Conſ. & Diſſenſ. cap. 16.* ingenue fatetur, non ſolum ex qualitatibus primis humorum differentiam & Cauſam ſatis explicari poſſe, ſed ſpecialius & per propiores qualitates determinandam eſſe; quod in progreſſu orationis ſeu manuductore, ſeu monitore *Hippocr.* ſecundum hæc principia nervoſe præſtat: ut & *Exc. D. Bruno Dogmat. Med. General. p. 2. c. 7. c. 8. & c. 9.* It. *Cl. Wilhelm. de Rhyn. in Meditat. in t. 24. de Priſc. Med.* & *Exc. D. Ettmüller. Diſputat. in eundem Textum*, qui videantur ceu hujus aſſertiones illuſtratores eximij. Quibus addi poſſunt *Cl. Takenij Hippoc. Chymic. Ejusd. Clav. Hippocr.* quamvis potiſſimum occupetur in explicandis Acidi & Alkali naturis, pugna indeque reſultantibus productis. Imprimis his facibus prælucentibus medicamentorum facultates feliciter in apricum protraxerunt *Celeb. D. Willis* tùm primum *in libr. de Fermentatione & de Febribus*, tùm poſtea *in lib. de Anima Brut:* & præcipuè in *pharmaceutic. Rat. Exc. D. Joh. Dan. Ludov.* in aureo libro *de Pharmacia noſtro ſeculo applicanda. Exc. D. Wedel. de Medicam. Fac. Exc. D. Bruno Dogmat. p. 6. c. 2. Exc. D. Nic. Pechlin. de Purg.* in quibus plurima occurrunt hæc ſtabilientia,

tia, quæ huc transferre non lubuit: Benevolus Lector ipſos hos fontes adeat, ſæpiùs repetitæ lectionis non pœnitebit, nullusque dubito quin in poſterum *& Hippocrati & Veritati* ſint litaturi: & poſtquam res intellexerint, non deerunt vel conceptus, vel verba, de quibus alias occultarum qualitatum Patroni ſolliciti ſunt. Imo Venena quatenus ſeri & ſanguinis σύςασιν & intimam miſcelam violenter impugnant, non tàm occultis quàm manifeſtis qualitatibus agere conſtabit ut *Exc. D. Wedel.* ait *de Med. Fac. l. 2. p. 2. c. 1.* à quo non multum diſſentit *Exc. D. Bruno Dogm. Med. Gen. p. 2. c. 8. §. 10.* quorum operandi modum quatuor poſitionibus determinat atque ex ipſius ſententia Venena 1. Quædam magis evidenter agunt in ſanguinem, quædam in Spiritus animales. 2. Alia nimium humores & ſpiritus fundunt, colliquant & exagitant; alia figunt & congelant. 3. Alia mixto modo lædunt. 4. Alia tardiſſimè nocent. Omnia patentiora fient ſi ſingulorum venenorum effectus, ad rationem principiorum materialium plantarum examinabuntur: Si verò alicubi aqua hæreat & propter variam illorum & vix penetrabilem mixtionem quiſpiam ſe extricare non valeat, obſervet modum generationis morborum, ſeu ordinem cauſarum & operandi rationem qua remotæ propinquas & hæ morbum producunt, imprimis quo modo vel in humores & ſpiritus, vel in partes agant illasque afficiant, vel in humores, ſpiritus & partes ſimul, quæ alias in aliorum morborum Generatione obſervanda ἀξιολόγως monet *Exc. D. Bruno Dogm. Med. Gen. p. 2. c. 9.* Cùm ſalia varias figuras habeant, & aliter atque aliter ob connubium particularum ſulphurearum efformentur, quæ in partes ſenſu tactus præditas, nondum turbatis humoribus agunt, non abs re erit ſi & horum ſpicula ad explicandos venenatorum effectus arripientur, cum harum partium læſiones ſæviſſima Symptomata conſequantur, toto Syſtemate animali in conſenſum rapto, ſeu ut *Helmontius* loquitur Archeo furioſo reddito, unde Spiritus

& hu-

& humores admodum turbantur, quamvis E.gr. nihil adhuc Venenatorum effluviorum ſanguini permixtum fuerit, vel ſaltem nondum hac proportione quæ horum ſyſtaſin gravius perturbare, aut peſſumdare per ſe poſſet.

Caput VIII.

Generationibus præmiſſis, videndum nunc quibus qualitatibus inſtructa, & qua ratione vim ſuam *Cicuta* hæc *aquatica* in ſingulis exſeruerit. *Jacobus Maderus* Cicutæ hujus radices maſticatas aliquandiu intra ventriculum detinuit, & lætus ſubridenſque domum rediit: interea radicum fruſtula in ventriculo à liquore illius, quo ſemper in omnibus hominibus madet, emollita fuerunt, ſuccus ejus prolectus liquorem tinxit, qui tunicæ cruſtaceæ poros ſubiens, procul dubio tunicam nerveam vellicando plus liquoris emulſit, nam poſt obitum, ceſſante fibrarum conſtrictione, multò majore copia ſpuma virore quidem tincta ex ore à ventriculo regurgitans, toto reliquo diei & noctis ſpatio ad horam ſepulturæ emanavit, quam ex plurimis radicibus, quibus capiendis ventriculus multis modis impar fuiſſet, exprimi potuiſſet. Liquorem iſtum ventriculi, quem fermentum ejus exiſtimo, ſi non glandulæ (quas quidam jam invenerunt, ſed ſolitarias ſimileſque inteſtinorum) ſaltem extrema capillamenta arteriarum fundant, idque forma liquoris, qui mora in ventriculo à calore lentorem acquirit, ac mucoſus evadit, non ſecus ac ſerum ſanguinis & lympha: quotieſcunque enim ventriculos tum ruminantium, tum aliorum animalium, etiam humanos perluſtravi, deterſis omnibus contentis, omnique humido iteratis vicibus exſiccato, dum ventriculum, fibras & nervorum diſperſionem inquirendo, varie ver ſabam, ſæpiſſime rurſus intus maduit & ſæpe ſatis largiter: imprimis id mihi evenit in examine Ventriculorum hominis, ſuum, canum,

canum, rupicapræ, ovium; & quamvis, præcipuè in ruminantium ventriculis, ob copiam liquoris ſæpius regurgitantem, ſperarim apiculos, imprimis in κοιλίᾳ μεγάλῃ, perforatos fore, tamen nullo ingenio nec oculo catoptro armato conſpicere potui, licet in ſingulos apices deſinat papillula, ſeu lingula mollicula humidiuſcula: tandem tamen nuper in ἐνύστρῳ Vaccæ & vituli plures ſolitarias inveni, attamen liquor ille neutiquam ad tres ſuperiores ventriculos aſcendere valet, utcunque ruminent, quod facile videbit, qui attentius hos perluſtrabit. Fermento ſtomachi à radicum iſtarum ſucco jam nimium, quàm tenelli pueri interior ventriculi ſuperficies perferre poſſet, ſaturato, circa præcordia dolere cœpit; nimirùm illud poros tunicæ cruſtaceæ, ſenſu deſtitutæ, tranſiens, attigit tunicam membranoſam, illam ubique, vel ſaltem circa ſtomachum & pylorum Antrique ejus portionem, utpote nervoſum admodum afflixit, doloremque in ventriculo, quem vulgus cordi adſcribere ſolet, excitavit. Vix verbum effatus humi proſtratus, urinam ad viri altitudinem eminxit, non quod Veſica à Cicutæ vi quadam diuretica, fuſo ſero, adimpleta fuerit, nam parum, vel nihil omnino liquoris Cicutæ ſucco imbuti ad maſſam ſanguineam perveniſſe, poſtmodùm probabile reddere conabor, verùm quia alias urina impleta ſubito conſtricta fuerat: mox etenim Epilepſia, ſeu vehementiſſimis motibus convulſivis exagitatus fuit, cùm omnium ſenſuum internorum & externorum, etiam tactu incute non excepto, abolitione; nam nec acclamationibus nec vellicationibus excitari poterat, ſive univerſum ſyſtema animale ad ſuppetias ferendas à ventriculo afflicto ſollicitatum fuerit, ſive non ultima ſui portione truculenter irritata, furiosè conſilii inops hos terribiles tumultus inſtituerit. Utcunque autem tactus in cute, paroxyſmo durante, abolitus fuerit, in ventriculo tamen perſtitit, nam in ipſo inſultu epileptico vomituriit, ſingultiit, tumor inſignis magnitudinis apparuit, qui mœſti pa-

 tris

tris & miſerandi puelli præcordia graviter feriit & ceſſante paroxyſmo matris opem imploravit anxius, nondumque mentis compos. Vomendi nixum neceſſario præcedere debuit ſenſus & perceptio aliqua rei moleſtæ in ventriculo, non enim motus, isque vehemens & iteratus ſubſecutus fuiſſet, niſi ab afflictione ad objectum permoleſtum excutiendum inſtrumentis motui dicatis imperatus fuiſſet; irritus fuit quamvis validus eſſet, quia obſtitit occluſio vel ſtomachi, vel gulæ mediæ, vel etiam extremæ, convulſo quoque muſculo pharyngæo, ſeu illius ſphinctere & licet forte impetui aliquantulum ſtomachus & gula ceſſarint, & aliquis ſonitus ex ventriculo ceu vomiturientis exauditus ab aſtantibus fuerit, irritus tamen fuit, quia protinùs à vehementiſſimis convulſionibus hæ partes rurſus coarctatæ fuerant; ſecus ac puellis evenit, in quibus gula impetui ventriculi ceſſit ac cum certo & brevi auxilio infenſo hoſti radicibus nimirum, eliminationem permiſit. Tumor in præcordiis, qui non niſi ventriculus erat, in propatulum venit, quia fibris circa utrumque orificium conſtrictis, flatibus, liquoribus & radicibus omnis exitus intercludebatur, unde neceſſario in hanc molē aſſurgebat: at quoque hæc orificiorum conſtrictio ſenſum præſupponit. Singultum equidem fateor præcipue à diaphragmate edi, probantibus hoc vibratione quæ circa præcordia obſervatur, non raro cum reſpirationis vitio, ſonitu, qui non tam oritur à flatu per gulam emiſſo, quam ab aere per aſperam arteriam eliſo & in larynge fracto & mitigatione ejus, quandoq; omnimodo ceſſatione ab aeris retentione, ſeu voluntaria exſpirationis inhibitione. At quoq; non negabitur frequentiſſime diaphragma ad hunc motum incitari à Ventriculo præcipue circa ſtomachum afflicto, ſic ſæpe ſupervenit cibis acrioribus comeſtis; novi aliquot quibus piper hoc ſymptoma effecit; oritur non raro à nimio infarctu; ceſſat vomitu rejectis, ventriculum moleſtantibus, aut ab aſſumptis illecebram demulcentibus; cuidam diuturnus ſingul-

tus

tus tollebatur continuato potu emulſionis amygd. dulc. quidam ipſum ſopiunt iteratis potulentorum ſorbitionibus, cujus tres ſuperſtitioſum vulgus ſuadet. Nec mirùm eſt à Ventriculo gravius vexato diaphragma ad hunc motum ſtipulari, illudque conari ipſi hac ſuccuſſione ſuppetias ferre, nam gula illud non ita libere tranſit, quin potiùs undique ſupernè gulæ propè ventriculum, mediante membrana ipſi cum pleura communi & inferne propè ſtomachum mediante membrana cum peritonæo communi connectitur; inſuper à diaphragmate reliquo, ubi gula illud permeat, filamenta & membranæ nerveæ arctiſſimæ uniuntur, & ulterius aliquo uſque exporriguntur atque etiam cum fibris ventriculi rectis potiſſimum coaleſcunt. Propter hoc conſortium diaphragmatis & Ventriculi inflatus, quoque ſuccuſſus fuit, ac Tumor ille pueri diaphragma & præcordia & manum patris inter medias convulſiones epilepticas verberavit, concurrentibus forte fibris ventriculi rectis pylorum verſus ſtomachum aliquantum adducentibus. Ventriculi internam ſuperficiem undiquæque ſenſu quodam præditam eſſe, multa ſunt quæ probant, qui tactui annumerandus videtur, niſi ſenſus multiplicare ſine neceſſitate velimus, nam præter eſuriem & ſitim, varios dolores & ardores non ſolum ab aſſumptis alimentis, medicamentis & venenis protinus aut aliquandiu poſt inglutitionem, ſed etiam ab humoribus aliisque heterogeneis in illo collectis vel aliunde huc transportatis experitur: & quidni objecta perciperet? Cùm intus undiquaque ſuccingatur membrana nervea propterea ſic appellitanda, quin in illam nervi inſignes ſtomachici deſinunt & expanduntur: imò acutius cute tùm integra, tum à cuticula denudata objecta tactilia animadvertere videtur, utcunque harum qualitatum norma reputetur: ſentit hæc ventriculi membrana ſpicula antimonii, quæ tolerat cutis integra & excoriata, utpote medicamentum topicum ſine morſu exſiccans; illud ſine noxa aut irritamine admittunt oculi in

collyriis, licet acutiſſimè præ cute ſentiant; imo apiculi nervei linguæ, ſaporis organa adæquata, minus ab illius ſpiculis affici, quilibet facto periculo explorare innoxie poterit. Quantum ſenſus in Ventriculo tactum cutis præcellat, non ſolum Antimonio ſimilibusque cuti plane non moleſtis, aſſumptis innoteſcit, ſed quoque ipſamet *Cicuta aquatica* documento eſt: nam teſte *Wiero apud Cl. Smetium Miſcell. Med. l.4. Epiſt. 11.* Chirurgi Ditmarſenſes radices ejus ſtuppa involutas, ſub cineribus aſſatas & cum melle fuſas, forma cataplaſmatis, tumoribus in abſceſſus verſis in arthritide vaga imponunt. *Dioſc. de Mat. Medic. l.4. c.79.* Cicutæ ſuccum inſpiſſatum vocat πολύχρηστον εἰς τὴν ὑγιαστικὴν χρῆσιν, ibique ait collyriis anodynis commode miſceri, herpetem & Eryſipelas reſtinguere: herbæ comam contuſam teſtibus appoſitam ὀνειρώττουσι opitulari: lac extinguere; in virginibus incrementa mammarum prohibere. *Dioſcoridi* aſſentitur magnus Herbariorum numerus ſive ex credulitate quadam, ſive veritatem quoque experimentis didicerint, Videatur *Trag. Herbar. l.1. c.159. Exc. D. Caſp. Hoffmann. de Medicin. Offic. l.2. c.67.* Cicutæ radicem cum Gumm. Am̃oniaco ſecretum contra duritiem nervorum proponit. *Exc. D. Joh. Rhod. ad Scribon. Larg. in not. 179.* ad duritiem Lienis Empl. de Cicuta profert, cujus inventorem prædicat *Joh. Heurnium*, miraturque à Londinenſibus ejus nomen taceri: ſimile ad eandem duritiem commendat *Cl. Fabrit. Hild.* Nemo horum meminit Cicutam afflixiſſe unquam cutim, eaque læſa ullam partem in conſenſum raptum fuiſſe. Sæpius Liene magno præditis Empl. de Cicuta *Fabr. Hild.* quod in Officinis noſtris proſtat, imponendum curavi, ut ex tumoribus duris ab humore viſcido craſſo in artubus applicui, quod Ægri non ſolùm per ſeptimanas, ſed etiam per plures menſes, innocue geſtarunt: quin etiam ex radicibus recentibus Cicutæ aquat. ſuccum expreſſi, radices contuſas diù manibus verſavi ac canibus & lupis intrudi absque ullo ſenſu vel

minimæ

minimæ moleſtiæ, quamvis manus & digiti ſæpè diù ſucco hoc maduerint. His non adverſabitur unica *Borell. Hiſt. & Obſ. c. 2, Obſ. 3.* de Matronâ Nobili Cicutam mammæ ad imminuendam illam admovente, indeque mortem contrahente, cum ſine Symptomatum aliarumve circumſtantiarum recenſione hoc referat. Non tamen negarim tactum circa ſtomachum & pylorum magis vigere & acutiorem eſſe, quam in reliqua interna ſuperficie ſive fundi, ſive laterum, ſive ſuperni tabulati, non quod membrana nervea in his partibus minus nervis dotetur, quàm pylorus & ſtomachus, ut quidam opinantur, intuentes ſolummodo plexus inſignes nerveos ad hos foris accedentes atque undique amplectentes, cum nec mole, nec numero nervea filamenta magis membranam nerveam hic quàm alibi dotent, omnes enim ulterius diſperguntur & partim fibris uniuntur, partim in hanc membranam expanduntur atque ita obliterantur: Cauſa potiùs vegetioris tactus eſt, quia membrana nervea in pyloro & ſtomacho magis in propatulo & nudior eſt, quàm in cætera interna ſuperficie: obtegitur enim tunica mucoſa, hoc nomine inſignienda, quia in homine multiſque animalibus quadrupedibus unico ventriculo prœditis ſtatim poſt obitum aperto ventriculo, nihil niſi mucus pellucidus eſſe apparet; ſi verò ſpiritu vini maceretur, aut ei fervida affundatur in cruſtam opacam & veluti villoſam degenerat, quàm magna cautione adhibita propè integram ſenſim à nervea ſeparare potui. Hæc tunica ſive mucoſa, ſive cruſtacea neutiquam ſenſum abolet, aut planè impedit, quamvis illum moderetur atque efficiat, ne quibusvis injuriis obnoxius ſit ventriculus, non ſecus ac cuticula cutim contra has munit. Fateor quoque tunicam hanc non ſolùm pro diverſitate animalium aliter atque aliter ſe habere, atque in quibusdam admodum craſſam, denſam & tenacem eſſe, indeque fieri quod quædam aliis Venenum, aliis alimentum exiſtant; verum etiam in eadem ſpecie animalium, Ex. gr. in homine varia-

re, unde quidam facile cujuscunque generis fercula optimè tolerant, alij facile à dulcibus, acidis & acribus etiam in parva quantitate ingeſtis læduntur : novi quosdam qui juſcula ferviſſima, ſine moleſtia inglutierunt: Forte Anus Attica apud *Galen.* & Fœmina Batava, de qua *Nic. Fontan.* Cicutam ſine noxa devorarunt, denſiore quoque cruſtacea præditæ erant; fortè etiam talem nactus eſt Cultivorus Baſileenſis *Miſcellaneor. Curioſ. Ann. Tert. Obſerv. 178. ab Exc. D. Joh. Rudolf. Burkardo P. P.* communicata, qui bufones, lacertas, aliaque abſurda devoravit. Ipſam cuticulam ita denſari & craſſeſcere ruſtici, Fabri ferrarii aliique labores duriores peragentes docent, ut præ aliis qui mollicule cuticulam curant, vaſa calidiora impune attingere, aut apprehendere audeant: Vidi Blombergæ metallurgos Leodicenſes maſſas ferreas ignitas plantis pedum calcaſſe, imo rivo ferri fluidi ex fumo emananti digitorum apices immerſiſſe, ac propè manipulum hujus in vicinum parietem ejaculaſſe, qui in minutiſſimos globulos plumbeis ſimiles quibus aviculæ ſclopetis petuntur, ſecedebat: inſpectis & tactu exploratis digitorum pulpis, deprehendi cuticulam ibidem prope in corneam duritiem immutatam & verè impenetrabilem poſt tot aduſtiones redditam fuiſſe: nullæ veſicæ, nullæ cruſtæ novæ à candente ferro excitabantur, nec plus doloris, aut afflictionis alicujus perſentiebant, quàm propemodum lapis aliudve omni ſenſu deſtitutum.

Ventriculum prævio & imperante ac inſtigante ſenſu moveri, plurima ſunt quæ ſuadent; cum utrumque orificium pari altitudine locatum ſit, imo in alitibus Pylorus prope altior ſtomacho ſit, neceſſario movendi vi donatum eſſe oportet, non enim ſua ſponte, aut pondere ventriculum ceu canalem aſſumpta permearent, ſed immota in fundo cum animalis pernicie reſtarent; naturaliter igitur ventriculus illa amplectitur, potulenta citiùs, quàm vulgo putatur exprimuntur, craſſiora verò, poſtquam

quam aliquomodo ſubacta fuerunt, ſenſim eliminantur ac in duodenum per pylorum protruduntur: id fit ſine magno ipſius labore, aut afflictione aliqua, quia expulſio peragitur blande & lente. Præter naturam & inverſo motu periſtaltico, in vomitu & ructibus plerunque, non ſine anxietate ac violentia perficitur: & quamvis in lienteria & fluxu cœliaco naturali affinis ſit, non tamen omnis moleſtiæ expers eſt & non raro cardialgiam quandam conjunctam habet. Motum ventriculi oculis obſervare licet in vivarum beſtiarum anatome, & non ſemel vidi illum conſtringi lente verſus ſtomachum ſubſequente vomitu, aut verſus pylorum contentis in duodenum exploſis; nonnunquam gracilior & brevior reddebatur; mox iterum intumuit, ſubſequente rurſus nova coarctatione, quæ vel verſus pylorum, vel ſtomachum progrediebatur. Motus iſtos peragit fibrarum beneficio; quarum maximè conſpicuæ ſunt exteriores rectæ, internæ & his ſubjacentes circulares: à rectis ſe contrahentibus undiquaque ventriculus brevior & gracilior evadere videtur, à circularibus motu periſtaltico pergente undiquaque latera ſibimet accedunt & contenta propelluntur: præter has manifeſtiores, ſunt aliæ tranſverſæ minutiſſimæ fibrillæ, quarum beneficio rectarum & circularium ſtamina ſeu fibræ connectuntur, & in motu quodlibet fibrarum genus ſibi appropinquat; præterea rectæ & circulares harum interventu junguntur & in motu ſociam operam præſtant; denique etiam ab his ubique per totam ventriculi peripheriam quàm plurimæ ad membranam nerveam exporriguntur, quibus debetur conſenſus fibrarum manifeſtiorum & hujus membranæ; illæ quoque anfractus efficiunt, unde ſeparato fibrarum tegmine obliterantur anfractus, ac nervea in ampliſſimum receptaculum diſtendi poteſt. Non poſſum non hic duo paradoxa inſerere; primum eſt Fibras ventriculi & inteſtinorum, addo etiam cordis & omnium muſculorum, nihil niſi nervos eſſe, aut proximè ad illorum naturam accedere, certè ſi quis perſequa-

tur

tur cum ſolertia quadam nervos muſculos ſubeuntes, obſervabit nerveas fibrillas arctiſſime uniri & in unum corpus coaleſcere, & licet nervus muſculum tranſiens non omnis in fibras illius impendatur, id tamen in vicinis muſculis fit atque eo uſque progrediuntur, donec tandem in membranas, adæquatum tactus organon, abſumantur hacque ratione terminentur. Non hoc propterea cuipiam abſurdum videatur, quod nervi corpora mollia minuſque tenacia ſint prætereaque minuta, ut hanc ob cauſam impoſſibile ſit tot fibras in tota corporis fabrica conſtituere: molles eſſe nervos intra ſpinalem medullam, ut cæteros quatuor ſenſibus inſervientes prætercam, contentos indeque elabentes aliquouſque, ultro fateor, at paulo ulterius progreſſi non ſolùm tenaciores ſed & craſſiores evadunt, alicubi ganglia pro majore robore indultu beneficæ naturæ aſciſcunt: qui dubitat perſequatur ſolummodo nervos crurales ab exitu ex oſſe ſacro & lumbarium vertebrarum oſtiis ultra coxas, inveniet infra coxam nerveum faſciculum majorem, craſſiorem multis vicibus quàm circa ortum erat: dum hæc ſcribo, faſciculum hunc examinavi & in fibras, ventriculi & inteſtinorum fibris tenacitate & firmitudine nihil prorſus cedentes, dirimere potui atq; ut in ventriculo, inteſtinis, Corde & muſculis aliis tranſverſis fibrillis connectebantur; quælibet quoque fibrarum iſtarum nervearum more aliarum fibrarum in minutiſſima filamenta diſcerpi poterat, videbaturque major moles & robur nervis accedere quo magis à ſua origine diſcedunt. Aliquando nervum inſignem è cranio emergentem ſub inferiore parte orbitæ oculi verſus roſtrum progredientem in Anſere ſene proſecutus ſum, qui ortui vicinus mollis erat & quamvis plurimos ramuſculos vicinis partibus & naribus ſuppeditaret, non tamen moles multum imminuebatur quo magis ab origine diſtabat tenacior evaſit, & tandem in extremitate roſtri ſuperioris planè in lamellam oſſeam degeneravit, non ſecus ac in gallinaceo genere tendines

muſcu-

muſculorum pedes imos flectentium & extendentium oſſei frequenter fieri comperiuntur. Alterum paradoxum eſt, fibras inteſtinorum & ventriculi, imo etiam cordis aliquandiu vim movendi ſe retinere emortuo animali, utcunque dicatur cor primum vivens & ultimum moriens. Vidi ſæpè in ovibus mactatis, inciſo à lanionibus abdomine, viſceribus adhuc calidis diù inteſtina motu periſtaltico ſurſum deorſumque moveri ac chylum exprimi. Aliquando Ventriculos & inteſtina capræ cum hepate, Liene & meſenterio ex recenter mactatæ ventre in macello eximenda ac in domum meam deferenda curavi; tabulato his viſceribus impoſitis, κοιλία μεγάλη obſcurè quidem ſubinde contrahebatur, at inteſtina ultra dimidiam horam motu periſtaltico mire & celerrime movebantur, & cùm quædam pinguedine jam alicubi congelata ipſaque prorſus perfrigefacta à motu ceſſarent, nihilominus alia his ſubjecta adhuc calida motum vel ſponte, vel irritata continuabant. Anno *1676.* Felis aliquot fœtus vivos peperit, unicum mortuum: poſt partum ægrotare cœpit, omnes cibos etiam carnes faſtidivit, impenſe ſitiit, ad vicinum fontem excurrit, avidiſſimè iteratis vicibus bibit: 25. Aug. hora 10. Antimeridiana mortua eſt; hora prima meridiana Ventriculum & inteſtina cum *Nob. D. Joh. Conrado Pejero Anatomico dexterrimo* exemi, perluſtravimus illa ac imprimis in glandulas inteſtinorum inquiſivimus: Uterum inflammatum & lochiis nigerrimis putridis infarctum invenimus, hicque mortis cauſam latuiſſe putavimus: circa 2. pomeridianam *D. Pejerus* Chyli receptaculum aliam ob cauſam tubulo inflavit, protinus primum auricula dextra micare, mox totum Cor ſyſtole & diaſtole, quamvis cadaver rigidum & frigidum eſſet, moveri cœpit, hanc veriſſimam & animalibus vivis apertis alias conſpicuam ſyſtolen & diaſtolen ad ſeram veſperam continuavit, cum omnium ſpectatorum ſumma admiratione; & ſi forte rythmus iſte elangueſcebat, poſt novam inflationem pro-

M tinus

tinus vivæ inſtar redintegrabatur ac pari alacritate perficiebatur. Idem non diu poſt hæc tentavit *Cl.D.D.Joh. Conrad Brunner*, *Anatomicus ſolertiſſimus, Gener meus* in Cane moloſſo, cui pancreatis ductum filo arctiſſime conſtrinxerat aliquot ſeptimanis ante hanc anatomen: exemptis ventriculo & inteſtinis & examinato ductu pancreatico, num ſc. penitus occluſus eſſet, poſt longam moram diuque jam emortuo cane, ab inflatione receptaculi Chyli cor denuo moveri vera ſyſtole & diaſtole cœpit, ac pluribus horis hunc motum continuavit, donec auricula ſc. dextra exaruit. Integram Hiſtoriam aliaque circa ductum pancreaticum tentamina deſtinavit *Inclyto Collegio Curioſorum Germaniæ*, quam propediem ſuppeditabit. Idem aliquando in taxo inflata vena cava tentavi, cum Chyli receptaculum jam à canibus venaticis lacerum eſſet, verum vix unam alteramve micationem Cordis auricula edidit, reliqua mole immobili permanente.

Aliquoties Catellos projectos vivos, ad motum ventriculi, inteſtinorum & Chyli aliaque mihi potiſſimum, in medendo aliquando profutura obſervanda aperui; vidi ſæpius omni ſenſu & motu abolitis, imo detruncato capite, Cordis motum, ſyſtole & diaſtole ritè alternantibus, plurimis horis integrum perſtitiſſe. Forte talis vita fibris Uteri permanſit ſuperſtes in fœminis, quæ poſt obitum fœtus vivos aut Embryones excluſerunt, niſi enim fœtus impulſus fuiſſet, non conſtaret modus, quo fœtus vel Embryo clauſtra hæc perrumpere potuiſſet; quamvis *Exc.D.Bartholin. Anat. Reform.l.1. c.28.p.m. 275.* aliter ſentire videatur. Non autem hæc eo dicta velim ac ſi Ventriculus, inteſtina, cor & uterus ſibi proprium motum vindicent, nec à cerebro & cerebello pendeant; nec in dubium voco præclara experimenta *Exc.D. Willis Anatom. Cereb.c.23. p.194. aut Exc. D. Loweri de Cord. c.2. p.86*: nam certum eſt denegato influxu à cerebro & cerebello, harum quoque partium motum tandem abo-

leri:

leri : id non ſolum apoplexia , ſed violentæ quoque præciſiones medullæ ſpinalis , aut nervorum paris vagi : eorumque ligaturæ abunde teſtantur ; ſolummodo hoc innuere volui , in fibris harum partium ſenſus alicui & motus inſtrumentum pertinacius inhærere, nec tum cito , ut alibi , evaneſcere , quod *in l.c. Cl. D. Lovverus* etiam concedit , dum aliquem motum ligato pari vago cordi permanere non negat , licet illum nervis intercoſtalibus tribuat. Sic quorundam animalium Ex. gr. Lacertarum & ſerpentum caudæ aliaque trunci fruſta diu varie ſe torquent ; ſic Cor anguillæ & Lucii piſcis exemplum diu ſyſtolen & diaſtolen peragere creduntur. Fibrarum iſtarum actio , ſeu motus eſt contractio , in qua in ſe coëunt & breviores ſimulque graciliores fiunt : nimirum nulla fibra eſt, utcunque ſimplex appareat , quæ non in hac contractione , antea laxior , mollior & planior , fiat rotundior , gracilior , durior, denſior & brevior; quod conſpicitur manifeſtè in motu inteſtinorum , ventriculi , cordis in ſyſtole ; imo etiam muſculi anguſtiores , duriores & breviores evadunt , utcunque in medio in ventrem attollantur : Deinde dum fibræ contrahuntur videntur inciſuræ quædam ſeu ſulci transverſi , breviſſimis intervallis diſtantes : id in fibris oblongis & circularibus majoribus ſeorſim ſeparatis , frigida aut tepida maceratis ac orbi aut aſſeri plano parum humectatis impoſitis, manifeſtius conſpicitur , quàm ut verbis exprimi poſſit. Contractio iſta fibrarum ſæpè pertinaciſſima , firmiſſima ægreque ſolubilis eſt : obſervavi in inteſtinis colica defunctorum & animalium quibus purgantia aut corroſiva intrudi, tàm pertinaciter ſe conſtrinxiſſe , ut flatus aut contenta inter duas contractiones intermedia , vix ulterius propellere potuerim. Novi Illuſtriſſimum quendam dominum pugnum tam arcte clauſiſſe, ut nec robuſtiſſimus illum aperire , pollicem extrahere aut digitos explicare potuerit.

Hanc fibrarum contractionem quidam mechanice expli-

care conantur,ac fieri opinantur impletione & diſtenſione quadam à Spiritu incluſo ſubito ſe expandente & majus ſpatium poſcente ſecundum omnes dimenſiones, unde fibræ breviores & pars, quam fibræ amplectuntur, anguſtior, evadant: verum id minus phænomenis congruum videtur, fibræ enim non ſunt corpora fiſtulæ inſtar cava, ſed filamenta tenerrima, ſimul & tenaciſſima, prorſus impervia; & licet fibræ quædam primo intuitu ſimpliciſſimæ apparentes, in plura filamenta ſubtiliſſima ſubdividi poſſint, quarum primariæ omnes rectæ, ſecundariæ transverſæ aut obliquæ, rectas inſtar ſubtegminis colligantes exiſtant; quamvis etiam major fibrarum complexus propria membrana obvolvatur, ad interiora admittat ſurculos venarum arteriarum & vaſorum Lymphaticorum ad vitam & vigorem tum obtinendum tum conſervandum; quamvis concedenda ſit poroſitas aliqua & ſpatium inter unam alteramque fibram rectam, etiam inter tranſverſas, ac propterea liquorem admittat, non ſecus ac cannæ Indicæ oleum ſuperne imbibunt, eique deſcenſum per poros ad proximum internodium permittunt; quamvis denique per medium & transverſim diſſectæ rurſus coaleſcant, atque ita uniantur, ut priſtino motui inſervire poſſint, quod non niſi intermedio humore, calore & ſpiritibus fœcundo, præſtabitur, nihilominus tamen nec in hoc minutiſſimarum fibrillarum complexu, unde integra fibra reſultat, hanc inflationem locum habere credere poſſum, cum quælibet harum anguſtior, denſior & durior in contractione evadat. Novi plures fibrarum coaleſcentiam fabuloſam cenſere, qui tamen vel Cheirurgiæ imperiti ſunt, vel in re præſtitu non difficili nunquam periculum fecerunt: modum conſuendi nervos magnos (forte tendines intelligit) *Gabriel Ferrara Obſerv. Cheirurg. l.1. c. 17. p.32. Francofurt.1625. edit.* tradit. Retulit mihi *D.Gaulthier* Chirurgus *Illuſtriſſimi Domini Comitis de Rabatta Generalis Exercitus Cæſar. 1677. Menſ. Oct.* duobus tendines carpum flectentes & uni

pedem

pedem extendentem præciſos fuiſſe, qui, conſutis tendinibus artificioſe, motum integrè conſecuti fuerunt: artificiumque facile in canibus addiſci poſſe. Non ita pridem hoc auſi ſunt hîc Chirurgiæ quidam ſtudioſi; cani in pede ſiniſtro tendinem magnum tranſverſim diſſecuerunt; inciſa ſecundum longitudinem cute, in tendinem retrogreſſum inquiſiverunt, forcipe apprehenſum retraxerunt, methodo à *Ferrara* tradita ſimplici filo tendinum capita præciſa accuratè junxerunt, quæ citra balſama aut Emplaſtra, ſolo canis linctu coaluerunt; currit nunc ſine ullo impedimento: in loco ubi ſectio facta fuit, nodus inſtar ganglij tangitur. Sed ut ad fibrarum contractionem redeam, quomodo illa peragatur? explicatu difficilimum, ſi non impoſſibile, exiſtimo, imo me ignorare ultro fateor: in ventriculo inteſtinis, utero, corde aliiſque partibus voluntatis aut phantaſiæ imperio non ſubjectis, conſequitur perceptionem irritaminis membranæ nerveæ ſponte; in muſculis fibræ obediunt mandatis voluntatis, aut appetitus ſenſitivi; ubique ſæpiſſimè celerrimè & ad quemvis etiam nutum contrahuntur: Ex. gr. Si pollici pedis extenſio vel flexura imperetur, momento citiùs, niſi morbus obſtet, attollitur aut flectitur, quo breviſſimo temporis intervallo vix mente concipi poteſt, vel humorem vel ſpiritum etiam ſubtiliſſimum, à ſede phantaſiæ, ad extremum pedem per corpus denſum fulguris inſtar ejaculari poſſe ad conſtrictionem talem perficiendam. Jure de omnium fibrarum contractione pronuntiari poſſe opinor, quòd de Cordis motu *Exc. D. Lovver. de Cord. c.2. p.m.85.* dicit, nempe nimis arduum eſſe de ratione motus ejus quicquam rite concipere, atque Dei ſolius, qui ſecreta Cordis rimatur, motum quoque ejus cognoſcendi prærogativam eſſe. Interea, dum meliora & clariora proferantur, credam cuilibet harum fibrarum vim ineſſe ob quam facilimæ & promptiſſimæ ſint ad contractionem & ceſſante ſtimulo aut imperio, brevi quoque relaxentur.

Prout Fibrarum motus ſeu contractio earumque relaxatio non ſolum in muſculis, ſed etiam in ventriculo, inteſtinis, utero, Corde aliisque partibus manifeſta eſt, & in ſenſus incurrit, aut certè rationibus firmiſſimis demonſtrari poteſt, ita quoque certum eſt alicubi membrana nervoſa ſola, quàm fibræ obtegunt & amplectuntur, aut membrana fibrarum plexus ſeu faſciculos involvente gravius afflicta, aut irritata, fibras alius partis ab hoc objecto irritante immunis ad contractiones ſollicitari, imo cogi, quod vulgo per conſenſum fieri dicitur. Fibræ quæ ad hujuſmodi contractiones commoventur, ſunt vel partium vicinarum, vel remotiorum, vel remotiſſimarum. Rem exemplis explanare liceat, ad *Puerorum & Puellarum*, malitiâ *cicutæ aquaticæ* tantoperè afflictorum, fatum melius intelligendum. Si calculus, imprimis aſperiuſculus & anguloſus, relicta parte carnoſa renum, ſeu avulſus à carunculis papillaribus illorum, in pelvim deſcendat ac per ureteres ad veſicam protrudi incipiat, non ſolùm ſæviſſimos cruciatus etiam minor excitat, niſi ureteres à plurimis prægreſſis calculis nondum dilatati fuerint, verùm etiam vomitus movet, ſeu adiguntur fibræ circulares ventriculi ad contractionem ad eijcienda ejus contenta; imò quandoque fibræ circulares inteſtinorum & veſiculæ bilariæ ad illam abripiuntur, unde bilis vomitus conſequitur, quandoque tormina ventris excitantur & alvus fortiter occluditur. Orificiis ventriculi ſc. pyloro & ſtomacho ab objecto rodente aliterve vehementius afficiente læſis, cardialgia oboritur, quam non raro leipothymia imò Syncope comitatur, ſc. Cordis fibris diutius in Syſtole conſtrictis permanentibus, aut quaſi attonitis, à motu ceſſantibus, unde ſanguinis motus vel imminuitur, vel aliquandiu ſuſpenditur, partes calore influo defraudantur, ſæpeque plurima mortis imago apparet. Inteſtinis ſævis torminibus excruciatis, ſive ob fibrarum pertinaciorem conſtrictionem & flatuum aliorumque contentorum detentionem

nem p. n. ſive propter illorum ſubintrationem, in his frequentiorem quam vulgo creditur, ſive inteſtinis in ἐντεροχήλῃ fortiter compreſſis, ſive ab humore aliove contento ipſa arrodente, ſæpiſſime enormis vomitus ſequitur, non ſolum inteſtinorum cæterorum ſanorum portionibus, ſed ipſo quoque ventriculo ad motum periſtalticum inverſum coactis; imo veſicula poruſque bilarius ad aliquam conſtrictionem compelluntur, quamobrem plerunque tandem mere bilioſa evomuntur. Partis remotioris in conſenſum raptæ exemplum ſit Spaſmus in principio gulæ, muſculorum maxillam inferiorem adducentium & labiorum, conſequens aliquando herniotomiam: aliquoties enim vidi poſt ſextum diem à caſtratione, quandoque tardiùs hujusmodi ægros primum de quadam deglutiendi difficultate conqueſtos fuiſſe, ob quam cibos ex faucibus per gulam in ventriculum protrudere nequiverunt, ſubſequente mox ſpaſmo cynico, ac tandem arctiſſima dentium conſtrictione, ut nulla vi os deduci potuerit, nec liquorem ſiphone per hiatum à dente evulſo comparentem infuſum deglutire valuerint, licet mens adhuc conſtiterit, loquuti fuerint, ſe famelicos & ſitibundos dixerint, idque non una atque altera hora, ſed diebus aliquot ante obitum & antequam Epilepſia ſæviſſima ipſisque funeſta superveniſſet. Remotiſſimarum partium conſenſum & ſympathiam nobis oſtendunt Epilepſiæ originem ducentis ab extremis pedibus, teſticulis, utero, inteſtinis, ventriculo aliisve magis abſconditis & nihilominus à cerebro & cerebello diſtantiſſimis, quæ tamen coaffici neceſſum eſt, non ſolum propter univerſalem & totius corporis convulſionem, verum etiam ob abolitionem omnimodam ſenſuum internorum & externorum. Hujuſmodi motus covulſivos in aliis partibus reſultantes, quamvis cauſa proxima contractionis fibrarum ibi non detineatur admittit quoque *Exc. D. Willis in Patholog. Cerebr. & Nervoſ. generis c. 1. p.m. 19.*: Ubi fatetur partium nervoſarum irritationem

tionem motus convulſivos efficere variis in locis à variis rebus, etiã fibris incongruis. Res illas vocat, Venena, qualitatum tangibilium exceſſus, varia recrementa ſanguinis & ſucci nervoſi, miaſmata febrilia, humores ſalinos, ſulphureos, lumbricos, calculos &c. Hujus ſedem, licet in qualibet ſyſtematis nervoſi parte noxam inferat, ut plurimum tamen vel juxta nervoſi generis principia, vel extremitates vel in mediis nervorum proceſſibus, præcipue verò in plexibus defigi: p. 20. Extremitatem exteriorem ſeu finem, quam nervorum ultimam expanſionem in membranis nervoſis & aſſociationem, imo unionem in fibris nerveis vocare ſoleo, motus convulſivos ſuſcipere, eoſdemque quaquaverſus transferre concedit, atteſtantibus convulſionibus ſequentibus puncturas nervorum & tendinum, vellicationes in viſceribus à pharmacis, humoribus acribus, lumbricis in ventriculo & inteſtinis; exinde n. motus convulſivos non ſolum in partibus affectis reſultare, verum etiam indifferenter in alias quaſcunque partes retorqueri. Huc pertinent aliquomodo illa quæ c. 6. tradit de motibus convulſivis, quorum cauſa circa nervorum extremitates ſubſiſtit.

Modus quo fibræ partium vicinarum coafficiuntur ac ad communem contractionem ſtimulantur, forte non adeo obſcurus eſt, & concedi poterit illud fieri ob membranam nerveam cum ipſis continuam, aut propter nervos ab eodem ramo oriundos; quod explicant ſimilitudine chordæ in extremitate tenſæ, ejuſdem tenſionis ſenſu ad principium ipſius pervadente: hoc locum habere creditur in conſenſu renum, inteſtinorum & ventriculi, item inteſtinorum & ventriculi, ut & hujus & Cordis: attamen in partium remotiorum, aut valde diſtantium vel ob hanc unicam rationem explodenda videtur, quod partes intermediæ, aut his viciniores, licet eorundem nervorum participes ſint, à contractione immunes ſint: imo illæ ipſæ partes in quibus minera, ſeu fomes convulſionum detinetur, non raro

nihil

nihil convulſivi patiuntur. Quidam ut hanc compaſſionem credulis obtrudant, maxime in convulſione univerſali, ſeu epilepſia partium diſtantiorum læſionem ſubſequente, præviam in nervorum origine diſpoſitionem & apparatum cauſæ morbificæ comminiſcuntur: quidam inde aliquid vitioſi à parte ægra cerebro tranſmitti opinantur. Verùm citra apparatum morbificum circa originem nervorum Epilepſiam excitari aliquando hinc manifeſtum fit, quod ſæpe quidam hac corripiantur quoad cerebrum & cerebellum ſaniſſimi, ſic adoritur illa quosdam à punctura nervorum, morſu viperarum, infantes corrupto lacte & pultibus in ventriculo & inteſtinis: eandem excitant quoque lumbrici; venena quædam in ventriculo ſubſiſtentia nec ejus pomæria egreſſa. Deinde ſæpe illa tollitur cauſa morbifica ex parte primario affecta, nullo vel exiguo ad cerebri roborationem habito reſpectu, vel medicamentis præcipue ad illius curationem directis. Novi juvenem quendam ruſticum ab epilepſia ſatis truculenta vindicatum fuiſſe à veſicatorio toti pedis dorſo applicito, unde ſymptoma hoc tragœdiam ordiri perſenſit: non ita pridem *Dom. D. Joh. Conr. Brunner*, hanc ob cauſam cum fructu Nuchæ moxæ ſuccedaneum appoſuit. *Illuſtriſſimus Puellus*, de quo ſupra, poſt iteratos clyſteres anodynos ab epilepſia liberatus fuit, nec ad hanc uſque diem vel minimum inſultum expertus eſt, jam propè 18. annis elapſis atque adhuc ſaniſſimus vivit: idem in pluribus infantibus atque adultioribus expertus ſum. Lumbricis expulſis, venenis aſſumptis è corpore eliminatis, aut illorum ferocia obtuſa & cohibita, morſibus viperarum mature aduſtis epilepſiam vel ſublatam vel præcautam fuiſſe, experimentis confirmare poſſem, cujusmodi etiam in obſervationibus Medicis paſſim occurrunt. Communicatio cauſæ morbificæ, ejusque ad cerebrum tranſmiſſio in multorum ore eſt, plerisque de viis & ratione, qua illuc transportetur, non uſque adeò ſollicitis, ſc. ſufficit illis *Hipp.* ξύῤῥοια;

N ξυμπνοια

ξύμπνοια καὶ ξυμπάθεια πάντα εἶναι. vapores & flatus ab utero, liene, ventriculo, inteſtinis aliisque partibus imi ventris caput petere, atque hujuſmodi tumultus ciere, ſæpè à vulgo practicorum auditur, & in illorum conſiliis legitur; interea nulla cura ipſos tangit, quomodo diaphragma & pectus undique pleurâ ſuccinctum perrumpant, aut cranium ac duram matrem in baſi ad cerebrum & cerebellum uſque tranſeant, ſi omnino concedatur, orificia ſtomachi hiare, non benè claudi, & hæc μετέωρα ad fauces uſque pertingere: non perpendunt à partium iſtarum membranis ita coërceri, ut alibi potiùs & per patentia oſcula ipſorum excretioni dicata exitum quærant, quàm ſurſum tendant. Tùm has tùm alias ob cauſas meritò hunc vaporum aſcenſum & translationem explodit *Exc. Willis l.c. c.6. 10. & 11.* atque alibi paſſim. Ex fomite hujusmodi per nervos humorem vel vaporem caput adire mihi à vero plane alienum eſſe videtur, cum circa extremum ſuum finem vel in membranas expandantur, vel cum fibris, quæ corpora denſa & ſolida ſunt, in unum coaleſcant; in partibus enim iſtis nervi vel terminantur, vel ſi illas permeant, nihilominùs propriis membranis involvuntur, ut nihil horum imbibere poſſint, & licet aliquid hujuſmodi poros membranarum ſubiret, neutiquam tamen ulteriùs progrederetur, obſtarent fibrillæ transverſæ nervorum faſciculos colligantes, remoram facerent ganglia frequentia tùm nervorum medullæ ſpinalis, tùm cæterarum parium. A venis & vaſis lymphaticis ab his partibus aliquid reſorberi, item è ventriculo & inteſtinis portiones venenorum aſſumptorum chylo & ſanguini permiſceri non nego, quin etiam concedo ſanguinem hunc inquinatum undiquaque cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam & ſpinalem, nervorumque caudices & faſciculos ſubintrare, nam intra anfractus cerebri & laminas cerebelli manifeſtè ingrediuntur illorum ſubſtantias arteriæ capillares innumeræ, atque transverſim inciſis cerebro, cerebello, medulla oblongata

longata & ſpinali, guttulæ ſanguinis emicant,& dextrè diremptis medullâ ſpinali & nervorum faſciculis, in viſum incurrunt vaſa ſanguifera capillaria. Quamvis autem è fomite partium diſtantiſſimarum à cerebro particulæ quædam, aliàs generi nervoſo inimiciſſimæ abripiantur & ſanguini permiſceantur, non tamen, licet quoque ad originem nervorum continuè vel etiam per exiguum temporis ſpatium deferantur, epilepſiam hanc efficere videntur, nam primùm non continuam epilepſiam excitant, ſed ſæpe longæ induciæ conceduntur illis ab epilepſia, qui hanc per conſenſum patiuntur. Deinde tollitur ſæpe omnimode fomite ſublato, quamvis particulæ adhuc ſanguini permixtæ ſint, quod procul dubio etiam puellis evenit, poſt vomitu rejectas radices Cicutæ. Denique ſæpe peſſimæ notæ particulæ illæque acerrimæ ſanguini confunduntur, à quibus nunquam vel rariſſimè Epilepſia excitatur. In Luc ♀ affectis, ſanguis abundat particulis non ſolum carnes depaſcentibus, ſed oſſa quoque alicubi inſtar aquæ ſtygiæ arrodentibus: neminem tamen epilepticum hac ſolâ affectum evaſiſſe vidi, quamvis quàm plurimis in Noſodochiis Italorum Medicorum praxin ſecutus adſtiterim, & non pauci etiam his in oris ſe curæ meæ dediderint, maximè hoc bello flagrante, quo, præter innumeras humani generis pernicies, hic quoque morbus invaluit, antea minus notus & verè infamis, ceu benè merita peccati pœna & vindex. Plures quoque cancro affectos utriusque ſexus cognovi ab Epilepſia immunes, quamvis absque ullo dubio teterrimi humoris particulæ à venis reſorbeantur & ſanguini permiſceantur, imprimis ſi diu exulcerati negligantur, nam licet cancri hujuſmodi ferro & igne quandoque exſtirpentur, vulnuſque ad cicatricem perducatur, alibi tamen novi emergunt, quod Moniali cuidam contigit, cui mammam auferendam curavi, enaſcente poſt triennium primum ſub axilla tuberculo duro, quod brevi magna incrementa ſumpſit ac exulceratum corroſis

vaſis ſanguiferis majoribus brevi lethum attulit. Memini me Patavij ab *Exc.D.Petr. de Marchettis Præceptore meo* aliquoties audiviſſe, ablatis mammis cancroſis ſe obſervaſſe cancros in utero obortos fuiſſe, imo fonticulos in brachiis & pedibus in ulcera cancroſa degeneraſſe. Prætereo pædarthrocacen aliaque ulcera diuturna cum oſſium carie conjuncta, lepram, phthiſin aliosve hujus generis morbos, in quibus certò certiùs in maſſam ſanguineam redundant humores, nulli acrimonia cedentes nec minùs nervoſo generi infeſti; quibus tamen nunquam epilepſiam ſuperveniſſe obſervavi, etiam tunc quando poſt multos labores quidam ſanitati priſtinæ reſtituti fuerant, nec ichoribus pravis alibi exitus parabatur.

Ad rem hanc obſcuriſſimam explicandam aliquo modo neceſſariò ſtatuendus videtur *Præſes* aliquis *toti Syſtemati nervoſo præfixus*, qui quandoque hos tumultus imperet; quemlibet enim motum animalem præcedit perceptio & cognitio aliqua, hanc ſequitur appetitus rei gratæ aut averſio rei noxiæ, à quibus imperatur motus, qui, quod imperatum fuit, exſequitur: de quibus videatur *Exc. D. Gliſſon. de Percept. & Appetitu Nat. & de Gula, Ventriculo & Inteſtin.* In quibus ſolidè & doctiſſimè hoc argumentum tractat. Hunc Præſidem *Nob. Helmont.* tùm in his motibus convulſivis, tùm alibi, inſerviturum expediendis nodis difficilibus, vocat *Archeum*; quàm benè *D. Gliſſon. in l.c.* oſtendet. Præſes iſte non eſt Voluntas, quia invitis partibus motui dicatis tumultus iſti cientur. Appetitus ſenſitivus commodius appellaretur, cum potiſſimum ille motus animales fibris peragendos privatim & publice poſt perceptionem, partibus naturaliter ſe habentibus imperet. Nihilominus tamen in motibus præternaturalibus imperandis & hic appetitus, ſi non dubius certe admirandus ægris operam dantibus quotidie apparet. Duorum puerorum poſt herniotomiam convulſionibus defunctorum cadavera ſecui: primus 9. circiter annorum 1643. menſe

decembri

decembri caſtratus in dextro latere, bene ſe habuit ad diem ſextum uſque, tunc ad riſum à fratribus & ſociis, mox ad iram concitatus fuit ob rem nihili: circa veſperam difficulter deglutire cœpit, poſtridie planè non amplius deglutire nec os aperire valuit: tertio die nunc à tetano ceu rigidus jacuit, nunc artus & truncus mirè à motibus convulſivis ſuccutiebantur: fruſtra *ab Exc.D.Felic.Platero, magni Plateri ex Fratre nepote* varia medicamenta adhibita fuerunt; poſt graves exantlatos cruciatus vivere deſiit: cadaver Baſileæ *Exc.D.Platero* præſente aperui, nihil prorſus inflammati, aut aliter p. n. diſpoſiti invenimus, quàm proceſſus peritonæi reliquias flaccidas, ſublividas & quaſi ſphacelatas, cum portiuncula exigua partium vicinarum abdominis & peritonæi, corruptela vix ultra uncias duas ſerpente. Idem in altero Puero Piſtoris noſtratis filio ante 20. annos obſervavi, quem his ſpaſmis Herniotomus frigidæ potu & pedum perfrigeratione dediſſe anſam opinabatur. Pridem ſpaſmum in gula obortum, poſt univerſum corporis habitum ad internecionem uſque invadentem adſcripſi ſphacelo partium iſtarum nervoſarum, originem nervorum inconſenſum rapientem. Verùm hactenùs quater cancros loca hæc undiquaque depaſcentia in viris robuſtis occupaſſe obſervavi, nullo unquam ſpaſmo ſubſequente, quamvis pus aqueum largiſſime ex ulcere ſtillans obvia quæque corrodendo acerrimum eſſe pateret. Idem dum hæc ſcribo in Viro Nobili comperio, hic Menſe Majo 1678. σαρκοκήλην in ſiniſtro latere exſcindendam curavit, pondere, ut Herniotomus retulit, librarum duarum: proceſſus peritonæi portio ſupra funiculum verſus abdomen remanſit, craſſior duabus unciis: vulnus ſcroto inflictum conſolidationem aliquam pollicebatur; at decidente funiculo portio illa peritonæi carnoſa & veluti ſcirrhoſa nunquam cicatricem ſucceſſuram, mitiſſimis etiam ſiccantibus adhibitis, oſtentavit: præmonui Herniotomum aliquid cancroſi hic latere, erupturum brevi, propterea, utcunque caro

luxuriet, omnium acrium uſum penitus omittendum: monita ſprevit; ulcus dilatabatur; pus primùm coctum, magis aqueum indies evaſit, cutim & carnem renatam conſumpſit, ulcus latis & profundius evaſit: poſt unum alterumque menſem oppidum, quod inhabitat Nobilis, tranſii: vocor; video ulcus duabus palmis longius, ultra palmùm latum, pus fundere aqueum, ſubcruentum, fœtidum, cum pauco debitam conſiſtentiam & colorem habente; labia inverſa, inæqualia, tuberoſa; profundiora, alicubi rubra, inæqualia, alibi ceu cauterio potentiali aduſta, ſphacelata: ſuaſi ſiccantia mitiſſima, imprimis pulveres & collyria ex plumbo confecta: prædixi aſtantibus ulcus cancroſum & immedicabile, quod ægerrime tulerunt: hortatus ſum ut ſibi ab Agyrtis & Empiricis caverent: verùm his ſuſque deque habitis primum ulcus crediderunt Fabro lignario, optima quæque promittenti; inſpergit ille pulv. ex arſenico, fuligine & ſulphure: carnoſæ excreſcentiæ imminuebantur, mox tamen renaſcebantur, ulcus magis magisque dilatabatur ſurſum deorſumque: increpatus *à D. D. Brunnero* Empiricus iſte quoque Ægrum deſeruit: Alius nunc Herniotomus ipſi medetur, quem quoque acria adhibere audio: circa medium Januar. 1679. ingens hæmorrhagia in ulcere evenit: urina prope radicem virgæ ex ulcere emanat: adhibet ille nunc butyrum antimonii, ☿ ſublim. aq. fortem; quibus procul dubio mors accelerabitur finemque calamitoſi morbi, ob quem dies noctesque in ſella traducere cogitur, brevi experietur. Nobilis iſte ab illo tempore, quo cancer in apricum prodiit, ad 1. Febr. hujus anni, nihil unquam convulſivi expertus eſt, quamvis ſæviſſimos cruciatus tum à virulento pure, tum à medicamentis cauſticis, puris acrimoniam augentibus paſſus fuerit, & plurimas noctes inſomnes hactenùs duxerit.

Obſervavi parotides cancroſas omnia ad collum uſque depaſcentes, epulidem cancroſam totam malam conſumentem, ficus

cus cancroſos oculorum, cancros labiorum, faciei, extremi apicis naſi, nullus tamen vel comitem habuit epilepſiam, vel quod equidem ſciam, ante ſupremum diem illam expertus eſt, quamvis plerorumque vitæ exitus mihi innotuerit. Hi omnes varii generis dolores ſc: urentes, prurientes, pungentes, vellicantes, lancinantes diu noctuque ſuſtinuerunt, nec unquam τὸ ἐγκέφαλον vicinus ita in conſenſum raptum fuit, ut inde artus aliæve partes convellerentur. Infantibus dentientibus, maximè caninis erumpentibus, item tormina patientibus, epilepſiam accidere nemini ignotum eſt. Adultiores odontalgiam, podagram, colicam, hemicranias, cephalæas ſummopere excruciantes, ſæpè pluribus diebus, imo ſeptimanis ac menſibus experiuntur, quorum nec centeſimus, inde epilepſiam patitur; licet plerunque colica ab inteſtinorum convulſione præcipuè pendeat, & podagricis ſpaſmus flatulentus ſæpè graves moleſtias pariat & dolores exaſperet. Plurimi colicâ biliosâ, affecti meâ operâ uſi ſunt, nullum tamen epileptici quidpiam perpeſſum recordor, præter Nobilem compotationibus deditum, & Illuſtriſſimum quendam Dominum crebrò recidivantem colicam ſuſtinentem; qui ambo tamen epilepſiam tunc paſſi ſunt, cum tormina mitiora atq; jam paretici eſſent. A clyſtere uterino, cui parum vitrioli Romani permixtum fuit, ſæviſſima ſymptomata convulſiva commota fuerunt, in Matrona nobili, ulcus uteri habente, apud *Exc. D. Harveum l. c.* E contra Scortis Patavii in Noſodochio S. Franciſc. ab *Exc. D. Marchetti* ulcera vaginæ à lue ♀ oborta, impunè eluebantur aquâ forti, aut ferro candenti attingebantur. *D. Joh. Georg Cronerus*, lithotomus noſtras, Virgini carnem poſt oſtium urethræ inſtar criſtæ galli enaſcentem, ſummumque dolorem à mictione facientem, butyro antimonij auferre conabatur, cum partes vicinæ inde læderentur, uſtionem ſuaſi, à qua emarcuit & cum eſchara decidit, ulcere brevi conſolidationem admittente: interea nihil quicquam convulſivi vel à liquore

corro-

corrodente vel igne excitatum fuit. Ante aliquot annos ruſticus pede fortiter ancillæ parieti aſſiſtentis abdomen flatibus diſtentum calcavit, unde uterus prolapſus fuit: venit Wolfachium ad Herniotomum quendam; hic viſo orificio interno uteri muco obſito, ulcus cancroſum valdè ſordidum exiſtimans, impoſuit orificio prorſus nervoſo & ſenſu exquiſitiſſimo prædito, ☿ ſublimatum: poſtero die ab ipſo accerſitus primo intuitu veram procidentiam uteri agnovi: rejecto ☿, juſſi procidentiam lacte calido, in quo flores Chamem. melil. verbaſc. cocti fuerunt, uterum fovere, uterum reponere, ac pilâ repoſitum detinere, unde nihil gravius paſſa convaluit. Obſervavi in duabus Monialibus & duabus fœminis in matrimonio viventibus, uterum poſt diuturnum fluorem album ulcere cancroſo correptum fuiſſe, apparente in hypogaſtrio tumore duro inæquali & continue ichorem fœtidiſſimum ſubcruentum, cum maximo dolore, ſtillantem: omnes tabidæ moriebantur, nulla convellebatur: una ex monialibus juvencula adhuc ineffabiles cruciatus ſuſtinuit, maxime poſt alvi ſolutionem & mictionem, ultra novem menſes: obiit præterito anno ſummè extenuata, cuti vix oſſibus hærente. *Præſes iſte ſyſtematis nervoſi* non minus ab aliorum ſenſuum quoque objectis percellitur, ac non raro univerſales convulſiones imperat. Fœmina quædam gravida in Noſodochio noſtro conſpecto Epileptico, poſt tergum ipſius cum impetu humi ſtrato & vehementer convulſo, ita perterrita fuit, ut paulo poſt ipſa quoque epilepſiâ corriperetur & puella, quam poſt paucas ſeptimanas enixa eſt: hæc incertis periodis matrem & filiam ad nonum ætatis annum crebrius invaſit, & fruſtraneis omnibus medicamentis, utramq; ſævities paroxyſmorum necavit. Virgines duæ nubiles à procis furtim ipſarum cubilia conſcendentibus territæ, eandem epilepſiam contraxerunt, quarum una poſt plurium annorum decurſum, multis perpeſſis paroxyſmis apoplectica obiit: altera miſella adhuc ſuperſtes eſt, malo nulli remediorum generi cedente.

Quis

Quis non à fragore valido, ſubito, & inopinatò edito percellitur, ita ut artus ſuccutiantur & cor ad tremorem quendam illo ipſo momento commoveatur? Quod non fieret, niſi objectum hoc terrificum ad phantaſiam delatum, Præſidi ceu res fugienda ſiſteretur, ſunt tamen quoque qui nec ab horrendiſſimis ſpectris nec à bombardarum tonitru perturbantur, maximè qui ſenſus exercitatos & his aſſuetos habent. Novi Monialem cui protinus ceu ab electivè trahente, aliquot vicibus alvus ſolvebatur, quoties coram ipſa de rhabarbaro & fol. ſenæ, ceu purgantibus ipſi notioribus diſſerebatur: Fœmina quædam noſtras, poſt morbum chronicum pharmacopolium prætereundo tota exhorruit, nauſeâ correpta fuit & vix vomitum evitare valuit, ut hanc ob cauſam plateam illam declinarit: ſcilicet in utraque ſapores & odores illarum phantaſiæ abominandi, ſolâ nominum mentione, aut odoratu, in memoriam revocabantur, ac Præſidi ſyſtematis nervoſi obtruſi, illum ad has turbas ciendas compulerunt. Plurimos alios hæc nomina nec vel minimum comovent, nec ab odoribus utquecunq; annos in pharmacopoliis tranſigant, turbantur.

Quæ hactenus retuli, nollem à quopiam ſiniſtrè interpretari, quaſi Exiſtentiam *Præſidis ſyſtematis nervoſi*, ſeu *Archæi* dubiam facere, enervare aut plane annihilare conſtituerim: tot argumenta ſuperſunt quæ illam confirmant, ut nemo ſanâ mente præditus eam rejicere queat: imo credo eſſe ſubſtantiam, & quendam ὑσιώδην ſpiritum in ſacris literis, in animalibus quoque animam viventem vocatum ab interpretibus; à Philoſophis animam ſentientem, cujus pediſſequa ſit anima vegetans, quam nullo modo accidens, nec corpuſcula variè diſpoſita, ſeu elementorum Ariſtotelicorum, ſeu Chymicorum, ſeu Carteſianorum eſſe, admirandæ actiones, quæ in generatione, partium formatione, nutritione & omnino in omnibus vulgò dictis animalibus tùm brutorum, tùm præcipuè hominum quotidie ob-

ſervantur, abundè evincunt; & quamvis non penitus aſſequar, quomodo ſpiritus omnis corporeæ miſcelæ expertes in corpora agant, nolo tamen propterea in Sadducæorum caſtra tranſire, qui pridem Angelos & ſpiritus eſſe negarunt: potiùs in his ſummam Creatoris O. M. potentiam, ſapientiam & bonitatem quoque admiror, qui in rerum primordio cuilibet ſpeciei animalium ſapientiæ & potentiæ ſuæ characterem impreſſit, ac in mandatis dedit, quid ſecundum quamblibet ſpeciem, dum vivunt, agere debeant. Non tamen nego hunc ſyſtematis nervoſi Præſidem ſeu Archæum indigere ſingulorum ſenſuum inſtrumentis & ſpiritibus animalibus, ſeu corpuſculis ſubtiliſſimis, tum ut ad actiones pelliciatur, tum ut illas ritè perficere valeat: nec abnuo illum in agendo varium eſſe, ac diverſimodè pro varia inſtrumentorum ſuorum diſpoſitione, actiones aboleri, imminui, depravari & intendi: ſpiritibus ſopitis & inſtrumentis ſtupidis, ipſemet torpet: ſi ſenſuum organa valeant & ſpiritus tenues ſint, promptus eſt, quandoque etiam nimius. Atque ita tum hanc ob cauſam ipſius actiones, tum pro ætatis, ſexus, temperamenti, vitæ generis, regionis, victus & cönſuetudinis ratione, ſæpe multum variant, nec pari ratione monitus, inſurgit & tumultuatur.

An Præſes iſte motus conſilio & quodam juvandi ſtudio imperet? in ſanis dubitare non licet: at ſi præter naturam hoc fiat, maximè in motu univerſali, ſeu in epilepticis inſultibus, valde ambiguum eſt, nam cum in illis quoque cordis, diaphragmatis, pulmonum, aliarumque partium reſpirationi dicatarum partium fibræ convellantur, quibus *Exc. D. Willis de Morb. convulſ. c. 3. p. m. 35. 36.* ſpumæ oris effluvium, & pectoris contuſionem ingenioſè adſcribit, cumque ab harum partium conſtrictione mors intentetur, quandoque inferatur, cum quoque omnia ſurſum deorſumque ferantur, & maxima conſilij inopia ubique appareat, nullum vel minimum opis præſtitæ indicium emicat.

Verùm

Verùm utcunque omnia molimina Præſidis potiùs interitum quàm auxilium polliceantur, certùm tamen primos nixus ſuſceptos fuiſſe ad excutiendum & abigendum, quod inſtrumento cuidam ſenſorio infeſtum fuerat, & ſi fine ſuo fruſtretur irritaminis potiùs vehementiæ, quàm ipſius conatibus adſcribendum eſſe; unde periculum à nimio opitulandi deſiderio imminens compeſcimus in epilepſia, ſi aliorſum ipſum avocamus, frictionibus & vellicationibus dolorificis, ſpiritibus & balſamis acrioribus, aliisvè ſimilibus, & poſtea demulcentia ſenſus, imò quandoque obſtupefacientia & opiata exhibemus, atque hac ratione, ut nunc loquuntur, Archæum furioſum manſuefacimus.

Denique, ut poſt digreſſionem in viam redeam, licet non ſemper accuratè nobis perſpectus ſit modus & ratio, quâ Præſes iſte in conſenſum rapiatur & ad hos tumultus ſuſcitandos adigatur, non protinus tamen prima irritamina venenorum occultis qualitatibus agere pronuntiandum eſt: certè ſi rem æquo animo æſtimabimus, non obſcurè deprehendemus in illis potiores vires eſſe à qualitatibus tangibilibus, quæ quidem non calefaciendo aut frigefaciendo agunt, ſed rodendo, vellicando, pungendo, alitervè affligendo membranas nervoſas, adæquatum tactus inſtrumentum, nec magis occultè virulentiam ſuam exſerere reputandum eſt, quam inſtrumentum ferreum acutum, nervum pungendo convulſionum ſubſequentium author. Hac ratione Cicutam aquaticam in memoratis pueris & puellis nocuiſſe penitus perſuaſus ſum: nec aliter pleraque venena aſſumpta nos afficere intelliget, qui attente expendet ſymptomatum ſupervenientium ordinem; quorſum nos manuducet *Exc. D. Sennert. l.6. Prax.* ubi tùm veneni præſentanei, tùm ſingulorum ſigna diagnoſtica in compendio tradit; aſſurgetquè *Hippocrati* nobis inculcanti non calidum, frigidum, &c. ſed acre, amarum, ſalſum, &c. qualitates ſc. quoque tactiles morbos facere.

Jacobus Maderus mortuus eſt poſtquàm univerſum genus

nervoſum à vehementiſſimis convulſionibus ſummè debilitatum & cor enervatum, ſanguinem ad caput & habitum corporis non ampliùs protrudere valuit, unde primùm expalluit, mox admota manu pectori, ſpirare & vivere deſiit. Nihil apoplectici paſſus videtur, licet à violentia convulſionum ſanguis ex auribus emanârit, quòd fortè muſculis aurium convulſis, vaſe aliquo rupto evenit, nam manum pectori admovit & ſubitò, ceu à ſyncope mortuus eſt. Spuma viridis ex ore poſt mortem effluxit, quia laxatis gulæ fibris circularibus, ſuccus radicum & fermentum ſtomachi turgeſcentia, ob molem auctum, unde quoque abdomen intumuit, exitum quæſiverunt, quem viſcera ventriculo incumbentia pondere, ceu emortua, promoverunt.

Matthias Graff tardius à radice affligi cœpit, quia adultior & robuſtior *Jacobo*, & durius quoque educatus fuit, ac propterea tunicam mucoſam denſiorem magisqué renitentem habuit. Poſtquàm verò virulentia cicutæ ad tunicam nervoſam penetravit, primùm vertigine correptus fuit, quàm potiùs ſenſui hujus membranæ adſcribo, quàm ſucco jam ſanguini permixto, cùm ſimilem vertiginem nonnunquam bilis in ventriculum effuſa excitet, eâqué vomitu rejectâ ceſſet, ſanguini verò permixta nullam pariat, quod frequentia Ictericorum exempla probant, qui rariſſimè vel nunquam ob ſolam bilem ſanguini confuſam, ſano ventriculo nutant. Nondum cicutæ fruſtula, vel ſucci portiones ad inteſtina perveniſſe, hoc quoque mihi argumenti loco eſt, quod de nullâ moleſtiâ ventris conqueſtus ſit, nihil per ſeceſſum unquam egeſſerit, & ingruente paroxyſmo tumor diaphragma percuſſerit, qui ventriculus erat, arctè utroque orificio clauſo, admodum diſtentus ab efferveſcentibus liquore ejus & ſucco cicutæ. Paroxyſmus epilepticus paulò pòſt illum invaſit, fortius vellicatâ membranâ nervosâ, quem maſculè ſuperavit, at ingraveſcentibus fortioribus inſultibus, tandem quoque nervoſum genus & cor ſuccubuerunt, imprimis

poſt-

poſtquam violentiſſimi ſine ullis induciis continuarunt. Poſt mortem totus habitus & abdomen intumuerunt, ille propter particulas ſulphureas & ſalinas, ceſſante ſanguinis motu, ſui juris factas, aut propter calorem intrinſecum mixti, prædominante calore externo, emortuum, omnibuſquè humoribus ad putredinem tendentibus; hoc ob pugnam fermenti ſtomachi & ſucci cicutæ. Quia in paroxyſmis violentiſſimis, in quibus omnium partium fibræ conſtringebantur, nihil eminxit, indicio eſt cicutæ ſuccum non ad maſſam ſanguineam perveniſſe, nec vi ſuâ diureticâ ſerum vel colliquaſſe vel præcipitaſſe. Spuma poſt obitum ob easdem cauſas ex ore emanavit, quas profluvij authores in Jacobo fuiſſe putavi.

Catharina Maderin radix cicutæ copioſius etiam comeſta, tardiùs quàm cæteris moleſta eſſe cœpit, & quamvis ultra duas horas illam in ventriculo detinuerit, non tamen afflixit, quia tunicam cruſtaceam denſiorem nacta, virulentiæ cicutæ diutiùs obſtitit: nec tantum ſucci è radice prolecti ad inteſtina & hinc ad maſſam pervenit, qui ſpiritus animales ſtupefecerit, ad patrem arantem namque properare, ipſumquè domum feſtinantem currendo ſequi valuit. Poſtquam malè habere cœpit, exordium læſionis in ventriculo fiebat, in quo tota ingeſtæ radicis moles detinebatur, plerunque enim, ſi malè ſe habere citra partis denominationem dicunt, ventriculum intelligunt, quod confirmavit vomitus ſpontaneus ſubſequens. Epilepſia quæ poſt vomitum invaſit, deferenda eſt tùm roſioni à radice ante vomitum factæ, tùm ulterioribus reliquiis radicis, jam pleno impetu ad membranam nerveam penetrantibus. Non tamen tàm vehemens fuit, ut in pueris, nec uſque adeò omnes fibræ tam validè contrahebantur, unde pater clave os effringere, theriacam aceto ſolutàm infundere, ipſaquè liquorem deglutire valuit, ſubſequente vomitu ſuperſtitum radicum ſalutifero, non tàm à theriaca concitato, quàm à radice ſtimulante ventriculum ad ho-

ſtis domeſtici expulſionem, quod idem antè theriacæ propinationem magno puellæ bono jam præſtitit. A vomitu ultimo epilepſia remiſit, attamen illa veluti ſopore ſepulta jacuit, non tamen ſine motibus convulſivis, nam ſubinde dentibus ſtridebat, novem horis ſine reſpiratione manifeſta cum extremorum frigore decubuit, ut parentes verè mortuam crederent, quòd potius fibris cordis aliquomodo adſtrictis, ut & partium reſpirationi dicatarum, unde ſanguinis propulſio impedita fuit, quàm à ſpirituum animalium diſſipatione, cum epilepſia non vehementiſſima fuerit, ſymptomaque hoc ſuffocationi ab Utero perſimile exſtiterit, derivandum, de qua videatur amplius *Exc. D. Willis de Morb. Convulſ. c. 10. imprimis p. 170.* nec infrequens eſt in fœminis hoc affectu detentis, reſpirationem ſæpè plurimis horis ſupprimi, unde legibus cavetur, ne ante 48. horas hoc ſymptomate defunctæ ſepeliantur: pleniorem explicationem de his ſuppeditabunt Auctores Practici & obſervationum ſcriptores, atque in his caſibus nulla miracula effingi poſſe abundè oſtendent: imprimis *Ludovicus Mercatus* Hiſpanus de Morb. Mulier. Sopor iſte forte etiam vi narcoticæ hujus cicutæ adſcribetur, terreſtri in omnibus ſimilimæ, quà etiam fœmina Batava apud *Nic. Fontan. l. c.* ſibi ſomnum conciliavit: hanc equidem ipſi non nego, fateor quoque liquida cito per pylorum exprimi in inteſtina, atque à liquore ſtomachi, è cicuta ſucculenti quidpiam prolectum fuiſſe; attamen ſequentes hiſtoriæ ut contrarium ſentiam, mihi perſuadent; deinde utcunque in ſanis, ſalvoque antro pylori potulenta, aliaque liquida brevi poſt aſſumptionem expellantur, tamen aliter fit parte hac afflictâ, nam quàm primùm regio hæc ventriculi gravius vellicata conſtringitur, omne effluvium prohibetur; quod procul dubio in duobus pueris factum fuit, & quoque in hac puellâ antrum hoc coarctatum fuiſſe credibile eſt, quia primùm circa hanc regionem malè ſe habuit, mox vomuit, poſtea demùm ſuperveniente epilepſia; diuque poſteaquam

quam à ſopore evigilavit, de præcordiorum dolore conqueſta fuit. Ad mentem rediit 24. horis elapſis, quia fibris cordis & partium reſpirationis relaxatis, cor priſtinos rythmos ſuis motibus exordiri cœpit, ſanguineque univerſam corporis compagem ritè irroravit, ſingulaſque partes refecit. Delaſſata per quatriduum manſit, non tam propter nimiam muſculorum defatigationem ab epilepſia, quàm propter lymphæ ſtagnationem intra muſculorum interſtitia, atque in ipſis muſculis, ob ſanguinis motum languidiſſimum & propè nullum, toto durationis uterinæ ſuffocationis tempore. Citra medicamentorum uſum poſtea integrè convaluit, quia antè comeſtas radices ſanguinis κρᾶσιν laudabilem habuit, quam redeunte cordis motu legitimo, brevi denuò, cùm auditu & viſu, recuperavit, & carnoſa ac vegeta, citra ullam labem bonæ valetudinis vixit.

Maria Maderin quamvis in pauca quantitate radices comederit, nihilominus tamen quoque epilepſiam experta eſt, verùm quoque non niſi prægreſſâ ventriculi afflictione, nam ejulavit, ſingultiit, tumor præcordiorum apparuit. Epilepſia tamen non vehemens fuit, nec omnes fibræ conſtrictæ fuerunt, nam theriacam aceto ſolutam deglutire, & radices evomere valuit, atque paucarum horarum ſpatio præterito, nihil adverſi ampliùs perſenſit. *Martini Mylleri Filia*, *&* *Georgij Maureri Gemellæ*, utcunque epilepticæ evaſerint, brevi tamen poſt Vomitum integrè convaluerunt: atque ita quatuor iſtæ puellulæ firmum argumentum præbuerunt, epilepſiæ primariam cauſam limites ventriculi non exceſſiſſe, quia brevi pòſt Vomitus integræ valetudini reſtitutæ fuerunt, nec ullum Symptoma ampliùs excretis radicibus paſſæ ſunt.

Chriſtina Gräſſin radices in ventriculum abſque aliquâ noxâ ad ſeram veſperam pertulit: tanto intervallo temporis fermentum ſtomachi omnino aliquid ſucculenti è radicibus extraxit, cum breviore temporis ſpatio in pueris ſuccum prolicuerit, ut teſta-

teſtabatur ſpuma copioſa ex ore poſt mortem emanans: procul dubio hujus quoque non exigua portio per pylorum in duodenum, & ulterius propulſa & cum chylo permixta, ſanguini confuſa fuit: nam pylorum patulum fuiſſe non obſcurè patet, quia nihil de dolore præcordiorum ad veſperam uſque conqueſta fuit: atque ita documento eſt, ſuccum cicutæ cum ſanguine ad caput delatum, nec vertiginis nec epilepſiæ cauſam dici poſſe, ſeu hæc ſymptomata excitaſſe principio nervorum afflicto. At poſtquam ob longiorem in ventriculo moram tunicam mucoſam ſuis aculeis perrupit, dolorem & ſenſum punctionis & ardoris excitavit, ſibi cadendum dixit, & non diù *Præſide ſyſtematis nervoſi* commoto, convellebatur; infusâ miſcelâ ex tabacco conciſo & aquâ, vomituque concitato ampliùs confirmavit, epilepſiæ cauſam primariam ſeu incitamentum ad illam, in ventriculo hoſpitaſſe: ejectâ enim radice nihil ampliùs adverſi perſenſit, adeò ut iterata inf. tabacci potio ſupervacua fuerit.

Catharina Weberin *&* *Georgii Weberi* filia, ambæ pueris puelliſquè his adultiores, ſine noxa quæ alicujus momenti eſſet, radices has deguſtarunt, attamen quia procul dubio parum deglutierunt, obſtitit denſitas tunicæ cruſtaceæ, quo minus membranam nerveam lædere potuerit, & tantillum ventriculi fermentum ita diluit, ut illud ſine damno perferre & ſuperare potuerit.

Cur pueri præ puellis iſtis vomitus beneficio gaudere nequierint, non adſcribendum eſt impotentiæ fibrarum circularium ventriculi, quæ in *Jacobo* manifeſtè hanc moliebantur, ſed fibris gulæ & præcipuè ſphincteri ejus, fortè etiam transverſis ſtomachum ambientibus, ob fortiſſimam conſtrictionem, impulſui ventriculi non cedentibus; ſc. in maſculino ſexu actiones animales plerunque majore vehementiâ, quàm in fœminino perficiuntur: unde quoque ira viris longè nocentior vulgò credi-

creditur quàm fœminis. Nullus tamen dubito, quin à morte vindicari potuiſſent à præſente artis medicæ perito, ſi Archæum excitaſſet, eumqué alioſum objecto ſenſus valido & potente avocaſſet, ſi fibras tenſas unctuoſis laxaſſet ac conatum ventriculi juvaſſet. Iumenta præ hominibus ut notiſſimum eſt odoratu venenata dignoſcunt, nullâqué ratione niſi ſumma fames urgeat, ut talia deguſtent, adigi poſſunt: frondibus tamen ſiccatis impunè fruuntur, quia dum areſiunt particularum acrium multæ avolantes, forte frondes minus quàm radices virulentiæ obtinent; hanqué ob cauſam Fœmina Batava & Taurinenſes à cicutæ turionibus in acetariis apud *Scalig. l. c.* nihil gravius paſſi ſunt.

CAPUT VIIII.

Opportunè hic inſeri poſſe ſequentem Hiſtoriam Anatomicam exiſtimavi, tum quia fortè non ubivis obvia continet, tum quia ad illuſtranda quædam ſupra memorata pertinebunt. Si quæ obſcuriora videbuntur, ſcholiis ſubjectis pro viribus explicabo & quoque prægreſſo diſcurſui adaptare conabor. Fortè ſi minus rem attigero, tum aliis tum mihi anſam præbebit, datâ quaque occaſione attentius inquirendi.

HISTORIA ANATOMICA.

BArbara Meyerin Geiſlingenſis, carnoſa mediocriter, infanticida propemodum in ipſo facinore deprehenſa finito puerperio d. 27. ſept. 1677. ad mortem condemnata fuit. Ab illo tempore nihil prope comedit, & vix unum alterumvé cochlear viniſorbillavit. d. 28. ſept. poſt 11. antimeridia-

nam decollata fuit. Fœtus quem necavit, maſculus erat. Caput juſſu *Illuſtriſſimi Domini Maximiliani Franciſci, Comitis de Fürſtenberg* in arcem Stülinganam circa 1. pomerid. delatum fuit, quod ipſo præſente, cum *Nob. D. D. Heinric. Screta de Zavorziz* eo lubentiùs aperui, quod tunc communem operam navaverimus, *Illuſtriſſimi Domini Comitis* cephalæam curandi. Caput adhuc calebat, quamvis aeri tunc frigidiuſculo expoſitum fuerit. Cuti capillatâ decuſſatim incisâ & à cranio avulsâ, in ſiniſtro bregmate ſeu ſyncipite plurimæ guttulæ ſanguineæ ex cranio & pericranio, ultra Dahleri amplitudinis ſpatium exſudarunt. Muſculis temporalibus utrinque ad os Zygomatis ſeparatis, deprehendimus ſub illo ſeu pericranium, ſeu membranam muſculi propriam cranio adhæſiſſe uſquè ad ſuturam oſſis temporum ſquammoſam, inde verò infra os jugale oſſa temporum prorſus nuda apparuerunt. Aufferendo cranium, obſervavimus duram meningen, præter firmas connexiones circa ſuturas, inſuper aliquot in locis, oſsi imprimis ſyncipitis ſpatio bazij amplitudinis, alicubi minori, mediantibus fibris & vaſis capillaribus, porulis ejus ſe inſinuantibus, pertinaciſſimè adhæſiſſe. Ablatâ ollâ cranij, juxta ſinum tertium duram meningem utrinque incidi uſque ad laterales ſinus, corpusque falciforme circa criſtam galli abſcidi, illam quoque juxta ſinus laterales antè & retro, ut & circa egreſſum ſinuum lateralium diſcidi, ut totum cerebrum & cerebellum, non avulsâ glandulâ pineali, abſciſis paribus nervorum, arteriis carotidibus internis & vertebralibus, glandulâque pituitariâ, cum reſiduâ portione medullæ ſpinalis eximere, & methodo Varoliana examinare poſſem. Cerebrum exemptum non minùs atque antè præparationem hanc, adhuc calebat.

Meninx tenuis propè verticem, maximè in ſiniſtro latere, p. n. duræ meningi non ſolùm per vaſa ſed etiam fibrillas concrevit: ibi tenuis craſſior debito, & ſub illa bullulæ conſpicie-

bantur

bantur,& aqua aliquouſque ſtagnabat. Obſervavi meningem non tantum totum cerebrum operire, anfractus colligare, ſed inſuper intra anfractus cerebrum integere. Arteriarum carotidum & vertebralium unionem in baſi cerebri,ramorumque arterialium tum ante tum poſt unionem diſtributiones, ut in comment. de loc. aff. in Apoplexia deſcripſi, eleganter conſpexi,atque hinc inde ſurculos arteriales innumeros,intra cerebri & cerebelli quoque anfractus,inſtar retium convolutorum mirè in minuta fila diremptos, diremptoſque rurſus concreſcentes obſervavi, ut ſi omnino rete quoddam mirabile ad ſpirituum animalium præparationem in homine neceſſarium ſit, hic quærendum eſſet, quod certè ſub dura meninge in ſella equina humana neutiquam apparet; ibi integram arteriam, etiam in hac fœmina inveni, qualem in comment. ſ. c. delineandam curavi, neque hactenus alia facie mihi comparuit. In ramis arteriarum majoribus in baſi cerebri,ſanguis adhuc aliquis ſupererat, & impulſus fluctuabat, magis verò rubebant ſurculi intra anfractus & ſuper corpore calloſo, item in plexu choroideo: ſinus verò omnes ſanguine vacui erant. In baſi cerebri ad latera utrinque, leviculè digitis ſublatâ medullâ oblongatâ,conſpiciuntur hiatus in ventriculos laterales patuli, qui ampliùs in conſpectum veniunt,fibrillis partim vaſorum, partim membranarum ſeu nervulorum ſed tenerrimis citra vim magnam ſolutis: atque in ipſo aditu apparet limbus medulloſus albus, poſtea plexus choroideus, in quem ante & retro implantantur rami arterioſi, atque ab illo proficiſcuntur ramuli venoſi ad ſinus laterales tendentes: abſciſis thalamis opticis, ventriculi laterales plenè videntur eâ ratione,quâ primum ab *Exc. Sylvio* notati fuerunt. Per ſuperficiem ventriculorum candidiſſimam,ramos ſanguiferorum vaſorum hinc inde diſperſos vidi, quorum ſurculos ſe ſubſtantiæ illorum medulloſæ immergere, imo intra illam ſe diſpergere, blandè abrasâ medullâ integros, ſanguineque turgidulos vidi.

P 2 Vi-

Videntur hac ratione ſpeculum lucidum, crura fornicis, ſcaturigo medullæ oblongatæ ex cerebro & cerebello, pons medulloſus, cui adhæret glandula pinealis immmediatè, non autem plexui choroideo, niſi per vaſa ſanguifera, idquè laxè, qua ratione connectitur ſinui quarto, ſecus ac pridem credideram. In ponte hoc, qui communionem cum cerebro & cerebello habet, videntur ſtriæ candidæ transverſæ, quæ fortè *Cl. D. D. Muralto* anſam dederunt, ut putaret nervorum omnium origines eſſe, ac propterea glandulam pinealem ſecundum *Carteſium* ſedem animæ rationalis. Glandula pinealis in hac fœmina rubicunda erat, non major phaſeolo, firmâ & craſſiuſculâ membranâ prædita, ſciſſu non adeò facilis: cum membranam penetraſſem lancettâ, attigi corpus durum, quo preſſo prodiit calculus albus, anguloſus, lente major, ſimulquè aliquot arenulæ pellucidæ, anguloſæ: an prioris fruſtula? non certò ſcio; utcunque enim lancettæ membrana inter ſcindendum reſiſteret, nullo tamen fortiore nixu in cavum glandulæ, ungui pollicis mei impoſitæ penetravi, ut inde ruptus fuiſſet: continuit inſuper liquorem turbidum, pultaceum ſeu medulloſum, ſubrubrum.

Ab egreſſu nervorum opticorum ad illorum inſertionem in oculos ſpatium eſt, in quo citra difficultatem humor guttæ ſerenæ cauſa colligi poſſet, cùm propemodum vacuum ſit, nihilquè contineat præter vaſa ſanguifera, ſurculos hinc inde ſpargentia, & fibrillas tum teretes tum latas membraneas tenerrimas. Oculos cum palpebris exemi: hâc ratione, tum glandulâ conglomeratam ſextuplo majorem glandulâ lachrymali, cum omnibus muſculis, integrâquè trochleâ eximere, ſimulquè adnatæ conditionem contemplari licuit. Muſculi duplici ratione ſeparari poſſunt, vel incipiendo poſt adnatam, quod laborioſius videbatur, vel ante illam, quâ ratione citius muſculis cum integra trochlea potiebar, ſimulquè adnatam penitius exploravi. In oculum acum in iridis extremum terminum, propè albugineam adegi

adegi, perveni in ſpatium eis uveam, ac didici acum in depoſitione catarrhactæ cautè demum per uveæ foramen, quod pupillam conſtituit immittendam, ac catarrhactam acus apice, ex ſpatio quod inter uveam laxam & anteriorem partem humoris cryſtallini eſt, eliciendam eſſe: nam omnem catarrhactam hanc ſedem occupare inde conſtat, quòd omnes rotundæ ſint: ſi in parte anteriore ſitæ eſſent, non exactè rotundæ per corneam pellucidam viderentur. In proiectione cavenda ſummopere uveæ punctura, aut laceratio, qua ſummos cruciatus, & laceratâ ſimul uveâ inemendabilem cœcitatem excitatos memini: laceratâ namque uveâ, pupilla rotunditatem amittit. Si poſt uveam laxiorem ſeu portionem corneæ non adhærentem acus adigeretur, ligamentum ciliare rumperetur, & vix punctura humoris cryſtallini evitari poſſet: quamvis quidam hoc modo paracenteſin inſtituendam rentur. Corneam penetrant vaſa ſanguifera in parte poſtica, & ramos uveæ ac retinæ impertiunt. Retinæ moles multo major eſt nervo optico: in illa multa mintua vaſa ſanguifera conſpiciuntur.

Poſt meridiem circa quartam abdomen & pectus aperuimus, expoſitum aëri aprico. Interanea tum quoque adhuc calebant, inſtar pecudis propemodum recenter mactatæ. Pulmones in dextro latere inflati erant, conſperſi maculis & ſtriis ſubnigris, ſubtus rubicundi & veluti inflammati; in ſiniſtro latere collapſi & prorſus albi & exſangues. Cordis ambo ventriculi, auriculæ, arteria aorta, vena cava ne guttulam quidem ſanguinis continebant, nec ex Vena pulmonica vel guttula in ſiniſtrum ventriculum ſtillabat.

Denudatis viſceribus imi ventris, inteſtina ferè ad os pubis omento pinguedine ſubflava prædito tegebantur. Ventriculus prorſus vacuus, in medio anguſtior & parvus apparuit; Inteſtinum colon in dextro latere, ubi peritonæo & renis tunicæ adipoſæ annexum erat, flatibus diſtendebatur, ac prope ventriculo

 amplius

amplius erat; non rectà ſed incurvè deorſum verſus ſiniſtrum latus, ſecus ac alias pingitur, exporrigebatur: flexura ejus in ſiniſtro latere non diſtenta erat; continebat ibi, ut & rectum hinc inde, maximè in pelvi, excrementorum fruſtula in ſcybala concreta. Ileon aliquot in locis flatibus diſtentum pellucebat; duobus in locis glomeres lumbricorum tangi poterant. Inteſtini coli portio, ut & ilei, flavedine à veſicula bilaria latè tingebantur & portio meſenterij & Meſocoli hepar erat pallidum, ſubflavum, exſangue, molle tamen & tenerum: Renes quoque pallidi, magis tamen ad albedinem quàm flavitiem vergentes: Lien lividus. Veſica urinæ plena.

Inteſtina cum pancreate, veſiculâ felleâ ex cavo hepatis cum ductu excisâ, ventriculum & gulam ſimul cohærentia exemi. Sordes chirurgi famulus, omniaqué ventriculi & inteſtinorum contenta aquè per infundibulum in gulam iteratô fusâ, diligenter eluit.

Die ſequenti omnia inteſtina attentius perluſtravi: Ventriculum & gulam ſp. cereviſ. add. abſinth. & lavend. maceravi, ad diligentius examen ſervanda. In toto inteſtinorum ductu à pyloro ad extremum rectum, foris conſpicuæ erant fibræ rectæ ſub illis circulares: utræqué in colo & recto conſpectiores erant: nec illis cœcum deſtituebatur. Inteſtina juxta inſertionem meſocoli & meſenterii ſecundum longitudinem diſcidi: Rectum intus mucoſum erat, mucus pellucidus, quo abſterſo læve erat: non lanuginoſum: mirè anfractuoſum: ejus tunica nervoſa laxè cum fibroſa connectebatur, illisqué ſeparatis anfractus obliterabantur: plurimæ glandulæ ſolitariæ in illo videbantur, in medio manifeſto oſculo præditæ. In colo, præter anfractus minores, aderant valvulæ conniventes, beneficio ligamenti nervei cellularum diſcrimina facientes: multo muco oblinebatur, quo abſterſo læve erat: ſub valvula in fine ilei, quam orbicularem & membranaceam latam vidi, colon ſinum habet, & amplius capacius

pacius eſt, quam in reliquo progreſſu: plurimas glandulas, ſolitarias plerunque, aut ſolum 3. vel 4. conjunctas itidem oſculo præditas inveni. Cœci oſculum facile piſum admiſiſſet, nerveum, in ambitu ſulcis rectis præditum, ac ſi ſe conſtringeret: continuit prope oſculum aliquid fœcum liquidarum; in extremo liquorem turbidum veluti chyloſum, & granum unicum frumento ſaracenico ſimile. Contentis abſterſis muco oblinebatur: glandulas ſparſim ſolitarias hinc inde, at plures conjunctas in extremo ejus apice..

Jejunum intus lanuginoſum & inſtar panni ſericei tonſi cum Ileo & duodeno erat, nec ablui neque abradi hæc ſuperficies penitus poterat. In jejuno poſt iteratas ablutiones, præcedente die nihilominus liquor lacteus turbidus & veluti chyloſus copioſè apparuit, qui prope inſertionem flavedine tingebatur; à pyloro verò ad inſertionem ductus bilarii ut & in ileo magis mucoſus erat. In fine ilei plexum ſeu agmen glandularum, quale in quadrupedibus, gramine & fœno veſcentibus, ut & in lupis, canibus & vulpibus vidi, invenire nequii, at plures ſolitarias, minores tamen quàm in recto & colo: at in partibus ſuperioribus octo agmina, tum ampliora tum anguſtiora inveni, minus tamen prominula quàm in prædictis brutis: plurimas autem ſolitarias. Agmina ſeparatâ tunicâ fibroſâ manifeſtè nerveæ tunicæ inſculpta ſunt: videntur in illa ſcrobiculi minuti, qui eâ parte, quâ fibroſam ſpectant, cœci ſeu impervii, at pellucidi ſunt. Circa agmina in tunica nervea ſunt plexus quoque capillares ſanguiferi. In duodeno plurimas inſignes glandulas ultra palmi latitudinem, à pyloro deorſum ſparſas inveni, quæ detractâ tunicâ fibroſâ quaſi conglomeratæ apparuerunt, dimidiati ſeminis cannabini magnitudine, quæ aquâ maceratæ mucum ſtillabant copioſè, etiam octavo adhuc poſt mortem die. Valvulæ conniventes *Cl. Kerkringii* imprimis conſpicuæ erant in jejuno, quæ ſeparata fibroſâ à nervea tunicâ, nihilo-

hilominus perſiſtebant. Quatuor digitis infra pylorum in duodeno, prominuit corpuſculum rotundum album, nerveum, durum, ſemine cannabino majus, ac intra tunicas tetigi corpus rotundum, ferè dimidiæ unciæ longitudine, craſſitie pennæ gallinaceæ, quod ductum pancreaticum primùm credidi, quia ibi quoque portio pancreatis accreta erat, verùm neque inflatione per tubulum minutum penetrare, vel minimum oſculum longâ inquiſitione reperire potui: at poſtea integro ductu pancreatico denudato, ejus inſertionem plenam juxta bilarium inveni: nam octo digitis infra pylorum in cavo inteſtini apparuit rimula oblonga, & corpus rotundum, ferè magnitudine pennæ anſerinæ tetigi, longitudine unciæ dimidiæ: intruſo ſtilo per ductum bilarium, &, alio per ductum pancreaticum in inteſtinum, deprehendi ſuperius bilarium, infra illum pancreaticum, quemlibet proprio oſtio in illum canaliculum, intra duas tunicas latentem, hiare, & contenta per rimam effundere: unum quodque horum oſtiorum anguſtius eſt ſuo ductu, ægriuſqué ſtili tranſmiſſionem permittit, imo paulo ante oſtium ampliores ſunt ambo, quam in reliqua ejus portione, inſuper oſtia hæc nervea & robuſta ſunt, quæ manifeſtum argumentum præbent, non ſemper bilem & ſuccum pancreaticum exſtillare, ſed quandoque detineri, & à continuo effluxu arceri; multò minùs aliquid ex inteſtinis admittere, quod poſterius etiam hoc confirmat, quod trans oſtium ductus pancreatici, nec vel minimum veſtigium flavedinis in illo, in hac fœmina comparuit. Idem quoque innuit inceſſus canalis communis, inter duas tunicas obliquas ſeu à ſupernis deorſum vergens, ipſaqué rima connivens, biliſqué ductus communis prorſus, colore & conſiſtentia ſimilis illi, quæ in veſiculâ bilaria continebatur.

Gulæ fibræ externæ carnoſæ robuſtæ; internæ utcunq; non exactè circulares ſed ellipticæ videbantur; illâ tamen ſecundum longitudinem incisâ & explanatâ verè circulares ſeu tranſverſæ

exiſtunt,

exiſtunt,quas rectæ decuſſatim interſecant. Tunicæ fibroſæ nervea laxè adhæret, mediantibus fibris veluti membraneis; & quamvis rectæ fibræ proximè nerveam non attingant, ſed circulares,nihilominùs ſulcis rectis prædita eſt, qui ſeparatis fibris evaneſcunt. Nervea alba gulæ,craſſior & tenacior eſt membranâ nerveâ ventriculi & inteſtinorum, quamvis illis continua exiſtat. In illam quoque deſinunt vaſa ſanguifera ac nervi, qui prorſus in illa obliterantur. Nullas in illa glandulas obſervavi, præter illas quæ circa ſtomachum exiſtunt. Ventriculi magnitudo, dum integer erat multò minor erat,quàm poſt ſeparationem tunicæ fibroſæ, tum quod ob abſtinentiam à cibo & potu vacuus, tum quod à fibris inter fibroſam & nerveam tunicam inter mediis,coarctatus eſſet. Fibroſæ tunicæ longitudo ſupernè à ſtomacho ad pylorum erat ℥xij. inferiùs à ſtomacho ad pylorum ℥xxiiij. latitudo in parte ſiniſtra, ubi poſt inſertionem gulæ protuberat ℥vij. in medio ferè ℥vj. Antrum pylori longum erat ℥iiij, latum ℥ij NB. Gula non in extrema parte ſiniſtra,ſed ℥ij. circiter ab illa ſupernè inſeritur. Foris fibræ rectæ,fibris gulæ continuæ inde exporriguntur per totum ventriculum & inteſtina, uſque ad podicem, ſed pertenues ſunt: tota tunica fibroſâ ablatâ, circa ſtomachum apparent circulares illum ambientes carnoſæ & robuſtæ, ac aliquo uſque exporriguntur, ſc. ultra unciæ latitudinem circa regionem ſtomachalem: ab illa prope ſtomachum, ſupernè extenduntur aliæ fibræ recte,ad antrum pylori uſq; robuſtiſſimæ,carnoſæ; propè ſtomachum utrinque ab hac rectarum ſerie,aliæ obliquæ ad latus utrumque deſcendunt, quæ quo magis fundo accedunt, eò magis obliterantur. Circa medium ſtomachi, quoque ab his fibræ rectæ obliquè deorſum deflectunt,& antequam ad fundum pertingant, quaſi evaneſcunt. Rectæ quæ in parte poſtica & fundo videntur, ſunt ſoboles fibrarum rectarum gulæ, certè illis continuæ & pertenues exiſtunt. Sub his rectis externis & internis ſitæ

Q ſunt

ſunt fibræ circulares totum ventriculum ambientes, tenues, non carnoſæ, nec tam robuſtæ, ut rectæ per dorſum ventriculi ſupernè incedentes, ferentesque ad antrum pylori: paulò antè antrum pylori craſſiores & carnoſiores eſſe incipiunt: at quæ antrum circundant craſſæ, robuſtæ & nerveæ ſunt; limbusque ille, qui in extremo pylori inſtar valvulæ exiſtit, nihil aliud eſt quàm circulus ex fibris nerveis circularibus denſiſſimè compactus, latitudine pennæ anſerinæ, minus tamen craſſus, quàm penna anſerina eſt. Circulum iſtum totum à membrana ventriculi nervea ſeparavi, ac obſervavi limbum illum in pyloro prominulum, intus alias conſpicuum, penitus evanuiſſe. Fibroſa tunica faciliùs à membrana nervea ſeparari poterit, poſt macerationem in aqua frigida per aliquot dies, ſæpiùs aquâ mutatâ; aut ad fœtorem declinandum Ol. lavendul. abſinth. &c. Ligamenta quæ nerveam tunicam & fibroſam connectunt ſatis arctè, ac anfractus in tunica nervea efficiunt, ſunt vaſorum ſanguiferorum rami, nervorum ſurculi & fibrillæ ac membranulæ quaſi nerveæ, alicubi ſatis tenaces. Utraque membrana, ſc. nervea & fibroſa commodius ſeparari poſſe videntur, ſi à pyloro exordium fiat. Membranæ nerveæ, ablata tunica fibroſa, in menſa citra extenſionem fortiorem explanatæ, longitudo ſupernè à ſtomacho ad antrum pylori erat ℥xiij, inferior ℥xxxv. Antri pylori ℥iiij. Latitudo prope ſtomachum ℥x in medio ℥viiij. Antri pylori ℥iiij. Latitudo propè ſtomachum ℥x in medio ℥viiij. Antri pylori ℥ijs. In tota ejus ſuperficie, quâ fibroſam reſpiciebat, nullam glandulam niſi circa ſtomachum aliquot compreſſas & veluti verrucas, lentis magnitudine adhærentes conſpexi. Per ſuperficiem plurimi rami ſanguiferi diſperguntur, & inter ſeparandum, plurimos nervorum ſurculos ipſi impertiri deprehendi, qui in illa obliterabantur. Superficies externa lævis erat atque omnis aſperitatis expers, præter illam quàm vaſorum rami & ligamentorum ſupra memoratorum ſegmenta, pepererunt.

At

At longè alia facies erat membranæ hujus nerveæ intus; omnes anfractus complanati erant & obliterati; totam internam ſuperficiem densè operiebant ſeu glandulæ ſeu verrucæ, certè externæ ſuperficiei glandularum, quas in oculorum angulo minore & in glandulis lachrymalibus vidi non abſimiles. Plurimæ & majores erant in fundo & ad latera, pauciores in parte ſuperiore, minuſqué densè junctæ, pauciſſimæ & rariores & veluti ſolitariæ in antro pylori, quod propè glabrum erat. Glandularum magnitudo diverſa, aliæ lente majores, aliæ minores, vix craſſitie lentis præditæ; figuræ diverſæ, quædam rotundæ, quædam oblongæ, multæ anguloſæ; quædam erant fuſcæ, quædam albæ, quædam ſubrubræ, omnes firmæ. In quibusdam manifeſta oſcula rotunda ceu acu inflicta vidi. Mucum dum ventriculus recens erat, ſeu paucis poſt decollationem horis fluidum & pellucidum reperi nam propè antrum pylori infernè vulnus inflixi, ad infarciendum illum fol. lavend. & abſinth. inciſ. & ſp. cerev. irrorandum, quo diutiùs ipſum aſſervare & commodiùs explorare omnia poſſem: Verùm octavo poſt obitum die mucum hunc tenaciſſimum & craſſiſsimum inveni, in multis locis tincturâ viridi imbutum: alicubi verò ubi intra anfractus delituit, album, turbidum & veluti chyloſum. Mucum omnem non difficulter, integris glandulis, cultro obtruſo abradere potui. Si hæc ſuperficies in omnibus humanis appareat, minùs nos de fermento ſollicitos eſſe decebit. Hanc octavo poſt mortem die aqua maceravi 24. horis, poſt abſterſi omnem mucum: die 9. multum adhuc muci abſtergere potui, ac inter abſtergendum liquor albus turbidus ex glanduloſa hac ſuperficie, frictione & ſcalpturâ prodiit. Tunica hæc minus denſa gulâ interiore, craſſa tamen & laceratu difficilis, niſi ubi inter ſeparandum ſauciata erat. Scalpturâ & abraſione muci glandulæ firmæ perſtiterunt. Poſt macerationem hanc levi inciſione factâ, omnem compagem hanc glanduloſam à membrana nervea ſeparare potui, ac peculiarem tuni-

cam conſtituere cognovi, quæ cum nervea jungitur fibris ſolutu longè facilioribus, quam à fibroſa, niſi ubi in membrana nervea uberior ramorum ſanguiferorum, aut ſurculorum nerveo-proventus erat; ibi enim unguibus vix illas, ſine alterutrius laceratione, ſeparare valui. In tunicæ nerveæ ſuperficie hanc tunicam ſpectante, plura quaſi retia vaſorum ſanguiferorum, ſeu ramos, in capillamenta diviſa, & variè intricata obſervavi. In tunica hac glanduloſa, ubi nerveam reſpicit nulla quidem vaſa ſanguifera, at ſtrias rubras vidi, ſc. ibi, ubi incumbebant rami ſanguiferi. Tunicam hanc glanduloſam ex villis erectis densè junctis, compoſitam vidi, quorum villi longiores, conjunctiores, arcteque compacti, glandulas referebant; tùm in capitellis, tùm in ſpaciis intermediis beneficio catoptri, vidi plurimos porulos, alicubi capitella inſtar hydatidum, magnitudine piſi, pellucentia. An hæc tunica cruſtacea nuncupanda ſit, dubitavi: Certè multum muci, & liquoris chyloſi quaſi fovere credibile eſt, aut ſaltem humores immutare, nam poſt longam etiam macerationem liquorem album exprimere valui.

Tunica nervea multo tenuior eſt gulâ nerveâ, firma nihilominùs & tenax. Tùm ubi fibroſam, tùm ubi cruſtaceam ſeu glanduloſam reſpexit, illius ſuperficiem perreptarunt vaſa ſanguifera.

Uteri fundus in ſummo rubebat & anterius aliquantulum; In teſticulo dextro inveni rimam longitudine unguis parvi digiti, latitudine dorſi cultri mediocris, in ambitu rubentem; labiis diductis, ſcrobiculo ferè piſi capace præditam, intus quoque rubentem; ſimilem neque in hoc neque in ſiniſtro teſticulo reperi. Tuba Falloppiana dextra, major ſiniſtrâ videbatur & aliquantulum, ubi amplior eſt, rubeſcens. Inflatæ ambæ, maximè dextra, aliquo uſque digitum indicem admiſiſſent, ſc. ultra ℥j. poſtea per ℥ij. minùs diſtendebantur: hinc uſque ad inſertionem in fundum uteri, ob compagem nerveam, flatui non cedebat, verum uſque

uſque ad fundum uteri facile ſtylum minorem adigere potui, ubi amplo oſtio ambæ hiant. Interior ſuperficies in parte dextra, poſtica imprimis, nigris fibris deturpata erat, ſanguine corrupto ramos vaſorum implente; anterior rubra erat; muco obducta; quo abraſo nigredo & rubedo perſtiterunt: in collo interno, muco albo turbido abſterſo, ut & à parte rubra fundi ſanguinis guttulæ mucum rube facientes ſimul exprimebantur. Orificium internum occupavit mucus tenaciſſimus: dimidii digiti diſtantiâ à collo interno, ad illius oſculum nullæ venæ intus transparebant, tota ſuperficies alba rugoſa & poroſa erat. Orificium internum laxius, nec firmiter, ut ſolet, clauſum & conſtrictum fuit, ipſa ſubſtantia uteri poroſa erat, ac vaſorum inſignium oſcula illâ diſciſsâ apparuerunt, tam arteriarum quàm venarum, quorum quædam piſum admiſiſſent fere. Orificium internum in vaginam prominet, & laxis quaſi ligamentis in vaginam propendet aut ſuſpenditur, quibus laxatis, non adeo difficulter vera uteri procidentia contingere poteſt. Ut certior ratio quâ illa eveniat, ſciatur, ſerrâ ablato oſſe pubis & perpenſa, tum uteri, tùm fundi ſeu colli interni uteri coñexio in lateribus cum oſſe Iliaco in pelvi conſideranda, & impulſus uteri ſupernè faciendus eſt.

Scholia.

I.

Aqua ſeu lympha extravaſata intra anfractus cerebri, meninge tenui coërcita, quandoque Medicis cadavera ſecantibus, ſuſpicionem movet, quaſi ſymptomatum, maximè cephalalgiæ cauſa eſſet, quàm in hâc infanticidâ auxiſſent bullulæ ibidem conſpicuæ. Fortè etiam accretiones p. n. duræ meningis, imprimis in ſyncipite illam ad hoc ſymptoma

proclivem feciſſent,cum ſanguine in vaſis turgente liberior profluxus impediatur. An autem cephalagiæ obnoxia fuerit ? non certo conſtat : nullum tamen dubium eſt miſellam captivitati mancipatam, facinus ſerio deplorantem,ac infame mortis ſupplicium præ oculis videntem, largo lachrimarum imbre,ſymptoma hoc accerſiviſſe. Nec mirùm eſt partibus internis, ſeu utrâqué tenui meninge aliquid adverſi ſentientibus, cutim capillatam compati,ſive quod de humore nocuo per vaſa capillaria poros cranij pervadente aliquid ſuggeratur,ſive quod, tranſitu per cranium impedito, humor aliquis exiens aut remeans foris ſtagnet.

2. Retia verè mirabilia intra anfractus cerebri humani & inter lamellas cerebelli,ſurculos profundè intra cerebrum & cecerebellum demittentia, item rami arterioſi medulloſam ventriculorum ſuperficiem ac corpus calloſum perreptantes, & quoque ſurculos emittentes, qui profundius ſe immergunt, facilè fidem faciunt, aditum patere humoribus pravis, etiam ſuccis cicutâ & opio impragnatis ad intima cerebri & cerebelli,ibiqué vim ſuam exſerere poſſe, nec occultas vias, aut neſcio quas rimas, ſolis vaporibus aut flatibus pervias excogitandas eſſe. Manifeſtum quoque inde evadit, non omne ſanguini commixtum, licet deterioris conditionis ſummos tumultus excitare, imò quandoque facilius à medulloſa cerebri & cerebelli ſubſtantia, utpote ſenſu deſtitutâ, tolerari, quàm à membrana nervoſa, etiam pro ignobiliſſima habita. Non tamen nego per has vias ad cerebrum & cerebellum cauſas deliriorum, ſoporum & convulſionum aliunde transportari : attamen nunquam convulſiones excitare, niſi membranas nerveas,tactus adæquatum inſtrumentum attingant.

3. Sedem certam Menti, ſeu Rectori, aut Præſidi ſyſtematis nervoſi, ſeu Appetitui ſenſitivo in brutis, mandata fibris motoriis danti; ſeu denique ſenſui communi omnium ſen-
ſuum

ſuum objecta agnoſcenti & diſcernenti, ſeu Nomini alii facultati animali præfecto, intra corporis humani partes conſtituendam, multi Philoſophorum cenſuerunt. *Nob. Carteſius* ejuſque ſequaces hanc *Glandulam pinealem* eſſe credunt, quia unica ſit in cerebro, ad quam ceu ad centrum ſe omnia ſiſtere & poſſint & debeant. In crudeli hac matre in propria viſcera ſæviente, ſi hic omnium animalium judex locandus ſit, non mirum eſt carpeſiâ rupe duriorem, & obtenebratiſſimum animum habuiſſe, ac lapillo, arenulis, & turbido ſpurciſſimoque humore hanc regiam infarctam fuiſſe.

4. Eo tempore, quo cadaver hoc ſecandi occaſio oblata fuit cum *Cl. D. D. Emanuele Hurtero* Matronæ cuidam noſtrati guttâ ſerena cœcutienti medebar: quamobrem diligenter in locum affectum inquiſivi: noveram, monitore *Exc. D. Malpighio*, nervum opticum evolvi & explicari poſſe: atque in meditullio ipſius vaſa ſanguifera latere, indeque humorem exſtillare guttæ ſerenæ cauſam aliquando: hoc tamen in hac Matrona non fieri, me perſuadebant ſæviſſima cephalalgia, totum caput, maximè frontem occupans, ſuſurrus in toto capite, ſenſus quidam fluctuationis, aliaque ſymptomata comitantia. Itaque unicé operam dedimus ut avelleremus humorem ab hoc loco: ſetaceum per cervicem traduxi, crebro humeris circa deltoidem, poſt olecranum, in carpis veſicatoria appoſuimus, pilulas cephalicas exhibuimus, tandem trageas cephalicas, quibus radicem valerian. ſ. addidimus, diu ſumendas ſuaſimus: imperatâ ſimul victus accuratâ ratione, vinum aliumvé potum inebriantem denegando: his aliquandiu continuatis viſum integré recuperavit, talpâ antea cœcior, quamvis in papilla ne minimum vitium, præter amplitudinem, appareret: atque in hodiernum diem bene videt, legit, ſcribit. Solo ſetaceo puero ruſtico ſupino ex equo decidenti, ac graviter occiput allidenti guttam ſerenam benedicente Deo ante 14. annos circiter, ſuſtuli, qui hucuſque accuratè vidit.

5. Ma-

5. Mater mea chariſſima, circa 76. ætatis annum, animadvertit viſum imminui, ac in oculo dextro objecta ceu nebula obfuſcari: ſenſim ſuffuſio augeri cœpit, ac tandem in utroque oculo viſum ſuſtulit, ita tamen, quamvis margaritis ſimiles eſſent, ut lucem diurnam jam octuagenariâ major, diſcernere poſſet. Chirurgi quidam opem pollicebantur, quos tamen reſpuit, tum ob provectam ætatem, tum quod memor eſſet duos ex ipſius cognatis, nec viſum ab hac operatione recuperaſſe, nec melius ſuo ſenio conſuluiſſe, verùm vehementiſſimis doloribus affectos fuiſſe, qui ipſos ad mortem uſque excruciabant. Sæpe cum hujuſmodi ſermones miſcere contigit: alii volebant acum trans extremum terminum iridis prope albugineam intrudendam, quia ſuffuſionis ſedes ſit inter tunicam vitream laxiorem, & humorem cryſtallinum, unde omnes rotundæ conſpiciantur, ſi non rotundæ ſint, ut in ὑποπύῳ videtur, nec ſuffuſionem eſſe, nec facilè viſum penitus auferre, cum rariſſimè operiat pupillam: Alii cis hunc terminum acum introrſum adigendam putarunt, cum priore ratione ligamentum ciliare, ac pupillæ rotunditatem pervertere neceſſum ſit: & crediderunt ex pupilla ſuffuſionem bene maturam, artificibus cognitam, acu proliciendam, ac deponendam eſſe, quod firmato oculo, inſtrumento Fabrit. ab Aquapend. citra lacerationem uveæ, non factu difficile eſſe judicarunt. Utriſque ſcientiam conformationis oculi ſummè neceſſariam eſſe, manifeſtum eſt, & antequam in hominibus periculum faciant, illud prius in brutis impunè tentabunt. Mater optima, vanitatum humanarum conſpectu pridem ſatura, noluit illos admittere, potius beatam ἀνάλυσιν patienter exſpectavit, quàm etiam placidè & plena fidei obtinuit 83. Ann. & 4. Menſ. d. 25. Januar. 1678.

6. Pulmonum maculæ lividæ & rubor, non paucos & memet ipſum fefellerunt in cadaverum apertione, ac ſi malignitatis & inflammationis indicia eſſent, ac hic interitus cauſæ laterent.

rent. Quod tamen erroneum pridem agnovi,& me hoc ſubjectum confirmat,docetqué maculas & ruborem eſſe ſanguinem recenter hic ſtagnantem,qui motu cordis ceſſante, ulterius propelli nequiit, quod detruncato capite in motu ſubſtitit, nec ſanguinem ex capillaribus vaſis, ſanguine exhauſtum, propellere valuit.

7. Maculas etiam flavas colo, ileo aliiſqué vicinis partibus à veſicula bilaria impreſſas non pauci, neſcio quorum ſymptomatum authores, cauſantur, cum tamen hæc ancilla nunpuam ante hac ægrotarit, munia ſua bene obierit, adeò ut etiam domeſtici illam gravidam eſſe non animadverterint; cum quoque in ictero, non ſolum toto habitu, ſed etiam omnibus viſceribus, foris & intus à bile flaviſſimis,diu nulla deterioris notæ ſymptomata obſerventur.

8. De gula,ventriculo & inteſtinis quædam notanda forent, quæ tamen nunc omitto, ceu inſerenda, Deo volente, obſervationibus harum partium, quibus etiam hæc hiſtoria deſtinata erat. Illud ſolum moneo tunicam glanduloſam ventriculi, nullo modo glanduloſæ nomen mereri, ut paulò pòſt in aliis ventriculis & hactenus ſæpiùs animadverti: eſt revera tunica cruſtacea, ſi ventriculus ſtatim poſt obitum inſpiciatur, mucoſa apparet, ſi verò diu maceretur, aut fervidâ perfundatur,cruſtacea redditur, nec talis ſeparari poteſt niſi prius alterutrum tentetur. Similis eſt internæ tunicæ ventriculorum ruminantium, volucrium, aliorumque animalium. Veræ glandulæ inſculptæ ſunt nerveæ tunicæ, ut tribus caſtoribus, quibus munificentia *Sereniſſimi Principis ac Domini Domini Friderici Magni Marchionis Badendurlaccenſis* gratiosè potitus ſum, rurſus pulchrè tubulos ventriculi tunicæ nerveæ impreſſos reperi, ſimulque in fœmella caſtoreum, maſculo in omnibus ſimile, denuò inveni, niſi quod mole minùs eſſet.

9. Teſticuli dextri rima, tubaque Falloppii amplior & ru-

bicunda favere videntur ſententiæ *Cl. D. de Graef. de Organ. Mul. Gener. dicat* ſc. etiam in homine ex ovario per tubam in uterum ova deſcendere. Cœterùm quæ in utero apparuerunt, monſtrare videntur, non uſq; adeò omnia benè compoſita eſſe ibidem in fine puerperij: niſi fortè in puerperio, ſeu mortis candidata malè habita fuerit.

CAPUT X.

NOn parum animum torſit, quomodo cicuta aquatica tot tantaqué ſymptomata in pueris & puellis excitarit, illis tandem mortem attulerit, hæ verò evaſerint, nullis poſt ſe relictis deterioris valetudinis veſtigiis? Animadverti ſymptomatum quorundam generandi modum, exempli gr. vertiginis diverſimode explicari poſſe; nec certam rationem mortis propè definire licere, cùm *in Jacobo Mædero* quædam pro apoplexia, quædam pro ſyncope militarint, quamvis fortè ambo ſymptomata concurrerint. Rei difficultatem augent Medicorum diſſidia, aliter atque aliter afficiendi à venenis modum tradentium: quidam ſanguinem coagulari, lympham inſpiſſari & ſpiritus denſari à venenis exiſtimant; quidam ſanguinem & lympham contra nimium fundi ſpiritusque diſſipari opinantur; alii inexplicabili ratione corrumpi tradunt. Hanc ob cauſam putarunt venena in exigua quantitate, vel aſſumpta, vel foris advenientia, & vulnere illatâ admodum ſui multiplicativa eſſe, inſtarque fermenti totam maſſam ſanguineam, nunc citiùs nunc tardiùs, inficere poſſe. Alij neque ſpiritibus, neque ſanguine, aut lympha valdè immutatis, venena plurima ſæviſſima ſymptomata, vellicatis membranis nervoſis & ad contractionem irritatis, fibris nunc paucioribus nunc pluribus, excitari probarunt, à quorum ſententia *D. Willis in l.c.* non abhorret, eique favere videntur experimenta *Nob. D. Redi*, inter quæ paſſim occurrit neminem à gallinis, aut colum-

columbis morſu viperarum enectis, & poſtea comeſtis, quicquam damni paſſum fuiſſe, quod nullus evitaſſet, ſi maſſa ſanguinea à viperæ morſu depravata fuiſſet, ut plerique ſibi imaginantur. Huc pertinent quæ de Tora ſeu Aconito Pardalianches *Geſnerus*, aliisque venenatis ſuccis, quibus tela à venatoribus inficiuntur, alij Authores memorant, tradentes ſimul ſine noxa carnibus ferarum his telis peremptarum, veſci poſſe. Nullus tamen dubito, quin quandoque utraque ratione œconomia corporis humani à venenis pervertatur.

Ut in uno alterove certior fierem, vel ſaltem propius ad veritatem accederem, tum ſolus tum Amicis veritati litantibus hac in re ſociis, ipſemet experimenta in brutis facere conſtitui: dedimus itaque canibus, lupis aliisque brutis venena vegetabilia & mineralia: quorumlibet effectus pro virili annotavi, ad omnia quantum potui ſymptomata attendi, ſimulque tum in viventibus, tum in demortuis, Anatomiam in ſubſidium vocavi, ſanguinem & lympham conſideravi, parteſque ad quas venenum appulit, perluſtravi: ex his quorundam ſymptomatum ſc. vomitus, ſingultus, colicæ, dyſenteriæ, aliorumque fiendi modos diſcere potui: & ſi fortè non omnia aſſecutus ſim, anſam tamen tum aliis, tum mihi ulterius inquirendi dedit; atque imprimis φιλιάτροις ſtimulum præbebit hæc audendi, cum unâ operâ, & viſcerum ſtructuram, & quomodo medicamenta in corpus agant perſpicere poſſint.

Novi hos conatus à quibuſdam improbari; quoſdam cavillare nos operam ludere, cum non liceat, ut ipſi loquuntur, à brutis ad hominem argumentari: Nolo ſcriptum ſive ethnicum ſive ſatyricum *Hyeronimi Rorarij Exlegati Pontificij*, *quod animalia bruta ratione melius homine utantur*; quam materiam quoque *Philo Jud.* verſavit, ut videre eſt apud *Euſeb. Hiſt. Eccl. l.2. c.18.* his opponere, tantum conſiderandum propono, annon bruta quoque alimenta in ore præparata per gulam in ventricu-

lum demittant, ibique aſſumpta ſubigant, ſubacta ad inteſtina ablegent ulterius perficienda? annon ibi quoque chylus à fæcibus ſecernatur, chylus ſeparatus cum ſanguine unitus coaleſcat atque in ejus naturam permutetur, non ſecus ac in homine? Num aliis organis ad actiones has perficiendas neceſſariis quam homines utantur? Annon quoque à ſummo creatore dotata ſint membranis nerveis ſentientibus, fibris moventibus, liquore & calore foventibus? Num defraudentur ad vegetationem & augmentum requiſitis? aut avarior natura quam erga homines in illis appareat? Certè niſi obbrutuerint, aut ſuperciliosè naturam ipſam conſulere ſpreverint, non magnum, aut ipſorum præconceptis opinionibus uſque adeo favens diſcrimen invenient, ſi modo innoxio cruore & ſordibus, facilè aquâ expiandis, manus contaminare non abhorruerint delicatuli. Hos auſus nec turpes, nec Medico indignos exiſtimo, cum ad ſanitatem hominis conſervandam & reparandam ſpectent, quibus Medicum imprimis invigilare decet; nec quicquam honori ipſorum derogabit, ſi modo nullam maculam bonæ conſcientiæ aſpergere ſtudebunt. Crudelitatem quidam hic cauſantur, qui tamen non verentur intra viſcera condere τὰ τετράποδα τῆς γῆς, καὶ τὰ θηρία, καὶ τὰ ἑρπετὰ, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ; ac tantum non quotidie ventriculum infarciunt bubulâ, vitulinâ, ovillâ, piſcibus ſimilibusque, quæ maleſuada fames, aut gulæ intemperies imperat. Spretis his ſeu cavillis ſeu næniis, laudatiſſima experimentorum certamina *Nob. D. Redi & Cl. D. Charras* indefeſſo ſtudio in naturam veneni viperini inquirentium malui imitari, utcunque variorum brutorum cædibus conſtent. Non memini me hactenus vel legiſſe, vel à quoquam audiviſſe, Medicis Cæſareis vitio verſum fuiſſe, quod fontibus venena ſuggeſſerint, ut videre eſt apud *Matthiol. & Schenk. l. c.* ſupra: volui tamen nunquam ſimile tentare, quamvis luculenta occaſio ante aliquot annos oblata fuerit: Venit enim ad me Agyrta quidam Neapolitanus,

ſemet

ſemet appellans *Tarquinium de Roma*, importunè aliquoties ſollicitavit, ut ipſi venenum efficaciſſimum publicè exhibendum curarem, cujus virulentiam mox debellaturus ſit ſuo El. Orvietano, atque ita ſe demonſtraturum, hoc non præſtantius alexipharmacum in mundo reperiri: primùm ipſum cum iniqua petitione repuli variis argumentis, nimirùm officium meum eſſe prodeſſe non nocere hominibus, ſanare non occidere: Magiſtratus ſontibus licitâ ratione vitam, idque per famulos ad hunc laborem conductos tollendam curare; deinde Orvietanum medicamentum eſſe calidum; poſſe ipſi exhiberi venenum corroſivum, cujus vim tantum abſit, ut obtuſurum ſit Orvietanum, quin potius inde auctum iri; denique me noſſe temeritatem hanc, veneni turpis lucri cauſa ſumendi peſſimè ceſſiſſe, ac quosdam vitæ & animæ jacturam feciſſe. Noluit his cedere; urſit propinationem veneni, dixit hanc non denegaſſe Medicos quosdam celeberrimos Germaniæ & Helvetiæ; monſtravit ampliſſima teſtimonia à Medicis ſubſcripta, & ſigillo Urbium quarundam, etiam inclytarum, munita: fraudem ſubeſſe certo me ſcire regeſſi: id pernegavit. Cum importunus eſſe non deſiſteret, dixi me hac de re cum Collegis collaturum, & communi conſilio aliquid facturos. Tum temporis aliam ob cauſam conventus celebratur; propoſui *Cl. D. D. Chriſtophoro Hardero* mecum Poliatro & *Nob. D. D. Friderico Lucio Scretæ à Zavorziz*, Agyrtæ hujus ſollicitationes, addidique illum huc veniſſe, ut noſtrorum loculos fraudulenter emungeret, more impoſtorum iſtorum; teſte *Scipione Mercuriali degli Errori popolari d'Italia lib. 4. cap. 5.* ventriculum una atque altera hora ante ſtatum tempus venenum ſumendi, impleturum oleo, aliisvé pinguibus, veneni ſpicula obtundentibus. Concluſum fuit circum foraneo iſti his legibus venenum dandum; includendum, remotis famulis, aliisque fraudum miniſtris, conclavi alicui ſolum, cœnam mediocrem concedendam; cavendum ne pinguibus potiatur à cœ-

 nâ uſque

nâ uſque ad ſtatam horam & tum ſc. 12. vel 14. horis, à cœnâ elapſis in publico theatro, erecto ſuggeſtu, à pharmacopœi famulo doſin veneni integram oblatam haud cunctanter, abſque ullo dolo deglutiendam eſſe. Annuit ille cum quadam alacritate ſimulata, at mox evaſit, erupit; nec quicquam de illo his in oris hactenus auditum fuit.

Minus culpabor ſi venenorum agendi rationem in brutis explorem, ut hominibus proſim; quod etiam alii nuper fecerunt, inter quos *Exc. D. Joh. Sigiſm. Elsholz. Sereniſſimi Electoris Brandenburg. Medicum Ordinar.* nomino, qui *Clyſmat. Nov. p. 18.* in venam ſiphone ſtagma arſenicale ingeſſit. Nunc ſingulorum brutorum, in quibus hæc tentavi hiſtorias propono, quarum ſingulis adnotatu digniora ſcholia quædam ſubjungo.

Cicutæ Aquaticæ datæ Hiſtoriæ.

I.

CAni moloſſo robuſto, cujusmodi laniones ad urgenda jumenta, pecora & vitulos in itineribus adhibent, d. 1. Sept. 1676. horâ 2. pomeridianâ objeci cicutam aquaticam minutè conciſam & contuſam, carni vitulinæ aſſæ involutam; verùm ſtatim ſubodorato veneno bolum hunc guſtare noluit: aliam buccellam carnis ſolius mox devoravit. Itaque ligatis pedibus, ore bacillo diducto, radicum iſtarum contuſarum ℥j. circiter intrudi, nares digitis compreſſi, unde dimidiam circiter unciam deglutivit. Poſt dimidiam horam ſalivavit & ſubinde eructavit: capite tremuit: aliquantulum pedibus vacillavit: nullum aliud ſymptoma notatu dignum ſupervenit. Circa 7. veſperi catenam, quâ arbori in horto alligatus erat, ſæpius momordit. Per noctem in horto relictus vinculum coriaceum morſu tandem perroſit ac cum catena ferrea aufugit, danubiam

trana-

tranavit: d.3. Sept. alacris hinc inde per vicum curſitavit, ac ſi nec vel minimum à cicuta paſſus fuiſſet.

Scholion.

CIcutam aliquomodo ventriculum afflixiſſe, ſalivatio & ructus ſignificant, verùm læſio non magni momenti erat, quia non vomuit, cum alias ad vomitum faciles ſint, ſibiqué ſæpe illum gramine devorato moveant: fortè minus ventriculo moleſta fuit, quia cibo plenus erat & vinculo liberatus, multum aquæ danubium tranans bibit, unde ſequentibus diebus alacrior factus hinc inde curſitavit. Capitis tremor & pedum vacillatio, labem leviculam ad cerebrum pertigiſſe innuunt, evanuerunt eloto ventriculo frigidæ potu.

II.

Dominus *Joh. Chriſtophorus Simonius Tubingenſis*, Chirurgus præſtans d.8. Sept. 1676. cani juvenculo famelico, cui cibus 24. horis denegabatur, radicum à me relictarum, minutim conciſarum, citra additamentum, ultra unciam intrudit. Poſt elapſam horam dimidiam ſalivavit, vomuit, ſpuma pugni magnitudine ex ore pependit: mox miſerè ipſum torſit, varie convulſus fuit, nunc opiſtotono, nunc emproſtotono, nunc tetano; nunc oculos pervertebat, quandoque jactabatur: convulſionibus aliquantum remittentibus angebatur, ut in nullo loco manere poſſet; in greſſu titubavit, & paulòpoſt rurſus in alterutrum latus præcipitatus ruit: duravit afflictio duabus horis. Poſtea vires recuperavit, alacrior evaſit. Hinc denuò aliam radicum portionem ingeſſit, ſalivam ſtatim movit, non vomuit, ſemel alvum ſolvit. Convulſionibus per vices affligebatur: ſurgens protinus in latus præcipitabatur: omnem cibum, etiam carnes, & potum faſtidiit: ſupervixit ad diem tertium uſque: ad ſecundam uſque horam ante obitum ſubinde agitabatur, angebatur, ut nullo in

loco

loco permanere poſſet: incedens brevi in latus cecidit. Ultimis vitæ horis, ceu feſſus, jacuit, ſolummodo reſpiravit, donec exſpiravit.

Cadavere aperto ventriculum plane conſtrictum & corrugatum invenit: continuit ille radices integras, non comminutas nec emollitas, quales ſc. intruſerat; cætera prorſus vacuus & exſuccus fuit: deterſo pauco muco, vidit internam ſuperficiem rubicundiorem debito, & in fundo, ubi præcipuè jacebant fruſtula radicis, maculæ rubræ liveſcentes apparuerunt, foris ampliores quàm in ſuperficie interna ventriculi. Inteſtina prorſus erant vacua, contracta, & intus veluti ſicca: in fine recti mucum viridem reperit. Veſica parva, corrugata, vacua. Ventriculi cordis pleni erant ſanguine nigro concreto.

III.

Eodem tempore lanionis moloſſo eandem radicem minutim conciſam cum lacte ingeſſit; ſalivam movit, vomitum excitavit, quo radicem aliaque contenta ventriculi largè ejecit; non convellebatur; nec quicquam ſiniſtri poſtea paſſus eſt.

Scholia ad Hiſt. II.

1.

Cicutæ radix minutim conciſa ſola citra ullum additamentum cani juvenculo, data ut penitus ejus vires innoteſcerent.

2. Poſt brevem moram in ventriculo vires ſuas exſeruit, ac monſtravit ſe non frigidam & torpidam eſſe, nam primum ſalivavit, non ob vellicationem quandam circa oſcula ductuum ſalivarium in ore, ſed irritationem nimiam in ventriculo, unde per gulam ſurſum truſa fuit ſpuma; forte etiam quia contracto ventriculo & gulâ, partes in faucibus, communi tunicâ nervosâ gaudentes, corrugatæ aliquo modo fuerunt, non ſecus ac vomitum

tum quandoque ſalivatio præcedere ſolet. Deinde anxietatem quandam excitavit rodendo & vellicando nervoſa ventriculi, quæ etiam ceſſantibus convulſionibus perſtitit, ob quam nullo in loco perſiſtere valuit; nam hujus cauſam in ventriculo hæſiſſe poſt obitum patuit, dum apparuit radicem ventriculum non egreſſam fuiſſe, nec quicquam aliud extra illum in duodeno alibivé in inteſtinis repertum fuit, cui anxietas attribui poſſet. Mox aderant convulſiones variæ eæque vehementiſſimæ, effectus cauſæ non ignavæ & frigidæ. Denique ſectione manifeſtiſſimè conſtitit cicutam calidam eſſe, non ſolùm ex ſuperficie rubicunda anfractuum, ſed potiſſimum ex maculis rubris foris quàm intus latioribus, quæ non à ſimplici ſed propè cauſtica cicutæ vi productæ fuerunt, ac gangrænoſi quidpiam occultaſſe videntur.

3. Convulſiones caniculo huic evenientes exemplum ſunt, à cauſa irritante extra principium nervoſum locata illas commoveri poſſe: nam radices non egreſſæ erant, limites ventriculi, nulla n. illarum veſtigia in inteſtinis reperta fuerunt: nullæ ibi radices, nullus ſuccus viroſus apparuit: nec credibile mucum viridem in extremo recti inventum, à radice originem traxiſſe, cum cœtera inteſtina munda eſſent, talisque mucus pridem bile tinctus huc pelli potuerit. Eadem ratione in ventriculo permanens vertiginem titubantem excitavit.

Radix convulſiones concitaſſe videtur, non ſolùm ob roſionem aut irritationem vehementem, ſed quoque ob arctiſſimam & procul dubio valde dolorificam conſtrictionem, tum orificiorum, tum totius reliqui ventriculi, ob quàm Præſes ſyſtematis nervoſi indignabundus & propè furioſus, varij generis motus convulſivos, inſtituit; nam nec vomuit, nec dejecit, ac poſt mortem conſtrictus & corrugatus viſus fuit. Inter vehementiſſimos motus convulſivos induciæ quædam caniculo concedebantur, quamvis radix in ventriculo perſtiterit, nec irritare de-

S fierit,

ſierit, ut ex anxietate ob quàm in certo loco permanere nequiit, abundè conſtat; quod procul dubio factum, quia Archæus feſſus & multis ſpiritibus deperditis à tumultibus ceſſare cogebatur, licèt nihil exhibitum fuerit quod ipſum demulſiſſet, aut ſopiviſſet, quod pomum citri, Archæo furioſo reddito à morſu viperarum, *Cl. D. Frideric. Hoffmann. in Clav. Pharmaceut. Schrœder. Libr. 4. ſ. 1. Tit. de Pan. Citr.* egregiè feciſſe memorat. Idem tamen quoque evenit principio nervorum propius afflicto, unde epilepticis ſæpè longæ feriæ à paroxyſmis conceduntur, imprimis ſi paroxyſmi vehementius ſolito affligant. Devictis radicum ſpiculis acrioribus & fortè prorſus obtuſis, caniculus alacrior factus, poſt duas horas ſuperatas & fortè nihil horum amplius paſſus fuiſſet, niſi denuo novarum radicum farrago intruſa fuiſſet. Hæ utcunque convulſiones per vices intermittentes quoque excitarint, nihilominus gravius afflixerunt, nam non amplius incedere valuit, tum ob ſpirituum animalium conſumptionem, à convulſionibus per triduum propè durantibus, tum ob vitalium defectum in momenta majorem; nam toto triduo omnem cibum & potum faſtidiit, maſſaque ſanguinea & à calore cicutæ & ab agitationibus convulſivis procul dubio valdè efferbuit, indeque non reparatis ſpiritibus, penuriam ſpirituum ſummam neceſſariò attulit. Radix hæc virus ſuum potentius in caniculum hunc exſeruit, tum ob ætatem teneriorem & cruſtaceam tunicam rariorem, minusque contra hujuſmodi injurias obfirmatam, tum quia nihil in ventriculo præter ſolenne fermentum idque paucum aderat, quod ſpicula ipſius obtudiſſet; unde ob fermenti paucitatem nec radix quidem emollita fuit.

4. Faſtidiit omnem cibum & potum, non ob ſtuporem ſtomachi, quem ſenſu valuiſſe ad extremum, tum anxietates, tum motus convulſivi probant, ſed propter hoſpitem adverſiſſimum, ſc. radices quibus ventriculus infarctus erat. Sic in febribus

bribus quidam omnem cibum abhorrent & ad vini nomen nauſeant, utcunque antea bibuli fuerint, & ſiticuloſi ſint: phrenetici quoque nec aquam poſcunt. Hydrophobiam tamen adfuiſſe non dixerim, cum aquam appoſitam non fugerit & chirurgus ſectionem impunè peregerit.

5. Inteſtina & veſica vacua & ex ſucca fuerunt, quia ob famis & ſitis triduanam tolerantiam, labores convulſivos propè continuos & vim calefaciendi cicutæ, maxima pars lymphæ ex hauſta fuit.

6. Mortuus eſt caniculus tertio demum die, quia ſenſim ſpiritus animales & vitales conſumpti fuerunt, ob ſæviſſima ſymptomata & quia miſellus nunquam vel minimo refocillatus fuit. Cor tandem elanguit, tum ob ſpirituum inopiam, tum ob enervationem à frequentiſſimis convulſionibus, à quibus non immune fuiſſe, credibile eſt, toto ſyſtemate nervoſo tumultuante. Et licet duabus horis mortem præcedentibus, à motibus convulſivis nihil ampliùs hujuſmodi paſſum ſit, nihilominus à prægreſſis afflictionibus ita proſtratum fuit, ut ſanguinem protrudere nequierit, ſanguis in grumum coaluit, non propter vim aliquam coagulantem cicutæ, cùm potiùs contraria & fundens ipſi inſit, ſed ob motum cordis ceſſantem: ſanguine, ut alias in saniſſimis ſolet, ſponte ad coagulationem tendente.

Scholia ad Hiſt. III.

MOloſſus Lanionis denuo virus cicutæ eluſit vomitu: fortè etiam lac ipſius acrimoniam mitigavit. Nuper *D. Theodorus Zvvingerus* φιλίατρος, diligentiſſimus Avitarum virtutum medicarum hæres, feli ſemen cicutæ aquaticæ cum lacte ingeſſit, quod ſine ullo ſymptomate toleravit, quamvis ipſorum ventriculi minùs injurias quàm canini perferant.

Hiſtoria IV.

CIcutæ aquaticæ virus experiundi otium & occaſionem nactus Doneſchingæ d. 15. Sept. 1676. canem vetulum, mediocris magnitudinis, coloris fuſci, cætera vulpi ſimilem, à tempore veſpertino ad horam 10. antimeridianam d. 16. Sept. ab omni cibo & potu jejunum detinui: tum cicutæ aquaticæ recentis radices contuſas, unciarum quatuor pondere, pedibus ligato & ore piſtillo diducto, intrudi; ægerrimè radices in ventriculum admiſit, & iteratis vicibus diu in gula detinuit, ut partim naribus occluſis, partim foris, gulam deorſum fricando, illuc promovendæ fuerint. Cum ligabatur ac radicis intruſione vexabatur, largiſſimè alvum & veſicam exoneravit. Vinculis ſolutus, aliquandiu angi videbatur ac celerius reſpiravit, ſed inde nec vomuit nec alvum ſolvit; paulòpoſt vegetus iterum evaſit, ac ſi nihil adverſi prorſus pateretur. Itaque horâ primâ pomeridianâ radices in taleolos & majora fruſta conciſas, mediante bacillo, linteo obvoluto & oleo imbuto, ultra quatuor uncias intrudimus. Vinculis ſolutus aliquandiu celerius reſpiravit, quod potius torturæ quàm radicis virulentiæ tribuendum erat, nam in aliud conclave ultra quinquaginta paſſus deductus, nunquam nutavit, neque ullum viſceris alicujus afflicti ſignum edidit ad 10. uſque veſpertinam: circa illud tempus crebro ad vomitum ſtimulabatur, atque liquor aliquis uſque ad fauces trudebatur, quem tamen protinus rurſus deglutiit: totâ nocte quietus fuit. d. 17. ſept. mane vegetus erat, nunc ſurrexit, nunc rurſus decubuit, appoſitam aquam bibere noluit. Horâ 9. matutinâ rurſus ad vomitum urgebatur, liquorqué uſque ad fauces pertingebat, quem ſtatim iterum deglutiit: poſtea crebro pedes lingere cœpit: Horâ 12. carnes & fruſtrum panis cum oſſibus avidè comedit & paulò poſt bibit: quod itidem fecerat hora 7. veſpertina

tinâ noctu inquietus erat,& vinculis,quibus ne aufugeret,conſtrictus erat, ſe liberare conabatur, aut quiritabatur. d. 18. ſept. vividus erat ac validus, ac ſi ne micam radicis accepiſſet: ſiticuloſus multum aquæ bibit, & comediſſet, ſi cibus datus fuiſſet. Itaque horâ 10. antimeridianâ conſtitui ſuccum ex herba & radicibus contuſis, & aquâ fervidâ aliquamdiu maceratis, fortiter expreſſum infundere: dum pedes vinculis ſtringuntur, piſtillum ori tranſverſim inditur, magnâ vi ligamenta rumpit, venatorem morſu graviter vulnerat, ac fæces atro vireſcentes in cylindros compactas,copiosè egerit & largiſſimè mingit. Tanto robore recuperato,poſt aliquot dierum famem,& ſuperatâ cicutæ virulentiâ, vix & non niſi poſt multos labores ligando,ad infuſionem aptari potuit. Infudi tandem ante undecimam hujus liquoris plus quàm libras duas. A liquore infuſo abdomen valdè intumuit. Poſtquam vincula maximam partem ablata fuerunt, largiſſimè vomuit mucum tenaciſſimum, ſubnigrum, allium redolentem cum aliquot radicum cicutæ taleolis emollitis, ſed non diſſolutis, quos ultra ſeptuaginta duas horas intra ventriculum continuit. Circa duodecimàm crebro præ anxietate ſitum mutavit, nunc ſedit, nunc in ventrem, nunc in latus decubuit, non nunquam prono capite diù attonitus ſtetit: paulò pòſt ſaliva ſpumea copiosè ex ore manare cœpit, non ſecus ac ſi mercurius vel illitus vel ingeſtus fuiſſet.

Ante primam pomeridianam mucum album, penitus ſpumeum, ſimilem ſalivæ ex ore ſtillanti, copioſum, magno nixu evomuit: ab illo tempore ſalivatio parcius eveniebat: valdè angebatur: ſæpe ad vomitum ſtimulabatur; reſpiravit celeriter cum ſono quodam triſti & querulo: ſitum ſæpe mutavit, ut quo ſe verteret, neſciret; Poſt 3. pomerid. rurſus mucum copioſum, ſpumeum, atro vireſcentem, cum aliquot taleolis radicis cicutæ 16. ſept. intruſæ,magno nixu evomuit. Ab illo tempore ad 10. noctis ſæpiſſimè ad vomendum urgebatur,at liquorem & quic-

quid ad fauces uſque protrudebatur, nunquam amplius egeſſit, plerunque gemebundus exſpiravit, ferè decubuit, omnibus tamen ſenſibus valuit,& irritatus baculum morſu petiit: accedentes fixis oculis intuebatur, & ad quemlibet ſtrepitum attendebat: ructus & crepitus fœtidiſſimos, allium redolentes, crebro emiſit. Cibum ſc. bubulam elixam, & fruſtulum pellis cervinæ, in quo receptaculum lachrymæ continebatur, circa ſeptimam deguſtare noluit,& naribus propius admotum, averſabatur. Totâ nocte ferè inquietus fuit: audivi aliquoties vinculum ferreum, quo pedi menſæ alligatus fuit & totum corpus ſuccutere: an aliquid convulſivi paſſus fuerit? præ denſiſſimis tenebris videre nequii: mane tamen d. 19. Sept. circa quintam ipſum lorum,ubi coriaceum erat, avulſiſſe & cibum in cœna appoſitum devoraſſe,comperi. Valdè tum languidus erat,minusque alacris, unde facilè paſſus eſt ſe denuo menſæ alligari: Vomituriebat ſæpiùs, nihil tamen excrevit; reſpiravit adhuc ſono querulo. Circa 7. matutinam ulterioris moræ impatientes,funiculo collo circum poſito,ipſum ſtrangularunt: vix ſuffocari potuit,& ſtatim in principio funiculum,vehementiſſimè corpus agitando diſrupit, parùm minxit: per alvum præter flatus nihil emiſit. In cadavere ſequentia obſervatu digniora notavi. Primùm abdomine aperto, omnia intus verè fervebant, imprimis epar attactu admodum calidum erat; ventriculus non admodum diſtentus fuit,dum adhuc calebat, poſtquam frigeſieri cœpit, magis intumuerat: inteſtina maximam partem gracilia, contracta & corrugata, etiam rectum, videbantur: Cœcum turgidius fuit: ſuperficies ventriculi externa ex albo rubeſcebat: inteſtina albicantiora fuerunt: epar erat atro rubeſcens: pancreas ſolito rubicundius: lien longè pallidior hepate. Renes à ſolita facie non deſciverunt: veſica diſtentiſſima & lotio flavo impleta fuit. Vaſa ejaculatoria abſciſa inſtar vermium corrugabantur. Pectore reſerato omnia quoque intus æſtuabant: pulmones in ſiniſtro latere

utrin-

utrinque non penitus ſubſiderunt, ſed aëre adhuc aliquantum turgebant, adeò ut veſiculæ in lobis ſiniſtri lateris videri poſſent; non tamen ita inflati ut vel tertiam cavitatis partem vix adimplerent: in ſiniſtro latere ex albo rubeſcebant; in dextro intensè rubri fuerunt. Cor ſanguine admodum turgebat. Gula valdè inflata & foris admodum rubicunda fuit. Dum in chyli receptaculo ferè inani & non niſi paucâ lymphâ prædito occupor, ac inteſtina cum ventriculo & gula eximo, cor perfriguit: inciſo dextro ventriculo omnis ſanguis in illo, & auricula in grumum magnum, atrum potiùs quàm rubicundum, ſed facile diſſolubilem concrevit: ſimilem in ſiniſtro, ſed multo minorem inveni. In vena cava aſcendente & deſcendente ſanguis maximam partem fluidus, & non niſi ille grumoſus fuit, qui cum cordis grumis continuus erat: alibi ex vaſis ſanguiferis ſauciatis emanavit ſanguis fluidus, intensè rubicundus & ad nigredinem aliquam vergens. Veſicula bilaria plena erat bile valdè flavâ, viſcidiſſimâ. Incisâ gulâ erupit fœtor, tetrum allij fœtorem ſpirans: intus prorſus alba fuit, muco pellucido oblita: ſulci recti. Ventriculo à ſtomacho ad duodenum ſecundum longitudinem inciſo, circa ſtomachum occurrit aqua turbida; in fundo inveni aliquot radicum taleolos; quam plurimos pilos, quorum quidam jam in pilam nuce juglande majorem compacti fuerunt, plures per univerſam ſuperficiem ventriculi ſpargebantur, atque intra anfractus abſcondebantur; omnes ſimiles erant illis quibus canis tegebatur; fruſtulum pellis cervinæ pilis adhuc conſitæ; fruſtulum pinguedinis condenſatæ magnitudine avellanæ; denique plurimum muci, cui etiam pili involvebantur & reliqua ejus contenta: mucus iſte qui in ejus cavitate fluctuabat, turbidus erat, albus potiùs quàm flavus, aut atro vireſcens; nec ſpumeus fumit. Circa pylorum in antro ad unciæ unius latitudinem mucus croceus, ſed paucus hærebat. His omnibus ſublatis anfractus comparuerunt, muco pellucido tenui obducti; qui de-

terſus

terſus protinus, ceu è poris pulſus, novus repullulabat, etiam citra compreſſionem forinſecus factam. Intus anfractus omnes, maximè in fundo, tum in parte prominente, tum intra interſtitia rubebant: alicubi, imprimis in interſtitiis apparuerunt maculæ intenſius rubræ, quàm ipſi anfractus erant, quæ fere in locis tribus exulceratæ fuerant. In principio antri pylori prominuit tuberculum valdè rubrum, piſi magnitudine, in cacumine propè exulceratum: reliqua pars antri, ipſequé pylorus non rubebant, ſed albicantes manſerunt poſt elotam flavedinem. Inteſtina ſex ulnas longa omnia craſſiora ſolito erant, forte quia vacua ferè erant, nec ullum diſcrimen obſervavi, niſi quod portio illorum amplior eſſet, tum imprimis ſub pyloro ad ulnæ dimidiæ longitudinem, tum ulterius ad ulnam unam cum dimidia: reliqua verò ad cœcum uſque gracilior. A pyloro ultra duas ulnas illorum cavitas muco flavo, viſcido, pellucido obducta erat; poſtea ultra ulnam cavitas magis coarctata, omniſqué muci flavi expers erat, ſolummodo muco albo, pellucido, tenaciſſimo obducebantur, nihilqué prorſus continebant, quàm aliquot vermes cucurbitinos, ſpithamâ longiores, quaſi ex ſeminibus cucurbitinis ſecundum longitudinem apicibus conglutinati. Ab hac inteſtini portione reliquâ, usque ad valvulam in fine ilei, muco intensè flavo plena erant, cui videbatur aliquid cruoris permixtum: propè illius finem hinc inde excrementa atro vireſcentia, ſed paucâ quantitate apparuerunt, prorſus digeſta, ut cujus rei reliquiæ fuerint vix dignoſci poſſet. Cœcum quod in duos quaſi ſinus contortum erat, quoque multum hujus muci continuit, cum excrementis paucis, ſuperioribus ſimilimis. Ejuſdem generis mucus inteſtinum rectum incruſtabat, & ſubfinem illius aliquid excrementorum atrovireſcentium detinebatur, ſed omnino paucum. In toto inteſtinorum ductu, nec minimum fruſtulum, vel oſſis, vel radicis in taleolos conciſæ apparuit, quamvis longè majore quantitate radix ingeſta fuerit, quàm

vel

vel evomuit binis vicibus,vel in cavò ventriculi reperi. Deterſo muco undique inteſtinorum, ubicunque flavus erat, ibi inteſtina intus inflammata erant; maximè ſub pyloro,& ibi,ubi intenſius flaveſcebat in illa portione ad valvulam usque, etiam rectum rubebat magis quàm ſolet: obſervavi pleroſque ambitus areolarum, quibus glandulæ circum ſcribuntur, quoque rubuiſſe, ipſas glandulas verò non niſi in paucis locis. Rubebat quoque inteſtinum cœcum intus. Gulam,ventriculum & inteſtina aquâ fontanâ ſæpiùs mutatâ per triduum maceravi,ut fibras diſcernere & ſeparare,aliaque obſervare poſſem. In gulâ maceratâ ſulci recti pauciores, plures verò transverſi inæquales apparuerunt: foris erant fibræ rectæ: ablatâ membranâ internâ nerveâ, fibræ carneæ obliquæ aſcendentes & glandulæ quàm plurimæ miliares occurrerunt, quibus foras preſſis, interna gulæ ſuperficies glutinoſa & valdè lubrica evaſit,ac in parte externa nihilominùs glutinoſa manſit. Detractâ membranâ nerveâ, à ſtomacho ad pylorum,obſervavi plurimos nervos, imprimis circa ſtomachum & pylorum,eosquè non adeo parvos, validos, non paucos etiam in aliis locis, maximè circa fundum in illam inſeri, atque in illa obliterari & in membranam degenerare: deinde plurima vaſa ſanguifera inter illam & fibras carneas ferri: Inſuper avulsâ hâc membranâ nerveâ à fibris,protinùs omnes anfractus evaneſcere. Præterea dum hæc membrana cum fibroſa cohæſit, compreſſo inter ſeparandum ventriculo,ſemper interna ſuperficies admodùm lubrica permanſit,ac muco viſcido pellucido, imò etiam citra compreſſionem,aquæ immerſa,protinus iterum copioſè obducebatur, quamvis nullas glandulas inter hanc & corpus fibroſum obſervarim,quales in gulâ,membranæ nerveæ foris copioſiſſimè accumbebant: Imò poſtquam illum penitus à fibroſa ſeparaſſem, nihilominùs lubrica manebat; quamvis illam iteratis vicibus fontanâ eluerim, cùm facilè corpus fibroſum ab omni lubricitate hâc ratione vindicaretur.

tur. Hanc membranam nerveam in plurimis locis inflammatam manifeſtè vidi: aliquot in locis inveni ulcuſcula ſuperficiaria, mitioribus aphthis ſimilia: tuberculum in antro pylori in hac quoque perſtitit, non ulteriùs progreſſum: videbatur in cacumine exulceratum eſſe. In fibroſo corpore foris per membranam communem transparebant fibræ rectæ, à ſtomacho ad pylorum protenſæ, intus ablatâ membranâ nerveâ, apparuerunt fibræ circulares carneæ, illæque validæ maximè circa medium ventriculi, ut & in antro pylori: à ſtomacho obliquè primum ferebantur, antequam planè circulares evaſerunt: aliud fibrarum genus nullum obſervavi. Inflammationem membranæ nerveæ ad corpus fibroſum pertigiſſe nullibi vidi. In toto inteſtinorum ductu obſervavi triginta areolas glandularum tubuloſarum, à pyloro ad valvulam antè inteſtinum rectum, valvulæ coli vices agentis, ſitam: areolarum circulus extremus limbus, altior eſt, & pro minulus magis quàm fundus, in quo conſpicua ſunt minuta capitella, acuum ſimilia, ex quorum oſculis, foris inteſtinis compreſſis, exſudat humor albus, turbidus, viſcidiuſculus, qualis ex tubulis in gulâ volatilium, compreſſione prodit. In prima portione ulnari à bilarii ductus inſertione, octo numeravi, dimidii bazij amplitudine, nullam vidi à pyloro ad inſertionem ductus uſque, ſed infra illam demum: In 2. ulna, duas parvas, adeo ut in una quatuor tantum capitella comparuerint: in ulna 3. quatuor majores ovales. In 4. & 5. decem rotundas & ovales: circa finem quintæ ulnæ, inveni tuberculum verrucæ ſimile, in ambitu inflammatum, ſupernè excoriatum. In reliqua portione uſque ad valvulam, numeravi ſex areolas, cæteris ferè ampliores, quarum una quinque uncias longa erat, verùm anguſtior aliis, maximè circa principium. In portione inteſtini valvulæ propiore, aliquot areolarum oblongarum limbi, dimidiam partem inflamatæ erant; glandulæ verò ipſæ nullibi. Ibi ubi areolæ in inteſtinis ſitæ erant; inteſtina luci obverſa, magis perſpicua ſeu:

cua ſeu

cua ſeu pellucida erant,quàm in aliis locis. Inteſtinorum membrana extima, fibris rectis tenuiſſimis prædita erat; ſecunda fibris carnoſis robuſtis circularibus: tertia prorſus nervea, ad quam pertingebant plurimi nervuli, validi ſatis & robuſti,& vaſa ſanguifera, quæ tenuiſſimorum capillamentorum inſtar,ceu reticula areolas ambibant; quarta villoſa ſeu mucoſa,quæ totam internam cavitatem incruſtabat, exceptis areolarum ſpatiolis, unde ibi inteſtina pellucida. Dum villoſam tunicam abraſi obtuſo cultello,à nervea plurimum liquoris candidi, turbidi, chylo perſimilis ſimul expreſſi, quamvis per triduum ſæpiſſimè inteſtina eluerim, etiam propè valvulam inteſtini recti. Poſtquam tunicas fibroſas inteſtinorum ſuſtuli, *Valvulæ Kerkeringianæ* prorſus obliterabantur, quæ adhuc conſpicuæ erant, quamvis meſenterium abſtulerim. Abrasâ fortius tunicâ villosâ,ſimul abripiebantur in areolis glandularum capitella prominula, & loco illorum apparebant oſcula minuta,ſ. papav. alb. capacia: ſi verò nullam vim adhibui, perſtiterunt capitella integra. Inteſtinum cœcum in duas quaſi cellas diremptum, & rectum inſtar ventriculi,intus anfractuoſa erant; præter communem, etiam quatuor tunicas habuerunt,quarum externa fibris rectis, ſecunda circularibus præditæ erant: In recto fibræ rectæ inſigniores erant, quam in reliquis, circulares quoque robuſtæ & carnoſæ fuerunt: Membranæ nerveæ inſignia vaſa ſanguifera accumbebant: In cœco & recto cruſtacea, ſeu mucoſa, minus villoſa erat quàm in reliquis inteſtinis: in cœco nullas quidem areolas inveni, verùm aliquot oſcula glandularum vices præſtantia: in recto nullum neq; oſculum,neq; areolam obſervare potui, quamvis hoc quoq; inteſtinum admodum lubricum eſſet.

Hiſtoria V.

CIrca idem tempus caniculo ſemeſtri, admodùm famelico, appoſuit juſculum carnis, cui radices cicutæ minutim conciſæ immixtæ erant, *Cl. Dom. D. Joh. Conrad Stenzelius*, *Med. Villinganus*; juſculum avidè devoravit, verùm nec vomitum movit nec alvum: debilior quidem inde evaſit, ac internæ afflictionis indicia præbuit, verùm poſt aliquot horas ſuperatas integrè convaluit, nec quicquam deterius paſſus eſt, ut narravit Doneſchingæ d. 21. ſept. 1676.

Scholia ad Hiſtoriam IV.

I.

C*Icuta aquatica* etiam in hoc cane nullos effectus edidit, unde vel ſuſpicari poſſes, ipſi vim aliquam refrigerandi, multò minùs congelandi & ſtupefaciendi ineſſe; prima quidem vice radicum fruſtula intruſa, ab hora 10. antimeridiana ad 1. pomeridianam nullam vim exſeruerunt, ac ſi nullus qualitatum exceſſus in illa lateret; verum novis fruſtulis ingeſtis, licet demum poſt novem horas, ad vomitum ſtimulabatur ſæpius, pulſo ſimul liquore ad fauces, quem tamen rurſus deglutiit; idem poſt vigeſimam horam pari conatu fiebat: quod non niſi irritamini cuidam, à radice provenienti attribui poteſt. Poſtero quoque die panem, carnes cum oſſibus comedit, quamvis radicum fruſtula in ventriculo ſupereſſent, ſc. integro appetitu, nec à radice ſtupefacto. Manifeſtius cicutæ hujus calor & acrimonia innotuerunt die tertio, ſucco foliorum & radicum infuſo, nam protinus largiſſimè vomuit contenta cum muco tenaciſſimo, allium (quod *Horatius* cicutis nocentius *Epod. Od. 3.* exiſtimat) redolente; valdè

te; valdè angebatur,ut vix ullum quieti commodum locum invenire poſſet; ſalivavit multum; atque hæc omnia non niſi ventriculo graviter irritato contingere potuerunt,ſtatim enim poſt ingeſtum ſuccum,ex radicibus & herba expreſſum evenerunt, unde etiam muco ſpumeo copiosè vomitu rejecto,ſalivare deſiit. Afflictionem ventriculi quoque reſpiratione quâdam querulâ prodidiſſe videtur, quia non diù pòſt infuſum ſuccum exaudiebatur. Non tamen negarim anxietatem,& hoc reſpirationis vitium,auxiſſe inteſtinorum cruciatus, quorſum ſuccum deſcendiſſe,crepitus allij fœtorem ſpirantes teſtabantur. Tum in ventriculo, tum in inteſtinis roſiones vehementes fuiſſe indigitat,ſymptomatum iſtorum duratio ad diei ſequentis horam ſeptimam: nec tamen tanta,ut appetitum ſuſtulerint, cum bubulam elixam, & fruſtulum pellis cervinæ nocte devorarit. Clariùs cicutæ calor & acrimonia in cadavere enituerunt: nam aperto abdomine & pectore,nihil gelidi repertum fuit, quin potius omnia fervebant,& epar attactu admodum calidum,atroque rubeſcens,& pancreas ſolito rubentius fuerunt. In ventriculo ablatis contentis,& abſterſo muco,manifeſta inflammationis indicia occurrerunt, ſc. anfractuum & interſtitiorum rubor, maculæ rubræ, aphthæ membranæ nerveæ, ſublatâ fibroſâ: In inteſtinis itidem rubor,deterſo muco flavo, ambitus areolarum glanduloſarum rubicundus, item ſuperficies recti & cœci rubicundior ſolito. Tuberculum in antro pylori non quidem à cicuta recenter productum exiſtimo, fortè ejus excreſcentiæ anſam dedit,oſſiculum acutum aliquando devoratum, verùm colorem rubicundum cum incipiente exulceratione,non vererer à cicutæ virulentia deducere. Pulmonum ruborem nollem à cicutæ noxa derivare, quamvis tota maſſa ſanguinea ab illa calefacta fuerit; adſcriberem potiùs ſtrangulationi, ob quàm impedito ſanguinis motu,dexter cordis ventriculus diſtentus,ſanguinem non ſolitâ alacritate per pulmones ad ſiniſtrum ventricu-

lum propellere valuit, unde in media via ſubſiſtens, hunc ruborem poſt ſe reliquit; cui acceſſit acris interceptio, ſanguinis motum alias per pulmones adjuvantis, ſi organa reſpirationi dicata officio ſuo bene fungantur. Sanguis in dextro cordis ventriculo in grumum concretus, neutiquam patrocinatur cicutam frigidam putantibus, nam demum concrevit corde frigefacto & tardius, dum in aliis ſcrutandis occupabar, diſſecto; id aliàs evenit, quamvis calidiſſima ante mortem ſumpta fuerint; præterea grumus, ceu recenter concretus, facilis diſſolutu erat, atque in aliis vaſis ſanguiferis fluidus adhuc manſit: quin cicutæ potiùs diſſolvendi quàm coagulandi vim ineſſe, copioſa mictio ante ſucci infuſionem, & poſt mortem veſica urina diſtenta probant.

2. Id verò præter omnem exſpectationem evenit, quod ſyſtema nervoſum minus perpeſſum fuerit, nullique graviores tumultus ſupervenerint. Radicum propè octo uncias, primum quatuor tribus horis ferè ſine moleſtiâ, poſtea alias quatuor ſuper ingeſtas, novem horis ventriculus pertulit: & licet elapſis novem horis ad vomitum ſtimularetur, tandem quoque illarum virulentiam evicit, appetiit, validus evaſit, ut die tertio vix vinculis coërceri potuerit; radicum quoque reliquias ultra ſeptuaginta horas toleravit. Inſuper radicum portiones ad inteſtina perveniſſe probant, fæces atrovireſcentes, in cylindros coactæ, copioſè antè ſucci infuſionem excretæ, & quantitas illarum minor poſt obitum in ventriculo reperta, quàm ingeſta aut vomitu rejecta fuerat. Dum radicum portiones comminutæ in inteſtinis perſtiterunt, vix fieri potuit, quin chylus illarum ſucco contaminatus, indequé maſſa ſanguinea, ſpirituſqué animales infecti fuerint: at & hoc ſine ſenſuum perturbatione, aut imminutione, aut motus aliquâ depravatione; nullus ſopor, nullus ſtupor, nulla inquietudo delira obſervabatur. Pòſt infuſum quidem ſuccum animadverſum fuit, membranam nervoſam

ventri-

ventriculi & inteſtinorum graviter afflictam fuiſſe, ex vomitu vehementi,nec mitiore illo, quem cient vitrum antimonij, crocus metallorum,tartar. emeticum,aut gilla Theophr. ex anxietate, ob quàm nullibi quietem invenire potuit, & ex ſalivatione,cum infuſionem brevi hæc ſymptomata ſecuta ſint. Nullus dubito ſucci hujus plurimum quoque ad maſſam ſanguineam perveniſſe nam potulenta citiſſimè ex ventriculo eliminantur, & plus ejus ingeſtum fuit quàm evomuit,& poſt mortem in ventriculo redundavit. Utcunque autem membrana nervea plurima paſſa ſit,continuantibus ſymptomatibus ab hora 12.merid.d.18.ſept. ad 7.mat. 19. ſept. atteſtantibus quoq; inflāmationibus in ventriculo & inteſtinis, item aphthis; licet quoq; ad principium nervorum aliquid ſucci delatum fuerit, non tamen nec ob conſenſum, nec propiore ſede arietatâ, *Præſes ſyſtematis nervoſi* in cane hoc permovebatur: nam licet decubuerit, omnibus tamen ſenſibus valuit, baculo irritatus momordit, accedentes fixis oculis intuitus eſt,& ad quemlibet ſtrepitum attendit. Utcunque nocte inquietus fuerit,& catenam ac corpus ſuccuſſerit,nihil tamen convulſivi paſſum fuiſſe conijcio, quia nulla per pavimentum excrementa ſparſa videbantur,maneque vinculis ſolutus repertus fuit. At quoque nihil torpidi, ſtupidi, aut ſomnolenti in cane hoc obſervatum fuit, quin potius totâ nocte nimis vigilem & permoleſtum expertus ſum, dum mihi ſomnum in contiguo cubili decumbenti, non ſemel turbavit: debilior quidem & languidior mane 19. ſept. erat, unde ſe faciliorem ad vincula præbuit, non ob qualitatem aliquam occultam, ſed vexationes ultra tertium diem durantes, parciorem cibum & potum,vomitusque frequentes. Omnia manifeſtis qualitatibus à cicuta peracta fuiſſe, manifeſtè ex ſectione tandem patuit. At iſtud obſcurum eſt,cur *Præſes Syſtematis nervoſi*, ſeu *Archæus* non quoque in furias actus fuerit? Cùm ſæpè ob leviores injurias graviſ-

graviſſimè indignetur. Id in hoc cane ob plures cauſas non factum fuiſſe puto: Primum procul dubio tunica mucoſa craſſior & denſior fuit, quàm in primo cane, ac proinde membranam nerveam fortius contra injurias cicutæ munivit; id oculis uſurpare & certius aſſerere potuiſſem, ſi ἐγχείρησιν, quæ poſtea mihi innotuit, ſciviſſem; nimirùm ventriculum diſſectum fervidæ immergendum; tunc enim in propatulum venit, non ſecùs ac cruſtacea linguarum denſiſſima elixa, antea propè ignota, aut cuticula humana à ſcabie, aut veſicatorio appoſito, aut cute ambuſta: ob hanc denſitatem hujus tunicæ, radices nihil magni efficere potuerunt; poſtea verò à copioſo muco, ejus acrimonia magis magisque obtuſa fuit, ut etiam longiore morâ non graviùs lædere valuerit: ſuccus quidem infuſus munimen hoc fortiùs aggreſſus eſt, & ad membranam nerveam penetravit, attamen protinùs fibræ circulares robuſtæ, pylorum ejuſqué antrum & medium ventriculum ambientes, in ſubſidium venerunt, ac magnam inteſtini hoſtis vim, vomitu excitato, excuſſerunt, quòd repetitis vicibus factum fuit, ut reliquias faciliùs tolerare potuerit, nullusque dubito, quin integrè convaluiſſet, ſi libertate donatus, & ſui juris, factus, ad vicinum Danubij fontem perveniſſet, nam nocte appoſita devoravit. Denique exiſtimo vetuli hujus canis *Præſidem Syſtematis nervoſi*, poſt multas à primordio vitæ ad provectam ætatem exantlatas injurias ita ſe obfirmaſſe, ut graves quoque devorare & ſuperare valuerit. Non levem ventriculi & inteſtinorum membranæ nerveæ labem inuſtam fuiſſe, rubor & aphthæ teſtantur: at tanti non erat, ut ipſum commoverit. Sic adultiores & laborum aſſueti multa perferunt, quæ ætatem teneliam & delicatulos graviſſimè exagitant. Multi cibos coctu difficilimos optimè tolerant, qui teneriores in morbos periculoſos præcipitarent. Plures vini amphoris ingurgitatis, ne quidem temulenti redduntur; alij vel minimùm exceſſum graviſſimè luunt. *Anus Attica* & *Fœmina Batava* non ſolùm

lum à cicutâ comeſta nullum damnum in ventriculo perſenſerunt, ſed hæc quoque blando conciliato ſomno expergefacta, melius negotiis ſuis vacare potuit, alias non ſingulis noctibus ſuis ferculis cicutam aſperſiſſet.

Scholium ad Hiſtoriam V.

MAleſuada fames compulit hunc caniculum ad devorandum juſculum, cui radices cicutæ intritæ fuerunt: aliàs odora canum vis ocyus latentem vitæ hoſtem agnoſcit, moloſſusque lanionis etiam carni involutam reſpuit. Ejus acrimoniam juſculum obtudiſſe exiſtimo, unde minùs illum læſit; & quamvis affligere cœperit, accedente copioſo muco amplius mitigata, & poſt aliquot horas planè ſuperata fuit, ut nullum damnum poſt ſe reliquerit.

Hiſtoria VI.

Cicuta aquatica Lupo intruſa Doneſchingæ.

DIe 4. Junij 1677. lupo, qui octo circiter ſeptimanarum credebatur, ante horam octavam mane, radicis *Cicutæ aquaticæ* uncias circiter duas contuſas vi digito intrudi; humi poſitus ululavit vagientis inſtar, continuò: exiguam portionem vomitu rejecit abſque magno nixu. Poſt horæ quadrantem magno conamine radicum portionem evomuit, ſed vix decimam ingeſtarum partem: poſtea diù non ampliùs nec vomuit, nec ad vomitum ſtimulari videbatur, verùm prodiit ſolùm ex ore ſpuma alba copioſè. Ab illo tempore nutare in dextrum latus cœpit, ac illuc ſæpè caput inclinavit, ac ſi motu convulſivo traheretur.

V Ante

Ante nonam vehementer ad vomitum ſtimulabatur, nihil tamen excrevit, quamvis per gulam ad laryngem bolus aſcendere & remeare, brevibus intervallis crebrò videretur: continuante aliquandiu hoc nixu linguam, hiante plurimum ore, longè exſeruit, mox convellebatur, caput retrorſum retrahebatur iteratò, pedes extendebat, ac in hâc luctâ alvum exoneravit, non autem minxit: paulòpoſt totus rigidus ſine omni motu & ſenſu, reſpiratione penitus ceſſante, jacuit, ut mortuum putarim. Tetanus iſte duravit ad horæ partem circiter duodecimam. Cùm jam jam cultrum admoturus eram, cor rurſus ſe movere, moxque unum alterumque ſuſpirium edere cœpit, paulatimque reſpiratio, ſenſus motusque redierunt, atque rurſus vagiit, verùm ſubmiſſa & fractâ voce & oculos aperuit. Poſt nonam conatus vomendi rediit, in quo bolum iteratis & creberrimis ad laryngem pertingere vicibus vidi, deſcendentem & remeantem breviſſimis intervallis, denuo longè exertâ linguâ epilepſiâ corripiebatur. In ipſo paroxyſmo abdomen incidi, nullo ſenſus indicio primùm lupo dante: dilatato vulnere, & aliquoties muſculis abdominis & peritonæi ſauciatis, tandem ſenſus indicia præbere motu & vagitu cœpit, ac concitatius reſpiravit.

Penitus denudatis viſceribus imi ventris, ventriculus apparuit valdè diſtentus, tum à radicibus, tum à flatibus, ſubinde ſe conſtrinxit ferè in medio, proximè antrum pylori, ut ſulcus ibi videretur & totus anguſtior, minusque globoſus & æqualis, ſed rugoſior appareret. In collo tunc videbam bolum verſus laryngem aſcendere, moxque relabi, nihil tamen prodibat ex ore, quamvis linguam non raro longè exſeruerit, ac ſi ad ſummas fauces jam aliquid perveniſſet. Quando ab amplexu contentorum ventriculus ceſſavit, à levi contactu, ſtylo facto, ſubinde illum repetiit. Inteſtina propè vacua & contracta erant, niſi ſub finem ilei, ubi diſtentiora. Diaphragmatis centrum nerveum in inſpiratione convexum reddebatur, ambitus verò illius carneus,

neus, coſtis adhærens, corrugabatur: In exſpiratione totum diaphragma planum evadebat: Exciſo ventriculo & leviculè diaphragmate in centro ſauciato, in inſpiratione unicâ vice valdè expandebatur centrum, in exſpiratione, ſpuma per vulnus copioſè cum radicum fruſtulis in abdomen erupit, ac poſtea diaphragma æqualiter tenſum manſit: ſubinde ore acrem captavit, linguam exſeruit, coſtæ unâ alterâque vice attollebantur & deſcendebant; cor fortiter adhuc pulſavit, poſtquam reſpiratio ceſſavit. Omnisqué motus animalis ſubſtitit.

Poſt mortem inveni gulam, radicibus in cylindrum coactis, à ſtomacho ad mediam ejus partem plenam, reliquum ad fauces uſque, implebatur & diſtendebatur muco ſpumeo, ſubflavo, cum radicum fruſtulis: circa fauces inflammata erat, forte à violenta intruſione: in fine una alteraqué macula rubra apparuit.

Ventriculus ovi gallinacei amplitudine, plenus erat radicum, quæ multo muco pellucido involvebantur; ſublatis contentis & deterſo muco anfractus, maximè in fundo & ad latera, rubebant; antrum pylori album fuit, ita tamen ut non procul à pyloro appareret macula rubra.

Inteſtina ſub pyloro ferè vacua erant, continentia unum atque alterum fruſtulum radicis, oblita erant muco flavo, qui ultra ulnam, nunc magis nunc minus obducebat inteſtina, citra ullum aliud corpus.

In reliquo ductu, ad quadrantis diſtantiam à valvula ilei, mucus copioſior aderat, atro flaveſcens: in portione ad valvulam mucus adhuc copioſior, cum recrementis ſubnigris. Cœcum & rectum prorſus vacua fuerunt. In hepate, renibus & liene nihil notatu dignum occurrit. Veſicula bilaria turgebat felle flavâ. Pulmones albicabant. Sanguis ex cava aſcendente emiſſus, pulchrè rutilus fuit, qui brevi in grumos concreſcebat: inflatâ cavâ ambæ auriculæ cordis movere ſe cœperunt, &

V 2 aliquan-

aliquandiu rythmos continuarunt. Cordis ventriculi ſanguine vacui fuerunt, fortè ob prægreſſas hæmorrhagias & inflationem. Thoracis ductus lymphâ plenus fuit cum pauxillo chyli: Cerebri ventriculi omnes vacui erant: at quatuor ſinus implebantur ſanguine atro in grumos concreto: ſimilis continebatur in baſi cranij, eo loci ubi rete mirabile reconditur.

Scholium ad Hiſt. VI.

IN hac hiſtoria multa occurrunt pertinentia ad illuſtrationem & confirmationem præcedentium. *Cicuta* maturè ſe oſtendit acrem & calidam, vomitu & valido nixu ad vomitum; ſpumæ extruſione; atque manifeſtè exſectione patuit vis inflammatoria, ex rubore in gulâ & ventriculo excitato, item maculâ rubrâ in fine gulæ & pyloro. Innotuit ſpumam à ventriculo in fauces pelli, quia gula ad fauces impleta erat. Citò ſupervenientia hæc ſymptomata, monſtrarunt tunicam cruſtaceam, raram & teneram, cicutæ ſpicula eludere non valuiſſe. Convulſio particularis demonſtravit Præſidem ſyſtematis nervoſi hanc moliri aliquamdiù, antequàm totum in tumultum ageret, ut fecit in illis qui poſt herniotomiam epileptici facti fuerunt: Epilepſia fortiſſima ſubſequens documento eſt, hanc à Præſide imperari aliquando, graviſſimè afflictâ ultimâ nervorum expanſione, cum nihil tam brevi temporis intervallo, ad cerebrum de ſucco radicis penetrarit, quamvis unum alterumvè fruſtulum radicis ad inteſtina pervenerit, cùm integræ, nec diſſolutæ eſſent. Præſes ſuâ ſponte nullis elixiribus refectus, à tumultu ceſſans, docuit vel aliorſum avocatum, vel in opere feſſum, ſc. quandoque quieſcere. Verùm plura de his memorare in ſeq. hiſtoria licebit. Sanguis fluidus demonſtravit nihil coagulativi cicutæ ineſſe: & licet extravaſatus grumuerit, id tamen non cicutæ ſed ſanguinis indoli aſcribendum eſſe. *Hiſto-*

Hiſtoria VII.

DIe 5. Jun. 1677. lupæ prioris ſorori uterinæ, magis vegetæ & robuſtiori, ventriculo jam lacte pleno, dedi horâ 8. matutinâ ſucci ex rad. & herba *cicutæ terreſtris* contuſis, pauxilloque aquæ maceratis, eliciti ℥vj. circiter. In omnibus planta hæc cicutam referebat, ſc. figurâ, caule maculoſo cavo, foliorum colore obſcurè vireſcente; niſi quod folia averſa, ſplendida eſſent. Hæc puellis venatoris cujusdam Doneſchingani, non ita pridem, comeſta, penè lethum attulit, vomitum, delirium & convulſiones excitando. Poſt epotum ſuccum incedebat inſtar temulenti: latebras quæſivit, multum dormivit: ſubinde ad vomitum ſtimulabatur, nunquam tamen evomuit, nam ad fauces protruſa deglutiit, aliquoties alvum exoneravit, ejecitque cum vi quadam liquorem viridem ſucco perſimilem. Crebro & multum minxit: ſemper æqualiter caluit: nunquam vagiit, aut dolentis, aut ſitientis, aut eſurientis ſigna præbuit. Horâ 1. pomeridianâ lac calefactum, digito ori indito, ſugendum præbui, quod avidè hauſit; vellicata inſtar canis ludentis murmuravit, & blandiens latravit. Multum minxit. Dormivit ferè continuò ad 5. veſpertinam: expergefacta multum oſcitavit, ac ſi ſomnum nondum abſolviſſet. Iterum lac mediante digito ſorbendum dedi: digitum tranſverſim, aut recta inditum, tam fortiter linguâ & faucibus undique corripuit, ac ſi digitum deglutitura eſſet. Poſt 6. veſpertinam rurſus iteratis vicibus, viridia & flava cum lacte coagulato excrevit, ac ſi purgans ſumpſiſſet. Totâ nocte, ſe poſt velum parietis abſcondens dormivit. d. 6. Junij mane horâ 4. famelica me quæſivit, ac catelli inſtar famelici ſequebatur, quorſum cumque greſſus moveram: lactis pauxillo dato ſè rurſus ad quietem compoſuit.

Die igitur 6. Jun. manè horâ 6. ſucci radic. cicutæ aquatic. per noctem in aqua maceratæ, primùm unciam, & paulòpoſt ultra uncias duas cum labore infudi: vix quadrante horæ elapſo, ſuccum penè omnem cum muco copioſo & lacte coagulato evomuit, & paulopòſt rurſus mucum turbidum bis. Aliquoties ad 10. horam nigra ſeu atro vireſcentia, pultacea & viſcida alvo dejecit. Ad vomitum ſæpe urgebatur ac ore hiabat, nihil tamen prodiit, nam ad fauces aſcendentem bolum deglutiit. Diu ſpuma, aut mucus copioſus ab ore pendebat: Tandem ſolummodo ſalivavit multùm, ſalivâ tenui, pellucidâ largiter exſtillante. Primum vagiit multum, ſed voce ſubmiſsâ & querulâ: irritatus murmuravit. Antè & aliquandiu poſt vomitum temulenti inſtar incedebat, circa 9. verò firmius: latebras quæſivit. Hora 10. antimerid. lac rurſus avidè, mediante digito ex patina ſuxit. Horâ 11. & horâ 1. pomerid. cum vivida & vegeta eſſet, qualibet vice ultra unciam radicis cicut. aq. maceratæ in fauces trudi: poſt horam dimidiam plusquam dimidiam unciam evomuit: per alvum quoque bis egeſſit plurima fruſtula radicis emollitæ, cum muco turbido, fuſco. Manſit hactenus ſatis adhuc valida, incedebat, ſolito more latebras quærens: æqualiter calida. Horâ 2. pomerid. dedi radicis cicut. aquaticæ non maceratæ, parùm in umbra ſiccatæ & minutim conciſæ, unciam circiter, paulò pòſt ad vomitum urgebatur, ſolâ ſpumâ ſuccedente, quàm ſæpiùs os lambendo rurſus deglutiit: crebrius urgente vomitu, tandem fruſtulum unum alterumque protrudit. Alvum aliquoties exoneravit, ac cum muco fuſco, turbido radicum maceratarum plurima fruſtula excrevit. Hactenus rariſſimè vagiit, ſæpius ſe quaſi ad ſomnum compoſuit, ut dormire videretur: æqualiter caluit: oculos ſplendidos huc uſque retinuit.

Circa horam 4. veſp. res ipſius in deterius labi cœperunt. Abdomen intumuit, inſtar temulenti inceſſit: ad vomitum ſtimulabatur; antequam vomeret, abdomen iterato valdè contrahebatur,

hebatur, ſubitum & validum clamorem edidit, os ampliſſimo rictu dilatavit ac ſi oſcitaret; mentum ad capulum ſterni propè acceſſit; in hoc nixu primùm ſpuma prodiit, poſtea ſequebantur fruſtula radicis non maceratæ, parum immutata & ſolummodo emollita, mucus item pellucidus. Usque ad horam ſeptimam aliquoties alvum ſolvit, fæces erant maximam partem radices maceratæ, mucus fuſcus, viſcidiſſimus, turbidus, cui aliquid cruoris immixtum erat. Copiosè minxit, quod toto hoc die unquam factum fuiſſe non obſervavi: inceſſus erat languidior. Lac ori illitum deglutivit quidem, ſed mox vomitus ſequebatur. Interea multum quievit, ſomnum ſimulans, adhuc æqualiter calida: attrectata protinus evigilavit, ac ad latebras ſuas quantum potuit properavit. Ad ſeptimam aliquoties alvum exoneravit, fæces erant nunc ſolummodo mucus turbidus, ſubfuſcus, aliquando flavus, nunc radices, quantum obſervare potui, adhuc ex illis, quas aquæ prius infuderam. Minxit largiter: Urina clara erat, ſed flava. Poſt ſeptimam rurſus os magno ritu dilatavit & vomere conabatur, mox minxit, largè emanante urinâ ac ſtatim emiſſo valido clamore, humi vi quadam proſtrata & à pariete cui innitebatur, ultra duos pedes in pavimentum projecta, vehementiſſimè convulſa fuit: Paroxyſmus verè epilepticus erat; caput retrorſum trahebatur, dorſum incurvabatur, artus validè nunc ſuccutiebantur, nunc rigidi evadebant, abdomen nunc intumeſcebat, nunc contrahebatur, reſpiratio nunc inæqualis, nunc cum ſtertore peragebatur; oculos pervertebat; labia variè diducebantur, cauda mire agitabatur; in ipſo paroxyſmo per alvum radices excrevit: tandem reſpiratio penitùs intercipiebatur, inſtarque mortuæ rigida jacebat, ſpuma copioſa os obtegente: duravit paroxyſmus ferè ad ſextam horæ partem. Superato paroxyſmo in pedes ſurrexit, per aliquot paſſus inceſſit, cauda pede calcâta murmur, ceu latratum, edidit & morſum intentavit: aliquoties ſternutavit.

Vege-

Vegeta ſatis adhuc ſubinde pedibus inſiſtebat, os & pedes lambebat; aliquoties fæces pultaceas, mucoſas, atro vireſcentes excrevit: ſubinde quoque canis inſtar, capite pedibusque anterioribus ad latus inclinatis, ad ſomnum ſe compoſuit rarò vagiit. Poſt 11. noctis paroxyſmus diuturnior & vehementior rediit, quem præceſſit conatus vomendi, cum ampliſſimo & diuturno oris rictu, abdominis contractione, eructatione ſonorâ; item clamor validiſſimus: in ipſo paroxyſmo ſæpius caput valdè pavimento alliſit, per os mucum fuſcum, cum portiunculis radicis non maceratæ protrudit & alvum exoneravit, radicis fuſcæ particulis excretis: ſemel validum quoque ejulatum edidit: reſpiratio inæqualior fuit cum ſtertore, tandem prorſus ceſſare videbatur ac mortuæ ſimilima, copiosâ ſpumâ ab ore pendente. Verùm & hoc paroxyſmo finito vires recuperavit, ac in pedes ſurgere & incedere valuit. Ab illo tempore uſque ad 2. matutinam, propè quâlibet horâ dimidiâ ſupervenit paroxyſmus: omnes præceſſerunt oris rictus; ſonus quidam, ac ſi aliquid avidè lamberet, linguâ palatum fortiter feriente & creberrimè, brevibus intervallis: noſtri Schmertzen vocant: Clamor validus nunc latratui, nunc vagitui catellorum à matre deſertorum, aut percuſſorum, nunc ululatui, lupis peculiari ſimilis, qui ſæpè tam ſonorus erat, ut aures impensè feriret & me dormientem excitaret: Aliquando ſingultus; ſæpè etiam eructatio ſonora; abdominis contractio. In ipſo paroxyſmo urinam & alvinas fæces egeſſit: nonnunquam vomuit: ſpumavit copiosè: tandem inſtar mortuæ jacuit ſine reſpiratione: finito paroxyſmo, omnes ſenſus & motum recuperavit, at languida evaſit & frequentiùs reſpiravit; ſubinde vagiit: pedes lambit, ſeque ad ſomnum adhuc componere valuit: Habitus calebat, at naſus & lingua frigeſieri cœperunt.

Poſt horam 2. non amplius ſurgere valuit, ſemper alterutri lateri incubuit, artus continuè motu convulſivo ſuccutiebantur:

bantur: aliquando rigebant, caput quaſſabatur, totus truncus curvabatur retrorſum, non raro antrorſum, cum oculorum perverſione, labiorum torſione: reſpiratio aliquandiu intermittebatur ac propè mortua videbatur, mox tamen oculos aperire & reſpirare cœpit, caput, quietum tenuit, manente motu artuum convulſivo. Hos paroxyſmos præceſſerant quoque vagitus aliqui, ſed voce ſubmiſsâ, oris rictus, vibratio linguæ verſus cœlum palati, ſingultus, eructationes ſonoræ: Videbatur extra paroxyſmos iſtos bolus quidam in colli parte anteriore, à capulo ſterni ad laryngem, brevibus intervallis pelli & rurſus ſuo pondere deſcendere. Inter reſpirandum crebra ſuſpiria edidit: ipſa repiratio nunc tardior nunc frequentior evaſit. Paroxyſmos non raro præceſſit rugitus ventris ſatis ſonorus. Tum in his paroxyſmis, tum extra illos, aliquoties per alvum radicum fruſtula excrevit cum muco turbido fuſco; ſubinde minxit, ſed parum admodum: ex ore prodiit vel ſpuma vel mucus. Oculi ſplendidi manſerunt: extrema frigere cum lingua cœperunt, habitu reliquo calido manente. Extra paroxyſmos diſtentum fuit abdomen; quam primùm verò contrahi cœpit, doloris ſigna edidit, ad vomitum irritabatur ac ore hiavit, protinùs novus aderat. Circa horam 5. d. 7. Jun. mane ante inſultum & in ipſo inſultu, fruſtula aliquot radicis non maceratæ evomuit. Paulò pòſt cutim à capulo ſterni ad os pubis & tranſverſim ad ilia incidi, nulla doloris gravioris perpeſſi ſigna præbuit, donec muſculos abdominis & peritonæum diſcidiſſem, tunc enim caput motitavit, artus tetano afficiebantur, vagiit parùm & reſpiratio contentior reddebatur: nihil per alvum aut ex veſica excrevit. Sanguis ex vaſis ſubcutaneis & muſculis abdominis ſplendidè rubeſcens, ſatis copioſus emanavit, ſtatim concreſcens.

Viſceribus ventris in apricum productis, vidi ventriculum valdè diſtentum, ovum gallinaceum magnitudine ſuperantem, anterius æqualem glabrum & propè pellucidum; ita ten-

ſum ut reniteretur. Aliquoties ejus pylorus ſe ita conſtrinxit ut ejus regio minor multum appareret, durusque admodum inſtar cartilaginei globuli evaſit: aliquando circa principium antri pylori conſtringebat ſe ventriculus, unde minor, rugoſus & carnoſior reddebatur; quàm primùm verò ſe explicuit, primam amplitudinem cum tenſione acquiſivit: pylorus, conſtrictione ceſſante, mollis & amplus evaſit. Ventriculo magis in apricum deducto, vidi partem ejus ſiniſtram $1\frac{1}{2}$ digiti diſtantia à ſtomacho pertinaciter conſtrictam, unde ventriculus quaſi ex duobus compoſitus apparuit: Portio hæc trans conſtrictionem anguſtior, carnoſior, & rugoſior erat: ibi quoque foris inflammationis veſtigia videbantur: relaxata hac conſtrictione parem cum dextra parte amplitudinem & ſuperficiem acquiſivit. Inteſtina flatuum plena erant, ac imprimis in Ileo radicum fruſtula per tunicas translucebant: corrugabantur ſubinde, minora evadebant, at valdè lente movebantur. Cœcum amplum incurvum, tenſum à contractione non advertenter facta minus & duriſſimum, inſtar cartilaginis, evaſit: In illo vidi maculas & ſtrias minutas albas, ac ſi venis lacteis præditum eſſet. In omnibus apparuerunt foris veſtigia inflammationis. Hinc inde quoque in illorum ſuperficie, maculas quasdam latiuſculas albas aliquantulùm prominulas, ſub quibus glandulæ inteſtinales, reperi. Hepar ſplendidè rubuit: Veſicula fellis bile plena erat ac ſi ne guttulam bilis effudiſſet: erat vitellina. Lien ſaturatè rubicundus videbatur. In meſenterio nullum vitium obſervavi. Renes pro animalis magnitudine majores: Carunculæ papillares rubræ. In pelvi parum urinæ aderat. Veſica vacua fuit.

Diaphragma in inſpiratione corrugabatur in ambitu carnoſo, & fibræ craſſæ carnoſæ veluti muſculi lumbricales protuberabant; centrum verò nerveum convexum reddebatur; in exſpiratione planum totum evadebat. Ad latus rejecto ventriculo, in crure diaphragmatis, dum inſpirationem auſpicabatur, vidi

vidi illud rugoſius fieri,nec ad modum inteſtinorum ſe movere, quod in animalibus vegetioribus accuratiùs obſervandum. Poſt denudationem viſcerum imi ventris ferè ad ſeptimam horam matutinam reſpiratio perduravit,cum cordis motu, ita tamen ut reſpiratio ſæpè diu intermitteret,ac demum rediret poſt plures cordis pulſationes ſua ſponte, quandoque puncto centro nerveo. Sæpè magno rictu os aperuit ac aërem captavit. Vibrationem diaphragmatis in hac lupa non obſervavi. Emortua illa pectus aperui: Pulmones albicantes erant, & aëre pleni. Cordis ventriculi ambò ſanguine turgidi,ut & vena cava: ex ſauciatâ venâ cavâ & ambobus ventriculis emanavit ſanguis copiosè, veluti liquor aqueus, qui brevi in grumos ſplendidè rubeſcentes concrevit ſibi prorſus ſimiles: neque in cordis ventriculis, neque in vaſis majoribus vel minimum grumulum inveni. Os ſpumâ albâ plenum fuit. Gula longior quadrante ulnæ, indice latior multum muci ſubflavi & ſpumoſi continuit; prope laryngem hæſit fruſtulum radicis non maceratæ: deterſis muco & ſpuma ſub larynge plurimæ glandulæ minutiſſimis oſculis hiantes, ceu ab acu inflictæ,apparuerunt: ſimiles in reliquo ductu obſervavi uſque ad ſtomachum: quæ magis conſpicuæ evaſerunt, illâ per biduum in aqua maceratâ. Inflammationis veſtigium apparuit luculentum in principio, ubi larynx incumbit & ſub larynge, quam portionem inter intrudendum radices digito attrectaveram: præterea etiam in reliquo ejus ductu hinc inde rubor aliquis ſparſim occurrit.

Gulâ ſeparatâ ventriculus ſtatim ſubſidit,ac dimidia propè parte minor ſeu anguſtior evaſit. Continuit præter radicum non maceratarum fruſtula pauca, ſc.vix ſextam ingeſtorum partem,mucum flavum turbidum, & in antro pylori flaviorem ferèque clarum & pellucidum. Ablatis contentis totus anfractuoſus erat, inflammatus maximè in fundo; ad latera minùs, circa ſtomachum magis quàm in latere & magis in ſiniſtra parte inferiùs,

feriùs, quàm in dextra. Antrum pylori non inflam̃atum erat, excepto limbo verſus ventriculum ſpectante, qui leviculè quoque inflammatus erat. Inteſtina duas ulnas longa erant. A pyloro ad $\frac{1}{4}$ ulnæ mucus flavus apparuit; eo deterſo, minus inflammatum vidi: poſtea ad $\frac{1}{4}$ ulnæ chylus mucoſus, craſſus, turbidus, minus, flavus cum aliquot vermibus brevibus & latis continebatur, cum pauculis radicum fruſtulis: hinc ultra ulnam dimidiam continebantur plura fruſtula radicum, tum maceratarum, tum non maceratarum, cum muco atro rubeſcente: in his majora, ampliora & conſpectiora ſigna inflam̃ationis apparuerunt. In reliquo ductu uſque ad valvulam in extremo ilei, hujus muci atro vireſcentis major copia, ut & radicum, aderat. Inteſtina ſummopere inflammata fuerunt, imo jam atro rubeſcentia erant, maximè area glanduloſa, 3. digitos longa & digito latior; hoc quoque inteſtinum etiam diſſectum & per biduum aquâ maceratum, retinuit ſuas plicas tranſverſas, ac ſi fortiſſime conſtrictum fuiſſet: Ubi cunque major copia radicum detinebatur, ibi intenſior & amplior inflammatio in conſpectum venit, quod imprimis circa ilei finem ad ulnæ dimidiæ longitudinem conſpiciebatur.

A pyloro ad valvulam in fine ilei, quindecim rotundas & duas oblongas areolas glanduloſas numeravi, quæ per biduum aquâ inteſtinis maceratis, omniquè muco & tunicâ cruſtaceâ ſublatis, tum foris tum intus admodum conſpicuæ erant: quædam illarum atro rubeſcentes erant: maximè in portione inteſtinorum inferiorum, ubi plura radicum fruſtula & diutius detenta fuerunt: ob ilei ibidem conſtrictionem.

Cœcum continuit mucum turbidum, album, chyloſum: intus quoque inflammatum apparuit. Rectum continuit adhuc aliquid de radicibus cum muco atro vireſcente, copioſo, turbido: Anfractuoſum, inflammatum intensè usque ad extremum podicem.

Cerebri

Cerebri ſinus omnes ſanguine atro rubeſcente grumoſo impleti erant: talem ſanguinem quoque reperi in baſi cranij, ibi ubi rete mirabile detinetur.

Ventriculi omnes mundiſſimi erant. Abſcisâ medullâ ſpinali in ſuperficie apparuerunt maculæ rubræ.

Abrasâ tunicâ cruſtaceâ inteſtinorum, manifeſtè videre potui glandulas, non illi ſed nerveæ membranæ inſculptas eſſe.

Ductus thoracicus lymphâ plenus erat, absque ulla chyli mixtura, fortè quia nimis tardè in illum inquiſivi.

Tum temporis Doneſchingæ, ob commiſſionem quandam, ut vocant, plures viri illuſtres ac literati aderant, ſermoque de cicutæ viribus non ſemel fiebat. Cum ex *Cl. Bodæi à Stapel ad Lib. 9. Hiſtor. Plant. Theophr. cap. 17. commentario* retuliſſem, *Cicutam* in Batavia non adeò lethalem eſſe, quia creſcat ſub Zona frigida & ventis diffletur, ſequentia ſubnectere volui; eóque magis, cum clima, cicutæ virus non tollere putaverim, & plantæ virulentiſſimæ in locis frigidiſſimis, ex. gr. Thora, Napellus, aliaque creſcant, non minùs damnoſa illis, quæ in calidis regionibus naſcuntur.

Hiſtoria VIII.

GEneroſus Dominus Baro de Blitterſtorph, Doneſchingæ 6. Junij 1677. narravit mihi, in agro ſeu ducatu Juliacenſi magnum proventum eſſe *Cicutæ aquaticæ*, creſcentis ad margines lacuum & foſſarum arcium; cujus frondes, ſi anſeres juniores decerpant, protinus illos in gyrum circumagi & brevi emori: atque hujus causâ illam ab agricolis diligenter exſtirpari.

Scholia ad Hiſtor. VII.

I.

NUllum hactenus experimentum feci cicutâ terreſtri, quia nec otium nec anſa experiundi illius vires concedebatur. Apud nos non creſcit, quod equidem ſciam: Nunquam ullum videre contigit, qui illam per errorem comediſſet: nec venatoris puellis adſtiti. In lupâ hâc, quamvis ſymptomata mitiora produxerit, prodidit tamen non contemnendis indiciis, ſe qualitate calidâ, irritante & fundente præditam eſſe, nam ad vomitum ſtimulavit, purgavit vi quadam, urinamque crebrò movit: præterea perſpicere licuit vim narcoticam ipſi ineſſe, nam temulenta evaſit, multumque dormivit, non ob ſanguinis aliquam & ſpirituum congelationem, quam frequentior mictio, irritatio ad vomitum & violenta liquoris viridis excretio alvina, nullo modo locum habuiſſe arguunt. Confirmare potiùs videtur meam opinionem ſc. à narcoticis ſanguinem attenuari, atque aquea cum ſpirituoſa ejus portione profundiùs in medulloſam ſubſtantiam cerebri irruere, atque hâc ratione ſomnum & temulentiam parere. Nulla graviora ſymptomata lupa à ſex unciis liquoris copioſo cicutæ ſucco imbutis paſſa eſt, tum quia tunica cruſtoſa ventriculi nerveam contra illius virulentiam probè munivit, tum quia virus per ſeceſſum iteratis vicibus maturè excrevit, nec conceſſum fuit diutiùs ventriculi & inteſtinorum tunicis adhærere; liquor enim per alvum ejectus, nihil niſi ſuccus iſte infuſus fuiſſe videtur. Virus ejus fortè etiam lac in ventriculo præexiſtens obtudit. Poſt aliquot horas rurſus appetiit, quia nullam labem tunicæ nervoſæ ullibi impreſſit.

2. Nolo repetere argumenta in hac obſervatione occurrentia, quæ *Cicutam aquaticam* omnino calidam & acrem tàm clarè

clarè probant,quàm clarum eſt ſole in meridie ſplendente: certè quem *φαινόμενα*,in lupa tum vivâ tum mortuâ viſa,non perſuadent,nullis rationibus vinci poterit,ſed aut ipſemet experiundo aliquid conetur, aut naviget Anticyram.

3. Lupæ iſti epilepſia tardè ſupervenit, ſc. demum horâ decimâ tertiâ poſt ſuccum cicutæ aquaticæ infuſum, non ſolùm propter tunicam cruſtaceam robuſtiorem,verùm potiùs ob vomitus & dejectiones frequentes, quibus ſucci maximam partem, vix quadrante horæ elapſo ab infuſione, iteratis vicibus cum lacte coagulato excrevit: & aliquoties atro vireſcentia, pultacea,viſcida ad horam decimam antimeridianam egeſſit. Radicis maceratæ fruſtula horâ 11. antimeridianâ & primâ pomeridianâ intruſa brevi partim evomuit, partim copiosè per alvum egeſſit, unde ad 2. pomeridianam vegeta & valida perſtitit: fortè etiam lac acrimoniam ſucci & radicum multum infregit. Radices horâ 2. pom. in umbra ſiccatæ jam plus negotij faceſſere inceperunt, tum quia nullo lacte attemperabantur, tum quia poſt tot ſuccorum infuſiones & radicum intruſiones, ventriculus & inteſtina jam ſaucia à cicutæ ſpiculis eſſent. Nondum tamen epilepſiâ agitabatur, quamvis non obſcura anxietatis indicia præberet: nam aliquoties radicum fruſtula per vomitum & ſeceſſum rejecerat: Circa ſeptimam veſpertinam demum ipſam invaſit, ſc. poſtquam membranæ nerveæ ventriculi & inteſtinorum inflammatio invaluit, viruſque cicutæ laceſſere non deſiit. Hanc ipſam epilepſiam etiam in lupâ excitatam arbitror, membranâ nerveâ ventriculi & inteſtinorum potiùs quàm nervorum principio afflicto, *Præſide* ſeu *Archæo* rebus conclamatis ſubſidium afferre conante, poſtquam ventriculi & inteſtinorum fibræ,hoſtem necem intentantem omnibus ſuis moliminibus ampliùs profligare nequiverunt: nam omnes paroxyſmos præceſſerunt ſigna dira patientium, ventriculi & inteſtinorum, clamores validi, rictus oris ampliſſimi, conatus vomendi, abdominis

contra-

contractiones: fortè tum inteſtinorum, ut in colica, & pylori, ut in cardialgia, conſtrictiones vehementiſſimæ fiebant, undè dolores exacerbabantur ſummopere, & revera ventriculi medio ac pyloro tale aliquid eveniſſe, lupâ dum viva erat apertâ, videre & tangere potui, in medio enim ventriculus coarctabatur & anguſtior fiebat, pylorus minor & inſtar cartilaginis durus reddebatur, quin etiam poſt mortem in inteſtinis harum conſtrictionum veſtigia reperi; quæ neceſſario membranâ nerveâ inflammatâ, flatibuſque in anguſtum concluſis, non niſi ſummè dolorificæ eſſe potuerunt. Hi ipſi prodromi quoque motus convulſivos præcedebant & comitabantur, poſtquam non amplius univerſum corpus convellebatur. Non nego cicutæ particulas ad maſſam ſanguineam & hinc ad cerebrum, cerebellum, imo ipſam ſpinalem medullam perveniſſe, quas partes omnes vaſa ſanguifera intrare alibi oſtendi, & in hujus lupæ medulla ſpinali patuit: nam radices & ſuccus ad inteſtina pervenerunt, multum minxit, temulenta reddebatur; attamen illas nervos circa originem non irritaſſe exiſtimo, non propterea quod cerebri ventriculi omnes mundiſſimos invenerim, ſed potius quia nihil extravaſati liquoris circa originem ſpinalis medullæ vidi: utcunque enim medulloſa ſubſtantia pravo ſucco imbuatur, niſi membranæ, imprimis circa nervorum, ſpinaliſque medullæ principium vellicentur, vix convulſiones oborituras me perſuadent primùm, crebra experimenta in ranis facta: in his cerebrum denudavi, ſpiritu nitri attigi, nihil unquam convulſivi ſequebatur; quam primum verò crura medulloſa leviculè ſtilo, quem ſpiritu hoc madefeceram, tetigi, protinus convellebantur. Deinde bis vidi cerebrum vulneratum fungoſi aliquid, & ſaniem non paucam protrudiſſe ſine ullis convulſionibus ſupervenientibus. Denique ſi particulis à cicuta profectis & ſanguini permixtis, convulſiones & epilepſia adſcribenda eſſet, illam ſtatim poſt ſuccum inglutitum produxiſſent, nec tum demum, poſtquam

omnia

omnia in ventriculo & inteſtinis inflammata fuerunt; nec paroxyſmi ad 13. horam dilati fuiſſent. Præſes iſte tumultuando, ſurſum deorſumque omnia ad hoſtem excutiendum movendo ceſſavit, non quod ſtimuli penitus evanuerint, ſed quia feſſus erat, multumque ſpirituum, quorum ſubſidiariâ ope indiget, diſſipatum fuit, aut quia non pari ferociâ, conſtrictione ventriculi & inteſtinorum laxatâ, urgebatur: Invaleſcentibus verò inflammatione & conſtrictione crebrior rediit, & cùm, magnâ ſpirituum jacturâ factâ, extremis jam frigidis, epilepſiam perficere non poſſet, ultimus ipſius conatus, motus convulſivi erant. Non autem in motu ſubſtitit, ſpiritibus aliunde refectis, nam nihil maſſæ ſanguineæ amplius acceſſit, unde inſtaurati fuiſſent, quin potius illa paſſa eſt, quæ majorem ſtragem ſpiritibus adferunt.

4. Reſpiratio in lupa hâc diu intercepta, exemplum præbet illam quandoque ceſſare poſſe ſuperſtite vitâ, non ob pulmonum aliarumque partium ad reſpirationem pertinentium vitium aliquod, ſed ob convulſionem; nimirùm & in hâc lupâ diaphragma, muſculi intercoſtales & nervi pulmonici communi calamitati involuti fuerunt, poſtquam Præſes univerſalem convulſionem machinatus eſt: ſanguis pulmones tranſiens non congelatus, nec ejus ſpiritus à cicuta extincti fuerunt; nam ceſſante paroxyſmo citra ullam reſtaurationem ſpirituum reſpiravit, & ſanguis ex dextro ventriculo, dum adhuc calebat, inſtar aquæ fluidus, emanavit. Cæterum diaphragmatis motus ulteriorem inquiſitionem meretur, quod ſublatis inteſtinis & ventriculo, ligatâ venâ portæ, ac arteriis cœliacâ & meſenterij commodè peragеretur.

5. Ex contractione ventriculi tum in lupa, tum in animalium aliorum vivorum ſectione vomitus fiendi rationem didici.

Y *Scholium*

Scholium ad Hiſt. VIII.

ANſerum circumgyrationẽ à comeſtis frondibus *Cicutæ aquaticæ*, convulſivam conjicio, ex morte brevi ſubſequente, ac inde illam etiam ſub hoc climate non minus lethiferam exiſtimo, quàm iſtam quæ in viciniis ſylvæ Martianæ & Abnobæ montis planitie creſcit, loco quoque ſatis frigido & ventis perflabili.

Hiſtoria IX.

Aquilæ mures capientis Anatome Doneſchingæ.

DIem 2. Sept. 1676. Manè poſt 7. ſclopeti globulo alæ ſiniſtræ os humeri fractum ipſi fuit, ut viva caperetur. Ante octavam radicis cicutæ aquaticæ ℥ij. minutim conciſas intrudi; poſt dimidiam horam elapſam mirè angebatur, hinc inde ſubſultabat: poſtea aliquoties vomuit: Vomitu rejecta erant cutis piloſa talpæ, fruſtula carnea talpæ cum oſſe femoris, multumquè muci: Alvum quoque ſæpius exoneravit. Hinc languida fuit nec pedibus amplius diu inſiſtebat, niſi irritata, tum enim per aliquot paſſus incedebat. Reſpirabat celerrimè hiante ore & exſertâ ac tremulâ linguâ. Ante 10. antim. denuò ℥ij. hujus radicis intrudi. Poſtea non amplius vomuit; plerunque prona decubuit, capite tremebat, hiante ore; circa 11. iterum ſurrexit, ſtetit diù clauſo roſtro, quaſi immobilis uno in loco, roſtro ſe ad parietem firmans, poſtea rurſus ſubſidit. Supinè locata aliquandiu jacebat immota, celerrimè reſpirans, hiante ore, poſtea magna vi rurſus ſe volutabat. Oculi ſemper vividi erant, quos quaqua verſus movebat, obvia quæque obſervans: unde quoque irritantes roſtro petebat. Cereviſiarij famulum unguibus ſauciavit: baculum obtruſum

truſum firmiſſimè arripuit,ut ægerrimè ipſi eripi potuerit. Tempore prandij ſe mirè hinc inde jactaſſe,ex cruore vulneratæ alæ per pavimentum conclavis diſperſo conijcere potui. Circa 1. pomerid. plerunque decubuit: rarò ſurrexit. Circa 2. pomerid. truncatis unguibus & alligato capite,ipſius abdomen incidi vivæ adhuc. Vidi ventriculum prorſus corrugatum, longèque minorem, attamen multo craſſiorem illius ventriculo quam ante triduum ſecui: vix animadvertenter ſe conſtrinxit. Inteſtina maximè ſuperiora ampliora erant: ſubinde ſe hinc inde conſtringebant, non tamen lumbricorum inſtar, ſed nunc hic, nunc portio illic: minora ſubinde inadvertenter ampliùs gracileſcebant.

In exſpiratione in dextro & ſiniſtro latere,membranulæ illæ,quæ diaphragmatis vices obeunt & ſupra pulmones extenſæ, uſque ad pubem utrinque pertingunt,ut & transverſæ inter hepar & ventriculum ſitæ, intumeſcebant & veſicæ inſtar ſeu veli inflabantur: in inſpiratione tendebantur: in membranulis his tenſis obſervavi fibras rectas: in inſpiratione non ſolùm pectus & coſtæ, ſed etiam muſculi laterales, abdomini incumbentes, attollebantur: in exſpiratione concidebant. Muſculis iſtis lateralibus transverſim diſſectis,celerrimè reſpiravit atque magno nixu. Tum quoque validiſſimè toto corpore ſe movit, capitis vinculum abrupit ac è menſa ſe præcipitavit. Cor vehementer ſe movit: vidique cavam à jecore aſcendentem ſe inſtar auriculæ ſyſtole & diaſtole movere. Cùm ferè per duas horas abdominis & pectoris viſceribus denudatis adhuc vixiſſet, validèque pedibus reniteretur, quoties vel carnem vel os ſecui, conſpectâ per membranas, diaphragmatis vices agentes, pulmonum aliqua intumeſcentiâ, membranas illas diſcidi: in pulmonibus utrinque duo foramina ovalia piſi capacia & alia minuta vidi. Diſciſſis iſtis membranis celerius & laborioſius reſpiravit ore admodum hiante, rimâque laryngis patentiſſimâ, & coſtas al-

tiſſimè ſuſtulit. Paulò pòſt reſpiratio intermiſit aliquoties, moxque rurſus illam validè auſpicata eſt. Subinde quoque cor languidius movebatur. Antequàm reſpirare deſiit, tetano validiſſimo correpta fuit, qui brevi duravit. Poſtquam reſpirare deſiit diù adhuc cor totum, hinc auriculæ ambæ, tandem ſola dextra & vena cava adhuc movebantur, etiam tunc quando abſcideram venas & arterias axillares. Oculos ad ultimum halitum etiam poſt obitum diu lucidos retinuit. Toto tormenti tempore nunquam per alvum excernebat, quamvis inteſtinum rectum & cloaca plena excrementorum eſſent. Gula diſtentiſſima erat tota, maximè verò in medio, ac ſi ingluviem haberet, quâ alias iſtæ aves carent.

Emortuâ aquilâ exemi omnia interna à pharynge ad extremum alvi, ſibi adhuc cohærentia. Gulâ cum ventriculo & inteſtinis ad cœca ſeparatis, primum gulam incidi: in ejus ſummitate inveni aliquot fruſtula radicis conciſæ; quibus cum muco deterſis vidi illam leviculè inflammatam, & plurimis glandulis miliaribus præditam, quæ à pharynge ultra unciam unam diſpergebantur. In medio gulæ & ſupra corpus tubuloſum inveni cum fruſtulis radicis pellem talpæ, aliquot oſſicula, carnem flaccidam & jam quaſi in pulpam lutulentam, viſcidam, ſubnigram ſubactam. Ventriculo à ſtomacho, ad pylorum cum portione inteſtinorum ad duas ſpithamas inciſis, deprehendi ventriculum prorſus vacuum, valdè anfractuoſum, cujus anfractus in fundo rubri & inflammati, ſuperficie tenui erant. Inteſtini portio prorſus vacua erat: oblinebatur ſolùm muco flavo; quo abſterſo levicule vidi inteſtina rubicundiora: in duobus locis inveni maculas atro rubeſcentes teruncij amplitudine, propè exulceratas, unam prope pylorum, alteram paulò inferius, non tamen ubi inſeritur ductus choledochus. Reliqua inteſtina ad rectum uſque prorſus vacua erant, niſi quod circa medium ilei duobus in locis vermes in glomerem compactos, eosque mor-

mortuos, & in fine illius ſtrias quasdam oblongas fæcum lutulentarum atrovireſcentium ſeu liventium, picis inſtar cohærentium invenerim. Inteſtinum rectum & cloaca plena erant excrementis liquidis, cum urina cretacea mixtis. In hepatis cavo manifeſtè vidi ductum bilarium hepaticum ſupra veſiculam bilariam incedere, & ſeorſim juxta pancreatis portionem ſurſum ad inteſtinum repere, aliumque manifeſtè fundo veſiculæ bilariæ ex cavo hepatis emergentem inſeri; inflatâ veſiculâ non quidem intumeſcebat, at ductu hoc vulnerato & inflato ſtatim veſicula bilaria inflabatur.

Circa principium recti nullam valvulam reperi, ſolum recti principium amplius erat, fine ilei, atque in illo manifeſtè apparebant duo oſtiola in cœca patentia: rectum anfractuoſum erat prope finem: ibi quoque limbus diſcernens rectum à cloaca, in extremo cloacæ alia valvula erat, dimidiâ unciâ diſtans à podice. Juxta valvulam hanc in ſiniſtro latere oſtium facilè reperi in oviductum, qui circa finem anfractuoſus in ſuperficie interna fuit, in reliquo ductu fibras rectas habuit: ovi ductus ſpithamâ longior: pennâ anſerinâ amplior: in ſummitate patulus, digitum parvum inflatus admittens, ibique fibris circularibus præditus: ab ovario multum diſtabat, ut mirum quomodo moveretur & accederet ovario ad ova arripienda: intus muco pellucido oblitus erat. Ovarium ſitum ſub hepate inter ſuperiores renes. In quolibet latere tres renes ſunt, à quolibet procedit unus ureter qui in unum abeunt. Lien globoſus eſt, avellanæ magnitudine, ſitus inter hepar & ventriculum: rubicundus. Pancreas duplex habuit inter jejuni portiones ſitum, ex quibus manifeſtè ductum ſeorſim incedentem ad inteſtinum. Aſperâ arteriâ inflata pulmones non intumuerunt. In cordis dextro ventriculo parum omnino ſanguinis grumoſi, in ſiniſtro propemodum nihil inveni: Nam multum ſanguinis ob ſauciam alvum, tum ob ſectas axillares venas & arterias vivente

adhuc & ſe motitante corde profudit: ut & propter vaſa ſanguifera iliacâ ſectâ.

Macerato ventriculo per d.2. in aquâ, abſterſo muco, vidi manifeſtè membranam nerveam in fundo: Corpus tubuloſum quoque intus rubicundius erat, quàm convenit, in illo hinc inde maculæ erant flavæ lenticulares, ac ſi ambuſtæ fuiſſent. Gulà propè corpus tubuloſum quoque inflammata erat, ut & circa principium.

Scholia ad Hiſtoriam IX.

I.

Aquila hæc minor aquilis duabus quæ in arce Doneſchingana enutriuntur, ac ex petræarum genere creduntur, multo major milvo, etiam gallo gallinaceo. Venatores has vocant Mauſer/ ſeu murivoras, quamvis præter mures, lepuſculos, vulpeculas, perdices, anates juniores aliasque aviculas capiant & devorent. Figura ſimilis ei exſtat apud *Cl. Jonſton. de Avib. l.1. Tit.1. Tab. V.* ſub ſchemate Avis ſcythicæ.

2. Quamvis aves etiam carnivoræ, cruſtaceam tunicam in ventriculis denſiorem habeant homine & quadrupedibus, nihilominus *Cicuta aq.* brevi in membranam nerveam vim ſuam exſeruit, ac ſe non torpidam teſtata eſt; anxietates, ſubſultuum cauſas, vomitus & diarrhœam effecit. Languorem, decubitum in pectus, capitis tremorem, reſpirationem celeriorem hiante ore & tremulâ linguâ, adſcriberem potiùs ventriculi, gulæ & inteſtinorum afflictioni, quàm ſpirituum alicui jacturæ, aut ſanguinis depravationi: nam etiam poſtquàm ſecunda vice radix intruſa fuit, oculos vivaciſſimos quaqua verſus movit ac baculum firmiſſimè arripuit, & viva etiam aperta inſigne robur prodidit, diuque retinuit. An convulſa fuerit, cicutæ culpâ, certò

dicere

dicere non poſſum, quamvis mirè, dum prandio intereram, ſe jactaſſe ex cruore per pavimentum conclavis facilè divinare potuerim. Tetanus ille potiùs evenit propter membranas diaphragmatis vices obeuntes diſciſſas, aquilâ, reſpiratione propè intercepta, ad ſummas anguſtias redactâ. Fortè tamen ſuperveniſſet tandem, ſi diſſectionem ulteriùs diſtuliſſem, cùm ultimam radicum portionem non evomuerit, ac gulam, ventriculum & inteſtina jam inflammarit & maculas rubras inuſſerit.

3. Hujus generis aves carnivoras vomere aliis vicibus vidi: Venatores, quando falcones, accipitres ſimilesqué minus avidè cibo inhiant, vomitum & alvum moventia quandoque ipſis ingerunt; vidi aves minores objectas fuiſſe, quæ cum pennis inglutitæ protinus vomitum cum iuvamine moverunt. Vomitum facilè peragere poſſunt, cùm ventriculi fibræ propè carnoſæ ſint, quas teneræ quidem gulæ fibræ, attamen robuſtæ, adjuvant, & non ſecus ac ex ingluvie, contenta elidunt, gallinarum, columbarum & ſimilium more.

4. Caro flaccida & jam in pulpam lutulentam, viſcidam & ſubnigram ſubacta, argumentum eſt etiam in avibus alimenta in ventriculis verè à fermento diſſolvi, non ſolum atteri ac ex illis attritis, accedente fermento, ſuccum ceu ex contuſis amygdalis, affusâ aquâ cremorem elici & exprimi. Hoc confirmant etiam fæces inteſtinorum, in quibus nulla veſtigia carnium vel oſſium comparuerunt.

5. Oſcula pulmonum patula, oſtendunt citra detrimentum animalis aërem in inſpiratione ad cavitatem pectoris penetrare, imo in avibus abdomen implere poſſe, atque illas aërem ex imo ventre in exſpiratione ducere.

6. Oviductus oſtium ſupremum, utcunq; ovario non continuum ſit, imo multum ab illo diſtet, quia nihilominus ova arripit & inglutit, non abſurdè ſtatui docet, ſi aſſeratur extre-

mam

mam tubam *Falloppianam* in aliis animalibus ova ex teſticulis fœmininis quoque abripere, ac ad uterum deferre.

7. Ductus bilarius hepaticus veſiculæ bilariæ inſertus, viam monſtrat per quam bilis ad veſiculam bilariam feratur. Similem ductum veſiculæ inſertum prope collum in hepate bubulo, caſu inveni, dum vermis, quibus hepatici refertiſſimi erant, caput per ejus oſculum in veſiculam exſeruit; Laniones hirudines vermes iſtos vocant. Quia minuti ſunt, eorumque inſertio obliqua eſt, non mirùm paucis hujuſmodi ductulos innotuiſſe. Inde quoque patet obturato collo veſiculæ bilariæ non ſequi icterum, niſi ductus communis quoque obſtruatur. Sic aliquando lapidem inſignis magnitudinis in fœmina, in alia plures inveni in veſiculâ bilariâ, quarum neutra jcterica erat.

Caput XI. De Napello.

Hiſtoria I.

Catello trium circiter ſeptimanarum cum *Nob. D. D. Heinrico Screta à Zavorziz*, 14. Jul. 1676. radicis *Napelli* recentis bene contuſæ drachmam dimidiam cum lacte, horâ 2. pomeridianâ, intrudi: aliquandiu inceſſit ac ſi nihil deleterii accepiſſet, ſubinde vagiit, quandoque caput ſuccuſſit, quaſi nauſearet. Præteritâ propè horâ dimidiâ pedes poſteriores traxit, paulò pòſt ingreſſu ad latus ſiniſtrum inclinavit, atque ſæpiùs in illud lapſus eſt: ſubinde totum corpus motu convulſivo concutiebatur. Non diu poſt evomuit lac ſpumeum & aliquomodo grumoſum. Motus covulſivi aliquandiu continuerunt; hinc in latus decubuit: non obriguit à tetano: decubuit inſtar moribundi ultra duas horas ab accepto *napello* & quaſi ſuſpirioſè vagiit. Abdomen intumuit: illo inciſo fortius vagiit & validè artus movit.

vit. Ventriculus valdè diſtentus erat: integrum excidi: movit ſe motu vermiculari: ſtomachus ſeu orificium ſiniſtrum arctiſſimè ſemet conſtrinxit, ut ne guttula quidem excideret: quando verò circa medium ſe contraxerat, motus lentè verſus pylorum procedebat, illequé erigebatur liquorque ſuppallidus, nunc ſpumeus nunc viſcidus quandoque ſenſim, aliquando cum impetu protrudebatur: Conſtricto pyloro ventriculus rurſus intumuit totus, moxque rurſus circa medium ſe conſtrinxerat, novusque liquor per pylorum eijciebatur: Hæc conſtrictionis in medio & inflationis alternatio continuavit per octavam partem horæ, ſtomacho ſemper arctiſſimè clauſo permanente. Poſtquàm ventriculus ſe movere deſiit, illum supernè à ſtomacho ad pylorum incidi: continuit radicis *Napelli* reliquias, lac grumoſum, fruſtula ſtraminea, mucum & liquorem ſpumeum: his ſublatis interna ſuperficies alba erat, nec ullibi vel minimum inflamationis ſignum apparuit. Diaphragma poſt ablatum ventriculum aliquandiu movebatur, catellusque aërem ore hiante captavit. Sanguis ex venis & arteriis promanans admodum fluidus fuit. In cordis ventriculis nihil omnino ſanguinis ſupererat. Veſica ab urina valdè diſtenta erat.

Hiſtoria II.

R*Everendiſſimus Dominus D. Romanus Abbas St. Blaſij* ex benevolentia, qua erga ſtudium medicum fertur ſingulari, 1676. d. 27. Aug. conceſſit lupum, ad experimentum *Napello* faciendum. In nido paucarum ſeptimanarum adhuc captus nutriebatur lacte; adolevit & aliquomodo cicur factus quoſdam ferebat, cum cane ludebat, illumque hincinde ſequebatur, non tamen penitus lupinam naturam exuit, quoſdam ferre nequijt, erga illos ringebat & propius accedentes morſu petijt: tuncque præ

Z timore

timore ſtatim alvum & veſicam exoneravit; fugaturus hac turpitudine inimicos ſuos. Jam ſemeſtris erat, ac robuſtus. Ab horâ 6. matutina ad 2. pomeridianam nihil cibi dabatur: per hortum & aream bacillo abactus valde incaluit: carnem objectam comedere noluit, ſerum verò appoſitum avidè lambit & poſtea carnem devoravit.

Poſtea aliud fruſtulum carnis, in quo drachma dimidia radicis *napelli* abſcondita erat, objectum fuit, quod venenum ſub odoratus attingere noluit. Itaque illum auribus apprehenderunt, os bacillo diduxi ac duo fruſtula carnis quibus *Napelli* drachmæ duæ circiter involutæ erant, intrudimus. Vix octava horæ pars præteriit, quum ad vomitum ſtimularetur, & paulò pòſt mucum viſcidiſſimum craſſum, ſpumeum cum uno fruſtulo carnis evomuit: ulterius ad vomitum concitatus alia duo cum napello & muco viſcidiſſimo, craſſo, ſpumeo & flavo ejecit. Interea abdomen mirè attollebat, valde angebatur: robuſtus tamen manſit, pedibus non nutavit, erga ignotos rictum edidit, baculum protenſum morſu petiit: Subinde mucoſa & viſcida evomuit. Poſtquam ambo fruſtula carnis cum radice napelli egeſſit, adhucque vegetus eſſet, veritus me experimento fruſtratum iri, paulòpoſt ultra drachmas duas radicis contuſæ ſero lactis immiſcui ac ore diducto denuo infudi. Brevi poſt frequenter ad vomitum irritabatur, multis nixibus fruſtraneis, tandem ter mucum viſcidum craſſum, ſpumeum, quartâque vice ejecit mucum gryſeum, turbidum, cui radices *napelli* & fæces ſubnigræ immixtæ erant: poſtea evomuit iteratis vicibus liquorem tenuem, flavum, pellucidum, nonnunquam nullo colore tinctum, mire angebatur: huc illuc ivit, corpus quandoque ad parietem inclinavit; huc usque nondum decubuit: abdomen crebro contrahebatur, ut propè venter evaneſceret, dorſoquè accedere videretur: diaphragmatis tenſio & relaxatio frequentiſſimè alternabant: nunquam vel alvum vel veſicam exoneravit, quod antea facilè

facilè ex ſolo metu fiebat. His ultra dimidiam horam perdurantibus,ſubitò ambobus pedibus anterioribus fortiter terram fodit brevique amplam foveam, ceu ſibi ſepulchrum paraturus, excavavit,ab opere avulſus fune quo ligabatur ſubſidit, moxqué in latus decubuit: extractus è fovea aliquot greſſus fecit: rurſus fodere incepit, profundè os naſumque foveæ immiſit, evomens mucum pellucidum, viſcidum, coloris expertem: ſtans aut ſedens ſubinde toto corpore tremuit: rurſusque fodit: retractus & compulſus aliquot greſſus peregit, non nutante corpore. Paulò pòſt in latus decubuit: celerrimè & cum ſuſpiriis reſpiravit: ad vomitum adhuc ſtimulabatur: os ſpuma implebatur: nunquam convellebatur. Cùm exſpiraturum præviderem, duabus horis à primo bolo intruſo, vivum ſed prorſus enervatum aſſeri pedibus & capite alligavi,ita tamen ut os apertum maneret: abdomen incidi; nulla doloris ſigna dedit: inter ſecandum exſpiravit, licet parum ſanguinis profuſum fuerit. Quamvis diaphragma non amplius moveretur, ventriculus tamen nunc in antro pylori, nunc in medio ſe contrahebat,ibiqué gracilior, imò quandoque anguſtiſſimus evaſit, verſus ſtomachum verò intumuit; mox conſtrictus iterum relaxabatur & in amplam molem diſtendebatur; mox iterum nunc circa antrum pylori, nunc in medio coarctabatur,atque crebris vicibus iſtæ ventriculi conſtrictiones & dilatationes alternabant. Inteſtina motu periſtaltico ſe movebant, nec tamen poſt conſtrictiones ventriculi dilatari videbantur, imò pòſt iteratos motus ſuos periſtalticos anguſtiora manebant, quamvis nihil per alvum quoque excreverit. Remoto ſterno gula ſummoperè diſtenta occurrit, quovis brachio pueri annui amplior ac ſi à flatu è ventriculo pulſo & circa pharyngem detento in hanc molem excreviſſet. Ad latus inclinatis pulmonibus receptaculum chyli nuce muſcatâ majus, oblongum, ſuppallidum vidi. Pulmones erant ex albo rubeſcentes,molles,penitus collapſi. Ven-

triculo propè ſtomachum inciſo gula concidit, & protinus ad priſtinam magnitudinem pervenit; nulla inflammationis veſtigia in illa aderant. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum inciſo ultra duodenum, vix grana decem radicis napelli inveni: continuit mucum valdè ſpumeum flavum: illo abſterſo tota interna ſuperficies in fundo & in parietibus inflammata, & anfractus atro rubeſcentes, nullibi exulcerati, apparuerunt: ſtomachus verò & pylorus ab inflammatione immunes fuerunt. Tota interna ſuperficies duodeni & maxima pars jejuni & ilei quædam portiones, nunc unciæ unius nunc duarum longitudine, imprimis propè valvulam in ejus fine, admodùm rubebant; etiam limbus hujus valvulæ. Duodeni & jejuni ſuperficiem incruſtabat ſubſtantia coagulo lactis ſimilis, alba viſcida, alicubi flava. In ileo continebantur cucurbitini vermes ſolitarij, ſemen cucurbitæ figurâ & magnitudine referentes, cohærentes duas ſpithamas longi, deſinentes in filamentum propè ſpithamæ longitudine, in cujus extremo globulus, caput acus referens; Item tæniæ ſeu lumbrici lati; omnes adhuc viventes.

In recti extremo fæces virides, mucoſæ pauciſſimæ aderant. Cœcum flatibus diſtentum & incurvum continuit mucum viridem, ſabuli aliquid & fruſtulum unum alterumque radicis minutim conciſæ. Inteſtina ulnas quinque ſuperarunt; Cœcum palmare. In jejuno & ileo quam plurimas areolas glandularum inveni, plures rotundas, quasdam oblongas, dimidij bazij latitudine, quasdam ampliores: areola in fine ilei palmâ longior erat: illarum ambitus prominulus: pleræque in centro etiam inflammatæ. Vaſa ſanguifera meſenterica ampla & ſanguine nigro plena; heparque atro rubeſcens fuit. Veſica bilaria bile valdè turgebat. Lien pallidior longè hepate: in dorſo ſe corrugare videbatur: longus ſed gracilis. Renes caninis ſimiles: nulli in illis vermes. Veſica prorſus contracta: vix nucem moſchatam magnitudine æquavit, quamvis glandem filo conſtrinxerim.

rim. Vena cava aſcendens & deſcendens valdè ſanguine turgebant. Pancreas *Aſellij* venæ lacteæ plures tranſcenderunt & perreptarunt. Receptaculum chyli incidi, effluxit multum chyli lactei, candidiſſimi, multâ lymphâ diluti, ſine vel minimo grumulo. Ductum thoracicum ibi inflavi, inde vena cava propè auriculam dextram primùm micare, hinc ſyſtolen & diaſtolen edere cœpit, mox auricula dextra ex parte, non tota aliquot ſyſtoles & diaſtoles motus peregit. Cor ante inflationem amplum, ab illa magis diſtendebatur, ut & vena axillaris. In pericardio multum ſeri pallidi, turbidi continebatur. Inciſis cordis auriculâ dextrâ & ventriculo aliquid ſanguinis ſpumei emanavit; plurimum verò in auricula & ventriculo grumoſi permanſit, extracto grumo ſequebantur appendices ſpithamâ longiores ex cava & arteria pulmonica. In ventriculi ſiniſtri ſummitate grumulum parvum, nullum in fundo reperi. Artus poſt mortem flaccidi & flexiles erant. Oculi diu lucidi permanſerunt. Dum vivebat naſus ad oculos ut & pedes, ubi depiles erant, admodum quaſi à ſudore madebant.

Scholia ad Hiſtor. I. & II.

I.

NApellus iſte eſt 1. *Cl. Caſp. Bauhin. in Pinac. ſeu Aconitum X. flor. cæruleis.* An ſit Napellus *Avicennæ*, quem calidum & ſiccum in quarto gradu & ex illo *Santes de Ardoynis* aliique ſtatuunt? nolo hic multum diſceptare: Videatur hac de re *Cl. Joh. Bauhin. Hiſtor. Plant. Univ. lib. 34. cap. 18.* ſufficiat vim homini & quadrupedibus multis pernitioſam à pleriſque ipſi tribui, quod exemplis l.c. probatur. Quidam tempore peſtis illo pro veſicatorio utebantur: at pudendus error eſt in Sabaudia & in Gallia ejus radices ſubſtitutas fuiſſe hellebori nigri radicibus, ut ibidem

quoque memoratur. Hunc calidum & acrem eſſe, quilibet radice leviculè linguæ apici admotâ facilè experietur, & tum catelli, tum lupi hiſtoriæ abunde probant, & quoniam eoſdem prope effectus edidit, quos cicuta præſtitit, non parum ſtabiliet ſententiam meam de cicutæ calidâ, acri & mordaci facultate, in prægreſſis probatâ. *Galen. 5. & 6. de Med. Simpl. Facult.* ei quoque ſepticam tribuit: quamvis nihil exulcerati vel in ventriculo vel inteſtinis catelli & lupi viderim; niſi fortè ſuperficies anfractuum ventriculi atro rubeſcens, gangrænæ principium & pravi ulceris exordium credatur.

2. Virus ſuum in catello & lupo rodendo, irritando & vellicando membranam nerveam ventriculi potiſſimum, exſeruiſſe demonſtrant anxietas, & vomitus fibris ventriculi ad conſtrictiones iteratas ſollicitatis, quarum motus poſt mortem in lupo & in catelli ventriculo exciſo perſtitit. In catello Præſes ſyſtematis nervoſi in conſenſum tractus fuit, quia ſemel tantùm vomuit, poſtea arctiſſimè conſtricto ſtomacho vomere ampliùs nequiit, unde gravius ventriculus afflictus fuit: in lupo nullæ convulſiones excitatæ fuerunt, quia fibrarum circularium impulſui ceſſit, vomituque ſæpiùs iterato radix ad decem grana ejecta fuit. Ex conſtrictione ventriculi in medio aut parte viciniore ſtomacho conijcere potui, quomodo nonnunquam nec omnia ventriculi contenta, quandoque ſolummodo mucus quidam, non numquam pinguia tantum rejiciantur. Novi *Cappuccinum quendam juvenem & novitium*, qui comeſtis placentis, juſculis aut carne pinguioribus brevi à paſtu ad vomitum ſtimulabatur, evomuitque nihil niſi pinguia, nec ceſſavit, donec omne pingue hac viâ pulſum fuerat. Quod non niſi pingui ſupernatante reliquis cibis, à conſtrictione fibrarum ſtomacho propiorum expreſſo, ſurſumque truſo fieri potuit.

3. Lupum *napelli* radix interemit, non ſectio, cum parùm ſanguinis profuſum fuerit, vixque diſſecto abdomine ſpirare deſierit

ſierit & graviora tormenta hæ beſtiæ diu tolerent, ut aliquando in lupo bimulo, abdomine & pectore vivo apertis comperi, qui ultra horam poſt magnam etiam hæmorrhagiam factam vivus permanſit. Quomodo verò ipſum necarit ambiguum eſt: non exiſtimo hanc mortem attuliſſe ſpiritus diſſipando, aut ſtupefaciendo, quamvis in ipſa ſectione nullum doloris ſenſum oſtenderit, ut catellis, quia propè ad ultimum halitum vegetus & in fodiendo ſtrenuus fuit: Nec hic culparem ſanguinis coagulationem, tum ob prædictas rationes, tum quia chylus in receptaculo lacti perſimilis, nec minimum grumulum admixtum habuit; nec in vaſis pulmonicis ſanguis ſubſtitit aut inflammationem peperit, quod neceſſariò fieri debuiſſet, cum omnis pulmonum minutiſſima vaſa permeare debeat: Nec grumus in corde cum appendicibus ex vaſis extractis probat coagulationem, cum frigefactus ſanguis etiam in ſaniſſimis, citra medicamentum, aut venenum propinatum alias grumeſcat: Imò in catello fluidus admodum permanſit, talisque procul dubio, ſi ſtatim ventriculum dextrum diſcidiſſem inventus fuiſſet, niſiq; motum cordis, inflatione ductus thoracici renovare conſtituiſſem. Credibilius eſt mortem acceleratam fuiſſe quia ob magnã ventriculi inflammationem, cereberrimosque vomitus cor tandem elanguit & quaſi enervatum fuit, ut non ampliùs ſanguinem propellere valuerit; hinc ventriculus dexter etiam ante inflationem ſanguine valde diſtentus repertus fuit. Fortè tamen aliquid ſtrangulatorij concurrit ad mortem inferendam, tum ob crebros vomitus, diaphragmate à tot ſuccuſſionibus ſuo tono privato, tum ob arctiſſimam pharyngis conſtrictionem nimium coarctatâ etiam larynge, & aſperâ arteriâ compreſsâ à gulâ in molem inſignem diſtentâ.

4. Veſica urinâ vacua fuit, tum quia antea crebro minxerat, tum quia lymphæ magna portio ad ventriculum ab acrimoniâ *napelli* allecta & vomitu rejecta fuit.

5. Mirum

5. Mirùm vermes in inteſtinis ad quæ quoque *napellus* pervenit non necatos fuiſſe, ſiquidem ipſi tanta vis deleteria inſit. Fortè vel murium vel muſcarum, Napelli alexiteriarum, naturâ dotati erant. Si omnino tales muſcæ aut mures exiſtant aut illis fidendum ſit.

Caput XII.

De Cocculis.

De quibus Vid. *Cl. Johan. Bauhin. Hiſtoriar. Plantar. l. 3. cap. 155. p. 348.*

Hiſtoria I.

Feli maſculo adulto d. 28. Decembr. 1677. horâ 9. antimeridiana jejuno dedi præſentibus *Exc. D.D. Heinrico Screta* & aliquot Candidatis & ſtudioſis Medicinæ *Coccularum* contuſarum & cum juſculo permixtarum drachmas duas. Cochleatim infudimus juſculum, cujus magna portio antequam deglutiret ex ore effluebat, protinus tamen mucoſum factum vidimus, nihilominus prope drachmam in ventriculum admiſit. A vinculis liberior os lambit. Statim poſt intruſum juſculum, inſtar canis curſu longè defatigati, celerrimè linguâ exſertâ & hiante ore reſpirare cœpit & paulòpoſt quaſi exterrita ſuccutiebatur. Vix octante horæ elapſo convelli cœpit & primum convulſa jactabatur ad pedis unius & duorum diſtantiam; tum inter convulſiones, tum ab illis libera ſæpius lamentabilem vocem edidit: ſpuma ſatis copioſe ex ore ſtillavit: ſemel manifeſtè vomere conabatur: nunquam alvum ſolvit: nec multum eminxiſſe obſervatum fuit, quamvis permictiones importunæ ipſam ad cocculas damnarint.

rint. Paulò pòſt convulſiones invaluerunt creberrimis paroxyſmis & omnis generis, imprimis ὀπιςθότονῳ & tetano; non rarò ſolummodo pedibus tremebat. Poſt paroxyſmos aliquoties ceu mortuus jacuit. In ipſis paroxyſmis & dum à convulſionibus liber erat, ſæpiùs nullum motum cordis, nullamque reſpirationem animadvertere potuimus: ambo motus nunc ſponte, nunc compreſſo & conſtricto atque etiam ſuccuſſo pectore redierunt, ſtatimque rurſus convulſiones ordiebantur pari vehementia: inter convellendum cauda mirè intumuit & arrecta fuit. Ferè ad extremum vitæ oculi ſplendidi fuerunt; circa finem vitæ retrahi videbantur: tunc quoque jam diu mortuus credebatur; poſt ſuccuſſiones tamen denuò iteratò convellebatur atque vocem querulam, ſed ſubmiſſam, edidit.

Ante 10. antimeridianam vivere deſiit. Aperto abdomine ventriculus rugoſus & anfractuoſus quaſi conſpiciebatur, ac circa principium antri pylori aliquantulum contrahebatur & coarctabatur, ſed motu lentiſſimo; paulò pòſt amplior & ſuperficies planior evaſit, diuque talis manſit & non niſi leviculè ſe ſubinde contrahendo & corrugando mutabatur. Inteſtina à pyloro ad finem recti diu motu periſtaltico movebantur, qui motus nunc à pyloro ſupernè, nunc infernè, nunc circa medium incipiebat, & nunc ſurſum nunc deorſum vergere videbatur, idque diu, quamdiu ſc. inteſtina calebant.

Venæ gaſtricæ, epiploicæ, meſentericæ & porta admodum ſanguine tumebant. Inteſtina motu periſtaltico contracta duriſſima & quaſi cartilaginea videbantur: foris conſpicui erant, præter rugas circulares, etiam ſulci recti. Cavum hepatis rubicundius erat parte convexâ, atque ibi manifeſtè apparuit illud ex minutis glandulis compoſitum. Veſicula bilaria bile vireſcente turgebat. Pancreas molle manſit. Lien ſaturatè rubeſcebat: Renes pallebant. Aperto thorace, pulmones ſiniſtri lateris ſubalbi cum aliquo rubore permixti, in dextro latere rubicundiores

erant: in utroque latere lobi inflati erant, adeo ut pulchre in ipſorum extremitatibus *Veſiculæ Malpighianæ* conſpicerentur; Vena cava aſcendens & deſcendens, item azygos & intercoſtales ſanguine valde diſtentæ erant. Cor ejusque auriculæ ſanguine admodum turgebant; dextro ventriculo inciſo copioſus & fluidiſſimus emanavit; ex ſiniſtro verò, ſupernè preſſo corde, cum impetu proſiliit: in neutro ventriculo vel auriculis ne minimus quidem grumulus obſervari poterat, cum tamen extravaſatus brevi grumeſceret.

Ventriculo à gulâ ad pylori finem ſupernè inciſo, ipſum plenum muco viſcido cum juſculo & *coccularum* pulvere mixtis invenimus; quibus deterſis anfractus albicabant, & alicubi paululum magis quàm alias obſervatur rubebant, non tamen manifeſtè inflammati erant. Inteſtinis à pyloro ad finem recti inciſis, ſub pyloro in duodeno pauxillum de juſculo muco permixto offendimus. In reliquo ductu ad finem ilei ne minimum veſtigium harum apparuit: imo omnia vacua & exſucca erant, mucusque ipſe paucus & condenſatiſſimus fuerat: reperimus vermem unum latum, adhuc vivum & plures lumbricos teretes. Circa inſertionem ductus bilarij & pancreatici, nec bilis vel alius liquoris guttula viſa fuit. Inteſtinum cœcum & principium recti, plena erant ſubſtantiâ pultaceâ pallidè flaveſcente: in fine recti aliquot ſcibala ſicca & indurata detinebantur. Rectum à ſordibus mundatum intus rubicundius cum ſuis anfractibus fuerat ventriculo.

Inclinatis pulmonibus ad latus vidimus per ductum thoracicum, lympham omnis inquinamenti expertem transparere.

Scholia.

Scholia.

1.

Cocculas acrimoniâ linguæ papulas ferire quilibet, illis leviculè admotis experiri poteſt, atque in hoc catto manifeſtè patuit, dum quamprimum unum alterumve cochlear, juſculo pulvere illarum permixto, mucus copiosè tum ſolus tum cum ingeſtis emanavit. Acrimoniæ & roſionis effectus quoque erant dolor quem & antequam convulſiones erumpebant, & poſtea querulo & vehementi clamore prodebat; deinde ſuccuſſio totius, quaſi vellicando ſubito exterritus fuiſſet: denique convulſiones brevi emergentes, illæqué atrociſſimæ & frequentiſſimæ, neutiquam exinanitioni, cujuſmodi nulla unquam facta fuit, multo minus impletioni, cum intra ventriculum perſtiterint, adſcribendæ.

2. Convulſiones evenerunt non principio nervorum afflicto, cum quicquid juſculi *coccularum* pulvere impraegnati ingeſtum fuerat, omne intra fines ventriculi includeretur, nec quicquam ad inteſtina pervenerit, niſi pauxillum quod ſub pyloro in duodeno occurrerat, forte illuc detruſum dum forfex per pylorum adigebatur, nam quamvis emortuo catto inteſtina diu motu periſtaltico ſurſum deorſumque moverentur, motus nunc à pyloro, nunc infernè inciperet, quin etiam principium antri pylori coarctaretur, nihil tamen de juſculo hoc in reliquo duodeno, aut cœteris inteſtinis reperiebatur, imò adeo ex ſucca erant, ut in illorum cavo nihil ex veſicula bilaria, nihil ex pancreate, nihil ex glandulis inteſtinalibus proliceretur, quod utique factum fuiſſet, cum vix in os ingeſtum, copiosè ſalivam moverit. Dein lympha nitidiſſima, omnis coloris peregrini expers in ductu thoracico conſpiciebatur. Denique vix octante horæ

elapſo aderant convulſiones,quo temporis ſpatio breviſſimo vix tinctura à muco viſcido è *cocculis*, juſculo etiam frigefacto,commixtis elici potuiſſet. Acceſſit his arctiſſima gulæ & ſtomachi conſtrictio,unde nec vomuit nec purgabatur; cujus contractionis etiam veſtigia poſt mortem apparuerunt. Certè ſi tinctura ad inteſtina & hinc ulterius emanaſſet,etiam vermes necaſſet, ex quibus imprimis lumbricus latus manifeſtè vivebat;quibus procul dubio æquè ac piſcibus, pediculis aliisque inſectis funeſtus eſt. Multò minus evenerunt convulſiones, nervorum ductibus & plexibus inter cerebrum & ventriculum intermediis,affectis, cùm illuc non niſi cum ſanguine tinctura pervenire potuerit, quod prius affecto cerebro & cerebello neutiquam contigiſſet.

Cùm igitur neque principio nervorum; neque ductu intermedio affecto convulſiones factæ fuerint, neceſſariò excitatæ fuerunt,illorum extremitatibus ad interiora ventriculi, imprimis ad ſtomachum & pylorum deſinentibus afflictis,ab acrimonia & mordacitate *coccularum*, quæ vel ſolâ affrictione ſubitò ſuam vim in linguâ exſerere ſolent. Non equidem ventriculum *Coccula* multùm inflammarunt, multò minus exulcerarunt; quod fortè ob brevem moram in ventriculo & citam mortem factum fuit, nam antequam hora elaberetur vivere deſiit: nihilominus in tam brevi temporis ſpacio,ſuperficiem muco copioſo munitam, rubicundiorem effecerunt, deteriorem labem allaturæ, ſi diutius in ventriculi interiora virus ſuum exſerere,ac ſęvire licuiſſet.Extremitates afflictę in conſenſum rapuerunt ramulos vagi paris medii ventris viſceribus inſervientes,unde ſtatim poſt infuſum juſculum, concitatiſſimè cum lingua exſerta & anxietate quadam reſpirare cogebatur: paulò poſt in conſenſum rapta fuit medulla oblongata, unde vehementiſſimæ convulſiones, quibus etiam totum corpus à ſtatione ſua ultra duos pedes jactabatur, eveniebant, quæ etiam per momenta invaluerunt. Oculis aliquandiu ſuus nitor perſtitit, quia cerebrum minus in principio

patie-

patiebatur; quod tamen in poſterum non immune perſtitit, tunc ſc. quando oculi retrahebantur, nec compulſus, concuſſus, vellicatus aliquandiu ante obitum, ullius rei ſenſum ſe habere teſtabatur. A paroxyſmis aliquales, ſed breves, induciæ concedebantur, quia ſpiritibus diſſipatis motum nullum efficere aliquandiu poterant; mox tamen priſtinam telam perficere, ſtimulatis illorum extremitatibus, conabantur.

3. Mortuus eſt non ob narcoſin aliquam, cùm convulſiones, ad extremum vitæ durantes, nullius ſtuporis indicium ſint, & poſt paroxyſmos torvè circumſpectaret. Nec grumefactioni ſanguinis cauſa mortis adſcribi poteſt, cùm poſt mortem ſanguis in ventriculis & auriculis cordis, item in vaſis majoribus fluidiſſimus manſerit, nec vel minimus grumulus ullibi apparuerit. Potiùs cauſa mortis erat cor in motu ſuo penitus enervatum, quod partim factum fuit, dum ob fibrillas nerveas, vaſis majoribus maximè arteriæ aortæ & pulmonibus circumjectas & conſtrictas, ſanguinis expulſio impediebatur; partim dum à ſæviſſimis & frequentiſſimis convulſionibus ſpiritus animales diſſipati fuerunt, nam ante obitum non ſolum omnes muſculi langueſcebant, ſed etiam cor ipſum in & poſt paroxyſmum à motu ceſſabat, redibatque preſſo corde aut ſuccuſſo pectore: tandem ſanguinem planè non amplius perpellere valuit, quod teſtabantur ventriculi, & auriculæ cordis & venæ omnes etiam pulmonicæ, ſanguine turgidæ. Mortuus eſt inter inſpirandum potius quàm exſpirandum, unde veſiculæ *Malpighianæ* conſpicuæ.

I.

Ab Exc. D. D. *Chriſtophoro Hardero*, communicata.

DIe 8. Nov. 1678. cani venatico, novem ferè annorum, carnoſo tamen, valido & robuſto *coccularum* in pulverem redactarum drachmas circiter duas exhibuit. Elapſo vixdum mediæ horæ ſpatio, toto corpore, ac ſi frigeret, tremuit: in hortulum traductus gramen lambere, ſubinde devorare cœpit: brevi ventriculus ad vomitum urgebatur, qui & paulò pòſt ſequebatur: unâ atque alterâ vice ſtomacho per vomitum à cibis evacuato, tremor artuum in motus convulſivos mutabatur: rictum ſæpiùs deducebat vero ſpaſmo cynico: ſtans eructabat plurimum ſalivæ tenuiſſimæ, ab ore pendulæ: motus ventriculi nauſeabundus identidem rediit: tandem humi proſtratus, horrendas convulſiones univerſales ad quartam ferè horæ partem paſſus eſt. Tandem remittente ſenſim violentâ iſta artuum extenſione & convulſione, (non tamen ventriculi, qui perpetuò ad vomitum irritabatur & ſine intermiſſione ſpumam eructabat) paulatim canis ſe recollegit, caput erigere, ſurgere ac pedibus inſiſtere conabatur: quod tamen effectum dare minimè potuit, ſæpiùs enim recidit, pedesque poſteriores corporis onus ferre recuſarunt; vacillavit inſtar temulenti, oculi caligine ſuffuſi, ut oblata & accedentes non videret, nec acclamantes audivit. In hoc ſtatu ferè per horam manſit. Poſtea in ſecundum paroxyſmum epilepticum delapſus eſt, priore tamen mitiorem & breviorem, quo ceſſante ſenſim reviviſcere cœpit, robur artubus rediit, firmo talò ſtetit, torpor, oculorum caligo & temulentia diſcutiebantur, ſtomachus quievit, ſuâque ſponte convaluit. Globus ſclopeti per caput trajectus vitam ſuſtulit. Canis eviſcerationi

ſcerationi ſubjectus oſtendit in ventriculo magnam ſpumæ copiam & in fundo cibos : detersâ ſpumâ ventriculus non uſque adeò alteratus vel inflammatus, at rubicundior debito erat: ut & inteſtinorum interna ſuperficies : glandulæ verò nec prominentiores nec rubentiores erant : Nihil *coccularum* in inteſtinis occurrit.

II.

A Doctiſſimo D. *Melchiore Hurtero*, Med. Lic. communicata.

DIe 8. Januar. 1678. horâ 1. pomeridianâ caniculæ viginti horis jejunæ, *coccularum* contuſarum drachmas tres cum pane in bolos redactas exhibuit. Poſt quadrantem horæ oculis frequenter, ceu obdormitura, nictavit, mox, ceu ab inſomniis territa & expergefacta, caput ſuccuſſit iteratis vicibus, os lambit, ſemel atque iterum oſcitavit; ſequebantur vomitus; primum evomuit cibi reliquias craſſas & bolos ex *cocculis* ferè integros, hinc materiam pultaceam craſſiuſculam, poſtea tenuiorem flaveſcentem, tandem mucum tenacem album, cujus partem dimidiam ab ore pendentem reſorpſit. Ab illo tempore valdè inquieta fuit, ſurrexit, mox rurſus decubuit, frequenter os nunc lambit, nunc aperuit, nunc clauſit & maxillas ac ſi manderet, verſavit : exporrecto capite torvè circumſpexit: parietes delingebat: celerrimè ceu à longo curſu defatigata, exſertâ & varie commotâ linguâ, reſpiravit, ſubinde murmuravit, caput ſuccuſſit; pedes tremuerunt: ſemel voce ſubmiſsâ & ore propè clauſo latravit. Nondum horâ elapsâ adhuc ſemel evomuit mucum tenacem ſpumeum, ſubflavum : pedibus anterioribus inſiſtens caput erexit, tremebundæ caput ſuccutiebatur : ſubinde totum

totum corpus motu convulſivo tentabatur: aliquandiu oculos unico objecto obverſos immotosque tenuit. Poſt horam elapſam ſaliva copioſiſſimè ex ore ultra horæ quadrantem emanavit: ſtupida, ceu omni ſenſu privata, jacuit, nec baculo percuſſa ictus percepit; interdum totum corpus concutiebatur, quandoque ſolùm pedes poſteriores tremebant, erecta ſtare nequiit: ſemel, inſtar canis ad iram concitati, murmuravit: tandem capite in terram extenſo, clauſis oculis, ceu ſomno obruta jacuit & paulisper quievit: ſomno finito ſurrexit, ſenſus omnes recuperavit, hinc inde curſitavit: & ſecundâ à *cocculis* devoratis horâ, nihil adverſi amplius paſſa eſt. Vegetæ poſt dimidiam horam *coccularum* drachmæ duæ cum juſculo carnis ingeſtæ fuerunt, quas poſt horæ quadrantem evomuit, nullo ſubſequentente alio ſymptomate, quàm iteratâ capitis ſuccuſſione. Die 9. Januar. ter *coccula* non parva doſi datæ fuerunt: Primum ante meridiem, unde per alvum egeſſit fæces atro flaveſcentes. Poſt meridiem bis exhibitæ nihil niſi vomitum excitarunt. Die 10. Januar. ante meridiem rurſus drachmæ tres *coccularum* intruſæ fuerunt, nullo ſubſequente ſymptomate notatu digno, quin potius unâ atque alterâ horâ elapsâ ipſi appetitus rediit, objectos cibos avidè devoravit atque integrè convaluiſſet, niſi ad nucem vomicam damnata & hujus vim expertura aliter ejus curioſitati inſervire coacta fuiſſet.

Scholia.

I.

C*occulæ* ſymptomata in cane & canicula excitarunt invaſionis ordine & ſævitiâ, non diſparia iis quæ *Cicuta aquatica* in hominibus, canibus & lupis effecit. In cane vomitum præceſſerant tremor, ceu à frigore, vel potiùs rigor quidam: in canicula

nicula quidem vomitum anteceſſit quædam ſomnolentia, quam prodidit oculorum nictatione & oſcitatione, quæ tamen non verè talis erat, nam caput ſuccutiebatur mox ſubſequente vomitu; potius præ anxietate & graviſſima ventriculi afflictione ſomnum ſimulavit, quam vehementem fuiſſe innuere videtur reſpiratio anhelosa, exſertâ linguâ. Poſt contenta ex aſſumptis, evomuerunt mucum viſcidum, flavum, album, ſpumeum; inſuper irrito ſucceſſu diu ad ulteriorem vomitum ſtimulabantur, convellebantur particulariter & univerſaliter cum omnium ſenſuum amiſſione ac quietis artubus ceu ſenſibus orbi jacebant, quod imprimis in lupis à *cicuta* præſtitum obſervavi.

2. Motus convulſivos in cane & canicula *cocculæ* excitarunt non egreſſæ ventriculi terminos, & ſolummodo ejus interiora affligendo, nam in cane inteſtina nihil *coccularum* poſt mortem oſtenderunt, nec obſervatum fuit has per alvum ſeceſſiſſe: Canicula bolos ferè integros vomuit. Inſuper manifeſtè Præſes ſyſtematis nervoſi primùm particulares convulſiones integris ſenſibus imperavit, antequam in furias artus Epilepſiam concitavit, quam ſtupor à ſpirituum animalium confuſione potiùs, quàm jactura excepit.

3. Symptomata in cane & canicula ſatis clarè probarunt *cocculis* ineſſe vim calefacientem & impensè irritantem nec Helleboro albo valdè diſſimilem, quod etiam confirmat rubor ſuperficiei ventriculi & inteſtinorum ſive à fermento ventriculi inteſtinis communicato & coccularum acrimonia impnægnato, ſive à bile commota excitatus fuerit.

4. Utcunque *cocculæ* felem interfecerint citiſſimè ac plurimis animalibus lethiferæ ſint, canem tamen & caniculam larga ſatis doſi ingeſtæ, poſt ſuperata vehementia ſymptomata denuo ſævientes interficere nequiverunt, forte quia vetuli erant ac fibras robuſtiores Cor nactum erat, quas non tam facilè, ut in junioribus aliiſque animalibus enervare valuerunt. Nec ſanguis

Bb ob

ob motum Cordis vel abolitum vel admodum turbatum in vaſis ſubſiſtens grumefactus fuit, aut ſi qua coagulabatur, nullum tamen valetudini damnum attuliſſet, quin potius citra alexipharmacorum aliorumve diſſolventium uſum ſupervixiſſent, niſi globus plumbeus cani & Nux vomica caniculæ vitam abſtuliſſet.

5. Canicula ſuperato primo acerrimo conflictu, minus poſtea à *cocculis* crebrius & copiosè ingeſtis lædebatur, nec tanti tumultus excitabantur, non quòd ventriculus in tam brevi & acerbo tyrocinio veneno aſſueverit ac ventriculo familiarius redditum fuerit, nec quòd ventriculi membrana nervea ſtupidior facta adversùs injurias *coccularum* induruerit, nam eundem ſenſum quem priùs habuit, retinuit, appetiit, oblata avidè devoravit; ſed potius propterea, quia ventriculi tunica mucoſa, à muco poros ejus oblinente mundata, permiſit, ut ſpicula *coccularum* citiùs membranam nerveam ferirent, unde inſurgentes fibræ *cocculas* maturè eliminarunt per vomitum & ſeceſſum: fortè etiam multum fermenti benignioris in fundo ventriculi aderat, poſt longa irritamina ex arteriis eliciti, quod acrimoniam *coccularum* infregit.

Caput XIII. De Nuce Vomica:

Hiſtoria I.

Catello projectitio trium circiter ſeptimanarū, 16. Jul. 1676. limaturæ *Nucis Vomicæ* drachmam dimidiam, hora ſecunda pomeridiana, cum *Nob. D.D. Heinrico Screta à Zavorziz* lacti permixtam infudi. Aliquandiu nihil p. n. obſervatum fuit, niſi quòd vagiret: elapſo horæ quadrante caput ſubinde ſuccutieba-

tiebatur, aut in latus trahebatur, aliquando tremuit ac ſi rigorem pateretur: interea vagiit continuò, evomuit lac ſincerum, non coagulatum: paulò poſt nunc pronus, nunc ſupinus, exporrectis pedibus inflexibilibus, vero tetano extenſus, jacuit, quandoque totum corpus motibus convulſivis concutiebatur & multivariè jactabatur, mox toto corpore & collo inſtar ſchidii rigidus protenſis pedibus evaſit, atque ab illo tempore vagire deſiit, exſerta continuè lingua: abdomen valdè intumuit. Poſtquam duabus horis convulſionibus afflictus jam ſemimortuus eſſet, abdomen incidi, inter ſecandum rurſus vagire & motu convulſivo agitari cœpit, qui protinus in tetanum vertebatur. Ventriculus, utroque orificio arctiſſimè clauſo, ſupra modum diſtentus erat; Illo exſecto vidimus diaphragmatis crura, antequam illud in inſpiratione ad plenam diſtenſionem & expanſionem perveniret, motu convulſivo, ut in ſingultu, ſuccuti. In ventriculo invenimus lac grumoſum cum muco ſpumoſo multo & fruſtulis ſtraminis: illo à contentis mundato, nulla inflammationis ſigna obſervare potuimus, anfractuum tamen ſuperficies minùs alba erat ac alias conſpicitur. Ventriculo exſecto nihilominus artus & collum à tetano rigebant; diaphragma diu & ſæpius brevibus intervallis motu convulſivo ſuccutiebatur: ex venis & arteriis ſanguis largè, ſplendidè rubeſcens emanavit nullibique concretus, aut grumoſus à nobis viſus fuit. Aperto pectore cor veluti emortuum, cultelli apice irritatûm, movebatur ſubinde. Tertia hora poſt exhibitam *nucem Vomicam* inciſis cordis ventriculis & Venâ cavâ prodiit ſanguis fluxilis, grumorum prorſus expers.

II.

Caniculæ provectioris ætatis, mediocris magnitudinis, pilis nigris præditæ circa principium Septembris 1677. *Cl. D. D. Joh. Conrad. Brunnerus* dedit *Tartari Emetici* grana aliquot, nullo ſubſequente effectu memorabili, imò quaſi nihil hujusmodi aſ-

 ſumſiſ-

ſumpſiſſet, ſana vixit, permanente urinæ incontinentia, ob quam cætera fidelis cuſtos hero ſuo eviluit. Die 18. Oct. 1677. cum Domino *D. Brunnero*, præſente *Cl. D. Matthæo Scherpſio Durlac. Med. Licent.* tum ex Italia reduce, dedi *nucis Vomicæ* limatæ drachmam dimidiam circiter; quam cum mica panis in bolum redegimus. Præ timore mox alvum & veſicam exoneravit. Ultra dimidiam horam nullum ſymptoma obſervavimus, niſi quòd latebras quæſierit & ſubinde fugam tentarit: nunquam vomuit, nunquam eructavit, aut ſpumam profudit: at crebrò os lingebat. Ante decimam antimeridianam ſtans, aut lumbis inſidens erectis trunco, collo & capite ac pedibus anterioribus, ſubinde oculis connivendo caput antrorſum inclinavit, mox caput ſeu ab inſomnio perterrita, ut & pedes anteriores in altum attollebat, ſubinde caput retrorſum trahebatur nunc fortiùs, nunc mitiùs, nunc brevioribus, nunc longioribus intervallis: interea crebrò mingebat; ſemel egeſſit ſcibala alba concreta, non tamen indurata: frequentes ſubſultus, ſeu παλμοὶ in partibus carnoſis trunci & artuum viſi ſunt. Circa decimam forti Epilepſia correpta fuit: in hoc paroxyſmo, qui ferè per horæ duodecimam partem duravit, caput retrahebatur, oculi fixi manſerunt, pedes nunc extenſi obriguerunt, nunc ſuccutiebantur & tremebant; reſpiratio aliquandiu penitus ceſſare videbatur; Cor celeriter, frequenter & validiſſimè pulſabat manum attingentis: nec excrementa per alvum aut urethram, nec ſalivam aut ſpumam ore egeſſit: nulla ullius ſenſus indicia animadvertebantur. Finito paroxysmo imobilis, ceu paralytia, jacuit, reſpiravit celerrimè & frequentiſſimè ceu à curſu incenſa, cor frequentiùs celeriùs, at debiliùs quàm in paroxysmo movebatur: brevi tamen vires recuperavit, in pedes ſurrexit, leviculo baculi attactu cucurrit & ſolitas latebras quæſivit. Verùm non longæ induciæ concedebantur, ſtanti enim caput & pedes anteriores ſubitò & vehementiùs in altum abripiebantur; plerunque primùm oculis clauſis, poſtea etiam apertis,

tis, ac ſi in ſomno territa fuiſſet ipſaque coma vigil pateretur: quandoque etiam caput retrorſum trahebatur. Hi Epilepſiæ prodromi crebriores & vehementiores erant, quàm primum paroxyſmum præcedentes; manſere tamen hactenus ſenſus integri: crebrò minxit, alvo ſemper occluſâ. Vix horæ quadrante elapſo rediit Epilepſia, in qua ſtans projiciebatur cum impetu quodam in pavimentum; in principio artus, truncus & caput validè quaſſabantur, mox artus & truncus, capite retracto, rigebant, pedes poſteriores mirè elongabantur tenſique manebant: Os claudebatur, oculi figebantur: reſpiratio erat intercepta; nulla ſpuma ex ore prodiit, cor vehementer, citiſſimè, ſed æqualiter movebatur: paroxyſmus iſte citiùs primo & ſua ſponte remiſit. Ceſſante paroxyſmo oculos movit, hinc inde circumſpexit, celerrimè, ceu poſt curſum, reſpiravit, ſiccâ linguâ longè exſertâ, ceu valdè defatigata & debilitata diu ſiniſtro lateri incubuit: decubuæ pedes nunc tremebant, nunc ſuccutiebantur. Compulſa ægrè tandem ſurrexit, aliquot paſſibus inceſſit, aliquandiu parieti innixa ſtetit, torvè circumſpiciens, quandoque ringens. Paulò poſt denuo imminentis Epilepſiæ prodromi apparuerunt, brevibus intervallis increbreſcentes, vehementiores prioribus; nihilominus oculis nitidis & veluti flammeis circumſpexit. Vix horæ decimæ ſignum perſonuit, tertia vice correpta fuit epilepſia vehementiſſima; at nec in hoc paroxyſmo ſpumavit. Ceſſante paroxyſmo primùm oculos movit, mox citiſſimè reſpiravit, linguam aridam longè exſeruit, & quamvis ſenſibus valeret, nihilominus artus nunc rigebant, nunc ſuccutiebantur, nunc veluti tremebant: poſt aliquam quietem compulſa ſurrexit, lento greſſu pedibus veluti rigidis inceſſit, poſticos pedes quaſi trahendo; parieti rurſus innitenti caput motu convulſivo retrorſum trahebatur & quamvis ſcamni humilioris aſſeri caput validè crebrò fortiterque alliſiſſet, ſimul in altum ſublatis pedibus anterioribus, locum tamen non mutavit, torvè ſemper circumſpiciens & baculo

lo monſtrato ringens. Dimidiâ ante undecimam matutinam forti paroxyſmo omnibus ſenſibus abolitis proſtrata fuit, omni genere motuum convulſivorum exagitabatur, cum reſpiratione intercepta, citra ullius excrementi ſenſibilem excretionem: duratio hujus paroxyſmi cæteris non longior fuit. Finito paroxyſmo inſtar mortuæ jacuit, mox celerrimè & frequentiſſimè reſpirare & oculos movere incepit: ſenſibus integris nihilominus multifariam artus motibus convulſivis afficiebantur; vidit, vellicatis aut compreſſis auribus ſigna perceptionis dedit; dum pulvis tabaci naribus indebatur, reniti conabatur, mox caput ſuccuſſit absque ſternutatione, naſum lambit & aliquandiu vegetior videbatur: nunquam tamen etiam compulſa ſurrexit; oculi turbidiores fiebant: motus convulſivi ſubinde invaleſcebant, manentibus reſpiratione & ſenſibus; labia tremebant & quandoque motu Cynico torquebantur: paulò poſt cor magis magisque in motu elanguit brevique citra paroxyſmum Epilepticum planè ſubſtitit & canicula vivere deſiit. Pectus ſtatim fractis coſtis aperuimus: Cordis dextrum ventriculum ſanguine turgidiſſimum forfice diſcidimus, cum impetu ſanguis rutilus ad ulnæ dimidiæ altitudinem proſiliit, licèt nec vel minimi motus veſtigium in corde apparuerit: neque in hoc ventriculo neque in illius auricula neque in Vena Cava vicina vel minimulum grumulum, aut granulum coagulati ſanguinis invenimus: indito digito inſignem calorem in hoc ventriculo percepimus: Inciſo ſiniſtro ventriculo prodiit ſanguis copioſus, ſplendidiùs rutilans, at citra impetum: & iſte erat grumulorum expers: Indito digito nullum calorem dextri ventriculi majorem, tactu judice, deprehendimus. Sanguis extravaſatus protinus in grumos concrevit, ut & ſubclaviæ ſiniſtræ, jam aliquomodo cadavere refrigerato. Pulmones erant molles, non inflati, ſed aliquantulum collapſi, ſubrubri, alicubi maculis rubris quaſi conſperſi. Imo ventre apertè primò manifeſtè vidimus ventriculum ſecundùm longitudinem corrugari, ſul-

cis rectis & profundis planè conſpicuis; poſtea etiam, fibris circularibus motis, circa antrum pylori,circa medium & versùs ſtomachum, contrahebatur: à contractione ventriculus minor & anguſtior evadebat: relaxata contractione magis diſtendebatur & amplior, quàm contentorum fluidorum & craſſiorum moles poſtulabat,manifeſtè reddebatur; repetita contractione rurſus minor & anguſtior fiebat idque ſæpius alternante contractione & relaxatione. Inteſtina omnia, etiam rectum motu periſtaltico ſurſum deorſumque movebantur. Hunc inteſtinorum & ventriculi motum,diu continuantem vidimus,pridem emortuo corde & ſanguine propè omni effuſo, quamdiu ſc. hæ partes calebant. Dum inteſtina movebantur,obſervavimus contenta motu periſtaltico propelli ulterius; alicubi portio inteſtini inter duas conſtrictiones flatus pertinaciter retinuit, ut nec vi ſurſum deorſumve adigi poſſent,quod fortè in colica & affectu hyſterico credito frequenter fieri ſolet. In ſpatio vacuo hypochondrij ſiniſtri inter ventriculum & lienem ac crura diaphragmatis & renem ſiniſtrum calorem contactu comperimus,cordis calori prorſus non imparem. Ventriculo à portione gulæ in dorſo, ſeu ſummitate ſecundùm longitudinem ad duodenum inciſo,occurrit in ipſius fundo bolus nondum penitùs diſſolutus, muco turbido immerſus & obvolutus: aderat quoque aliquid pultacei, juſculo avenaceo,quod manè devoraverat, non abſimile; oſſium & cartilaginum fragmenta; quibus remotis nihilominus ſuperficies muco oblinebatur: omnium contentorum pondus vix ℥ij vel ad ſummum ℥iij erat, quamvis ventriculus non diſtentus ℥viij capax eſſet. Interna ſuperficie ab omnibus contentis mundata anfractus rubebant, ceu inflammati, magis ſupernè & ad latera,quàm in fundo, minùs circa ſtomachum: totum antrum pylori album permanſit: foris nulla inflammatio apparuit; at vaſa dorſum perreptantia à ſanguine turgidiora debito erant. Separatâ tunicâ fibroſâ forfice,quod celerius quàm cultro, aut lan-

lancetta ſuccedebat, circa ſtomachum & ſub pyloro in duodeno glandulas ſporadicas plures tunicæ nerveæ adhærentes conſpexi, in tota reliqua ſuperficie hujus tunicæ nullas, at plurimos vaſorum ſanguiferorum & nervorum ramulos illam perreptantes eique ſe im mergentes. Ablatâ tunicâ fibroſâ ſolùm nerveam inflammatam vidi; omnes anfractus obliterati erant, plana prorſus apparuit ac ſolummodo muco pellucido oblita videbatur primùm, poſtquam verò aquâ tepidâ macerata fuerat, interna nerveæ ſuperficies granulata & quaſi glanduloſa evaſit, multo muco pellucido nihilominus obtecta; muco deterſo plures aphthæ in conſpectum venerunt. Superficies granulata facilè abſceſſit à nervea; in illam nullum vas ſanguiferum deſiit & manifeſtè conſtitit, nihil niſi tunicam cruſtaceam eſſe, quæ pelluciditatem affuſâ tepidâ amiſit, craſſiorque facta facilè abſceſſit à nervea, non ſecus atque illa, quæ linguam obtegit, fervidæ infuſa.

In externa parte tunicæ fibroſæ vidi centrum quoddam fibrarum rectarum non procul à ſtomacho, à quo fibræ rectæ ſurſum & hinc per dorſum, ad latera & deorſum per fundum ad pylorum usque, ceu radii, diffundebantur: ſub his latebant Circulares nerveam tunicam immediatè obvolventes: hæ circa ſtomachum carnoſæ, hinc ad antrum pylori magis albæ & graciliores, circa antrum pylori craſſiores, denſiores & planè nerveæ erant: illis circa antri pylori finem remotis, limbus in duodenum prominens evanuit. Inteſtina foris albicabant, quamvis vaſa ſanguifera turgerent: aliquot in locis vaſa lactifera ad latera, non in convexa parte nec ubi meſenterio annectuntur, manifeſtè emergere vidimus. Illis inciſis in duodeno & jejuno aliquousque mucus turbidus continebatur, in ileo aliquid pultacei & portiunculæ *nuci Vomicæ* ſimiles, item excrementa liquidiora, circa ejus finem compactiora, in cæco & recto in ſcibalas albas coacta. Contentis ſublatis duodenum & maxima pars jejuni inflammata, in ileo hinc inde maculæ rubræ nunc ampliores nunc anguſtiores appa-

tue-

ruerunt: rectum duodeni & jejuni inſtar inflammatum fuerat. Agmina glandularum inteſtinalium non magis quàm aliæ partes inflammatæ erant: uno alteroque foris preſſo manifeſtè prodiit mucus turbidus: glandulæ ſolitariæ cœci manifeſto oſculo patebant: omnes tunicæ nerveæ inſculptas eſſe clarè videre potuimus. Veſicula bilaria, ductus communis & tres hepatici ſoli & ſeorſim aliquousque incedentes, antequam communi insererentur, ſc. major ſiniſter, minor dexter, minimus medius, ſupernè ex cavo hepatis emergens, omnes bile admodum turgebant. Plura quoque vaſa lymphatica diſtentiſſima in cavo hepatis occurrerunt. Hepar erat molle, rubicundum, naturali ſimilimum: Lien lividus, major debito & duriuſculus: Pancreas naturale duplici ductu præditum fuit, quorum quilibet peculiari oſtio, dimidii digiti diſtantia ſc. hiabat in cavum inteſtinorum. Ren dexter ſanus fuit, ſiniſter foris lividus & inæqualis. Veſica erat vacua, contracta, inferiùs, præſertim circa urethræ inſertionem in vaginam, inflammationis indicia oſtendit: Collum veſicæ & uteri laxa erant. Teſticulis ſeu ovariis deſtituebatur, nam caſtrata fuerat, relictâ maximâ parte uteri.

Receptaculum Chyli amplum fuit, continuit Chylum multa Lympha dilutum: eo inflato aer celeriter ad auriculam dextram pervenit. *Cl. D. D. Brunner* præter ordinarium ductum thoracicum invenit vas quoddam inſigne, quod Lymphaticum credidit; hoc in latere ſiniſtro per thoracis carinam, juxta aortam ſupra ramulos intercoſtales aſcendit, & ductum thoracicum conſcendit eo loci, ubi versùs latus ſiniſtrum declinare & ad ſuam inſertionem properare conſuevit; hinc perrexit ad glandulam quandam ſupra gulam poſitam, ubi viſum ſubterfugit: inflato ductu thoracico obſervavit quoque hoc vas inflari atque indito mercurio vivo surſumque truſo vidit mercurium ſub cava à capite deſcendente, facto circulo, propè inſertionem ductui thoracico inſeri ac contenta cum ipſo in ſubclaviam fundere. *D. D. Brunnerus* die

ſeq. cranium roſtro corvino confregit: in ſinu longitudinali nullum ſanguinem grumoſum invenit. Ventriculi ſcatebant lympha: cerebri mole vola manu preſſa ex infundibulo circa glandulam pituitariam abſciſo lympha ſtillabat, minimè verè ex proceſſibus mammillaribus etiam reſectis, quos manifeſtè impervios deprehendit: minimeque in coryza per os cribriforme in narium cavernas mucum exſtillare didicit. Nec in hoc nec in aliis canibus glandulam pinealem hactenus invenit.

III.

Cani nondum ætatis annum ſupergreſſo, mediocris magnitudinis, *Cl. D.D. Joh. Conrad. Brunnerus* d. 1. Nov. 1677. vulnus in dextro Epigaſtrio oblongum, in cavum abdominis penetrans inflixit, duodenum cum pancreate & portione omenti extra vulnus protraxit, filum ſericeum cum acu prope inſertionem ductus pancreatici traduxit, fortiter conſtrinxit ac trans vinculum Pancreatis ductum penitus cum ejus & omenti portione abſcidit; vulnus conſuit; quod citra traumatica coaluit, cane frequenti linctu præcipuam opem præſtante. Canis paucis diebus elapſis edit, cucurrit, ſaniſſimi inſtar ſe habuit, atque ad Januar. d. 2. 1678. ſoſpes & incolumis vixit, nec in illo vel minimum vitium in actionibus naturalibus, vitalibus & animalibus animadverſum fuit, canes majores etiam adoriens victor receſſit; famelicus hero ſuo Lanioni non ſemel fruſta carnis, vitulinæ imprimis, ſurripuit, ut propter tot furta ad mortem damnatus fuerit, quamvis magni ipſum conſtiterit; nam illo debitum centum florenorum à pauperculo ad incitas redacto expungebatur. Cùm vagabundus eſſet, ne experimenti certitudo de ductu pancreatico abſciſo nobis periret, d. 2. Januar. 1678. Diſenhofii in prædio meo, hora 2. pomerid. præſente *Cl. D.D. Heinrico Screta, Cl. D.D. Brunnero & D. Matthæo Scerpſio Durlac. Med. Licent.* pulv. *Coccularum Ind.* ʒs cum juſculo infudimus, vix quadrante horæ elapſo bis *cocculas* copioſiſ-

ſimo

ſſimo muco immixtas evomuit; inceſſit aliquandiu vegetè, poſtea ceu vertiginoſus nutabat, ſemel atque iterum convulſionum proluſiones ſupervenerunt, ſtanti ceu exterrito caput retrahebatur & pedes anteriores attollebantur: verùm ante tertiam pomeridianam omnia convulſionem aut graviora minitantia evanuerunt; hinc inde cucurrit & ſibi fugâ conſulere tentavit. Poſt 3.^m pomer. *coccularum* contuſarum ℈ij cum mica panis in bolum coactas intruſimus: at nec hic bolus illum multùm afflixit: circa quintam Veſpertinam quievit: circa 6. Veſp. bolum cum multo muco & fruſtulum oſſis evomuit. Poſt 7. panis fruſtula & oſſicula objecta avidè devoravit. Circa 9. noctis multum aquæ ingurgitavit: totâ nocte quietus fuit. die 3. Januar. mane vegetus erat, ac ſi nihil adverſi expertus eſſet, cum importunitate cibum ſollicitavit. Circa 8.^m cum pane in bolum redactum nullum ſymptoma obſervatum ad decimam usque, tum latebras quæſivit, fugam meditatus eſt, ſub fornace aut ſcamnis delituit quietus; paulò poſt validè ceu vomiturus eructavit, quamvis nihil egeſſerit. Poſt 10. ex limaturæ *Nucis Vomicæ* ℈j & pane duos bolos confectos intruſimus, primum ſtatim evomuit, alterum retinuit; aliquandiu ſani inſtar hinc inde cucurrit, ſcibalum durum, magnum, ſicciſſimum egeſſit: brevi poſtea ſtans ſubitò exterrebatur, inceſſit cruribus divaricatis & pedibus anterioribus protenſis, omnibus pedibus quaſi rigidis nec ampliùs flexibilibus: quieſcenti ab ingreſſu caput & reliquus truncus retrahebantur iteratis vicibus, ac ſi quis ipſum manu circa cervicem & lumbos prehenſum vi quadam invitum retrorſum ageret. Vix horæ quadrante præterito januæ limiti inſiſtens, cum impetu quodam à paroxyſmo Epileptico vehementiſſimo retrorſum, ultra duos pedes à ſua ſtatione, projectus fuit, in quo artus & caput nunc ſuccutiebantur, nunc retracto capite extenſi & rigidi manſerunt, cum omnium ſenſuum abolitione. Paraxysmo graviſſimo ſuperato aliquandiu, ceu à longo curſu feſſus jacuit, & anhelosè reſpiravit: mox tamen ſurrexit

& aliquot paſſibus cucurrit. Brevi ſecundus paroxyſmus ſucceſſit priori vehementior & diuturnior, quo exant lato rurſus pedibus inſtitit & aliquo usq; progreſſus eſt: verùm brevioribus intervallis tertius & quartus paroxyſmus gravius ipſum afflixerunt, nam præter abolitionē ſenſuum manifeſtè reſpiratio intercipiebatur; pulſationem cordis inæqualem, ſc. nūc debilem, nunc fortē, aliquando per plura momenta intermittentem, maximè in quarto paroxyſmo deprehendimus: paroxyſmis ceſſantibus, ceu mortuus jacuit & artus ac caput motibus convulſivis, ſenſibus integris, continuè ſuccutiebatur, anhelosè imprimis finitis paroxyſmis reſpiravit. Ante 11. antemerid. 5. paroxyſmo correptus fuit, nec prioribus motibus convulſivis ferociore, nec diuturniore, at pulſus cordis inæqualior erat, ſæpeque intermiſit aliquandiu rediitq; , tandem prorſus ſubſtitit artubus & trunco flaccidis & prorſus flexibilibus atq; ita vivere deſiit. Statim aperuimus pectus; pulmones quaſi miniati erant, rubicundiores tamen in dextro quàm in ſiniſtro latere, in quorum extremis ramuli ſanguiferi turgidi admodū fuerunt; manibus cavo pectore immiſſis mirè omnia fervere experti ſumus. Diſciſo pericardio cor ampliſſimum in conſpectum venit. Ventriculus dexter ejusque auricula, venæ pulmonicæ, cava aſcendens & deſcendens, azygos omnesque intercoſtales ſummopere à ſanguine diſtendebantur; minùs auricula ſiniſtra. Inciſo dextro ventriculo ſanguis largiter emanavit isque fluidiſſimus; nullus grumulus vel in ventriculis, vel in auriculis, vel in venis etiam minoribus repertus fuit: Vaſe autem terreo vitreato exceptus mox in grumum coaluit, ac aliquandiu repoſitus tertia pars in ſerum ſolvebatur: quod prunis ſuppoſitis, in gelatinam, inſtar ſeri humani, concrevit. Imum ventrem *D. D. Brunnerus*, cautiſſimè aperuit, vulneri perfectiſſimè cōſolidato intus in epigaſtrio dextro omenti portio & duodenum, mediantibus fibris oblongis, ut & peritonæo vicino, accreverunt; lobus dexter hepatis convexi intermediis fibris oblongis diaphra-

gmati

gmati p. n. annexus fuerat. Ventriculus amplus fuit,in ſuperficie à rugis & monticulis veluti aſperiuſculus,ob venas ſanguine turgidiſſimas aliquomodo variegatus; antrum pylori album; pylorus & ſtomachus ſatis arctè conſtringebantur. Omentum ſanum fuit: Lien foris quaſi granulatus,inſtar glandulæ conglomeratæ: Duodenum amplum & plura ex tenuibus flatibus turgebant: rectum & cœcum etiam debito ampliora apparebant: pleraque inteſtinorum hinc inde conſtricta flatus detinebant, non tamen adeò pertinaciter : in ſulcis ubi conſtringebantur, circuli rubri videbantur. Venæ meſentericæ aliarum venarum more à ſanguine valdè diſtendebantur.

Pancreatis pars ſuperior & major ſatis florida & molliuſcula, naturali tamen gracilior & durior erat; inferior gracilior, pallidior, lacera & veluti exſucca fuit: ut de experimento planè certus eſſet *D. D. Brunner* duodenum & jejuni portionem cum pancreate & ductu hepatico exemit : oſculum pancreatis duabus unciis infra bilarium intus prominulum durum & hians fuit, non tamen pervium eſſe inflatione aut ſtylo gracilimo deprehendere potuit: foris ubi ductus pancreaticus inſerebatur atque abſciſus fuit, filum ſericeum adhuc conſtrictum reperit, cui arenulæ albæ accreverant : ductuum abſciſorum extrema ab illo fore ad unciam abſcedebant,& quaſi retrocedebant: ductus inflati in extremo, ubi detruncati fuerunt, ne minimum flatum transmittebant, adeò perfectè coaluerunt, quamvis neuter ante vel poſt detruncationem ibi filo conſtrictus fuiſſet : ductum etiam ☿ vivo implevit, quem etiam pertinaciſſimè retinuit; quamvis vi quadam versùs extremum adigeretur : adeò ut nec *D. D. Brunnerus*, nec nos ſpectatores dubitare potuerimus, nec vel minimam guttulam ſucci pancreatici poſt abſciſionem in cavum inteſtinorum ſtillaſſe : inferior ductus vacuus fuit : ſuperior multum ſucci adhuc continuit , ſaporis non acidi ſed ſubſalſi , qualis ſero ſanguinis ineſt.

Veſica urinâ turgidiſſima fuit, nam intra triginta horas canem minxiſſe, nunquam obſervatum fuit. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum inciſo, circa ſtomachum circumquaque ad palmi ferè diſtantiam occurrit protinus mucus pellucidus, aliquantulum ſpumoſus, cui bolus ex *nuce Vomicâ* & pane confectus involvebatur: hinc usque ad pylorum invenimus mucum craſſiſſimum, viſcidiſſimum, valdè puniceum, turbidum & obſcurè albicantem. Deterſo muco circa ſtomachum aliquousque, ut & ſupernè usque ad antrũ pylori interna ſuperficies non parum rubebat, minùs fundus & latera: antrum pylori planè album manſit. In duodeno & jejuno ultra ſex ſpithamas reperimus mucum propè candore lacteum, viſcidiuſculum, turbidum prorſus muco ventriculi diſſimilem: ne guttula quidem bilis, etiam propè oſtium ductus bilarii, nihilque alieni alius rei huic muco chyloſo hucusque admixtum vidimus. Inde per quatuor ſpithamas mucum magis fluidum invenimus, cum aliquot Lumbricis latis, cucurbitinis & teretibus, quorum plures adhuc vivebant proboſcides firmiſſimè internæ inteſtinorum tunicæ infigentes, à qua etiam hirudinum inſtar pendebant, ſublato inteſtino. A termino hujus portionis ferè ad finem ilei mucum flavum, fluidum, ſatis copioſè, cui arſenici & auripigmenti ſcintillantes portiones immixtæ erant, invenimus: occurrit etiam fruſtulum *nuci vomicæ* limatæ ſimile, ſed dubiè, cùm bolus adhuc in ventriculo integer fuerit. Reliqua portio ilei vacua prorſus fuit: mucus illius paucus & valdè inſpiſſatus erat. Cœcam continebat materiam pultaceam flavam, cui fruſtulum oſſis & pili permixti erant. Simile excrementum in principio recti occurrit, ſed ſpiſſius. In fine recti ſcibala molliora continebantur, quam poſt *nucem vomicam* intruſam excreverat: in his ſcibalis adhuc reliquiæ *coccularum* detinebantur. Omnibus contentis ventriculorum ſublatis glandularum areolas, maximè illarum limites magis prominulos quàm in aliis conſpeximus, imprimis longiſſimæ in fine ilei. In una areola-

reolarum glandulosarũ; ubi *arſenicum & auripigmentum* ſubſtiterunt, punctula duo rubra in medio enituerunt. Ileum, ubi vacuũ, & rectum ſolito quoque rubicundiora videbantur. In cœco & recto glandulas ſolitarias plures invenimus, elucescente clarè oſculo in illarum medio, ceu ab acu inflicto: detractâ tunicâ fibroſâ majorem numerum glandularum ſolitariarum clarè conſpeximus, quæ tunicæ nerveæ manifeſtè inſculptæ erant: ſimiles variolis, quæ ubi fibroſam reſpiciunt convexæ, ubi inteſtina concavæ fuerunt. Sublato cranio vasa ſanguifera, maximè ad ſinum tertium tendentia ipſique ſinus ſanguine turgidiſſimi erant. Neque in ventriculis, neque alibi nullam guttulam ſanguinis extravaſati aut aliûs liquoris invenimus: nihilque tale in cerebro aut cerebello viſum fuit. Glandula pineali & hunc canem caruiſſe conſtitit.

LV.

Ex communicatione *Cl. D. D. Joh. Conradi Brunneri.*

CAni mediocris magnitudinis & ætatis, vegeto 1677. d. 5. Aug. hor. 1. pomerid. *Nucis Vomicæ* ʒs cum mica panis in bolum coactæ intruſit: deglutito bolo alacris aliquandiu manſit & canino more blandiebatur: poſt ſe ad quieſcendum compoſuit. Vix dimidiâ horâ elapſâ ſurgens pedibus tremuit ac inceſſit ceu rigidis nulloque articulo præditis: decubuus convulſiones quasdam & ſubitaneos terrores expertus eſt ac contentiùs exſertâ linguâ reſpiravit; ſurgens mox convulſus in terram proſtratus fuit; denuo ſe erigens, ceu fulmine ictus, verè epilepticus corruit & aliquandiu jacuit: ſub finem paroxysmi citiſſimè reſpiravit exſertâ linguâ, rurſusque non usque adeò viribus exhauſtis ſur-

ſurrexit, nam in paroxyſmo, licèt celeriter, reſpiravit. Hora 2. pomer. Tetano aliquandiu affligebatur rurſusque anheloſus ſurrexit. Circa 3. Epilepticus factus rigidusque jacuit aliquandiu, ac copioſa ſaliva ex ore emanavit. Poſt dimidiam horam anxiè reſpiravit, ac apertâ januâ aufugiturus per ſcalam deſcendens terribiliter convulſus deorſum præcipitatus fuit. Hac vice convulſiones diu ipſum infeſtabant, ſpiritumque intercipiebant, unde quoque vivere deſiit. Calentem adhuc incidit. Ventriculus tumidus & turgidus apparuit. Vaſa lactea plena & ductus thoracicus à chylo niveo candore nitens in conſpectum venit, plurimaque vasa Lymphatica. In ventriculo cum gulâ & portione duodeni exempto continebatur plurimum cibi ſc. caro ſuilla, lardum aliique cibi, quibus pinguedo innatabat: ſublatis contentis gulâ & pylorus albicabant: tota verò ventriculi concameratio atro purpurea, inflammata & gangrænæ proxima apparuit: etiam inteſtini cum ventriculo reſecti portio rutilabat: reliquus inteſtinorum tractus ſuperiùs rubicundus, inferiùs albicans erat: continebant materiam chyloſam, tænias longiſſimas: propè cœcum folium graminis integrum & prout demorſum fuit à cane, illibatum occurrit. Glandularum areolæ plures accuratè in conſpectum venerunt.

Canis iſte, dum in vivis erat, tumorem in regione lumbari geſtavit, qui nunc augebatur, nunc rurſus minuebatur, brevi tamen rurſus incrementa ſumens, ſacculo dorſo impoſito ſimilis videbatur: injuriæ externæ repullulanti tumori anſam dediſſe credebantur. Apertus tumor continuit ſubſtantiam polypoſam ſubcruentam: Ren dexter huic tumori vicinus atrophiâ conſumptus apparuit, in pelvi continuit ſubſtantiam grumoſam coagulatam & oſſiculum quoddam mollius: pelvis propè nuda erat, parenchymate renis ferè omni conſumpto.

V. Ex

V.

Ex Communicatione Ejuſdem *Cl. D. D. Brunneri.*

FEli nondum bimeſtri, 1677. d. 18. Octobr. circa 9. antimeridianam bolum ex *Nucis vomicæ* ſcrupulo dimidio, & panis micâ factum intruſit; non integrum deglutiit, propè tertiam partem rejecit: dimiſſa ſtatim multum ſalivavit, hinc inde per cameram vagabunda vagitus crebros edidit: mox parieti innixa torvè circumſpiciens pedibus titubavit: rurſus currens preſſis greſſibus, inſtar lepuſculi, in pedibus, maximè anterioribus, obrigeſcere cœpit, hinc angulos ad ſe occultandam quæſivit, verùm nullo in loco quieta manere potuit, atque paulò pòſt, ceu fulmine tacta, derepente convulſionibus proſtrata fuit: jacuit aliquandiu convulſa: ſenſim ad ſe laceſſita rediit, ſuſpiriosè reſpirans: ſurrexit ac corpus ad parietem inclinavit capite nutante. Non longæ induciæ concedebantur, nam rediit paroxyſmus Epilepticus vehemens, qui ſtatim poſt nonam antimeridianam vitam ſuſtulit. Aperuit cadaver dum adhuc cordis motum, ſed ſummè inæqualem & intermittentem deprehendit. Ablato ſterno ad cordis apertionem properavit, ut ſanguinis conditionem perſpiceret: erant ille fluxilis, fervidus & fumigans, nullus ei grumulus permiſcebatur: non erat floridus, ſed ſaturatè rubens & ad nigrorem quendam vergens. Aperto abdomine vidit motum inteſtinorum tenuium & craſſorum periſtalticum ſurſum & deorſum, maximè recti, celerrimum, ſimulque quomodo chylus & fæces propellerentur. Ab appulſu aëris frigidioris conſpexit inteſtina validè conſtringi. Ventriculus immotus, flaccidus ſubtumidus erat. Inciſis gula, ventriculo & duodeno, ſublatis contentis, obſervavit harum partium ſuperficiem inter-

nam prorſus albicantem & omnis inflammationis expertem, ſecus ac in cane vidit. Contenta erant bolus muco turbido obvolutus & portio braſſicæ in antro pylori.

Scholia.

I.

N*Ucis Vomicæ* deſcriptionem aut integram hiſtoriam his inſerere nec libet nec vacat. Plenè hæc petantur ex *Cl. Joh. Bauhini Hiſtor. Plantar. Univerſ.* ubi Curioſo ſatisfiet, monſtrabitur quoque hanc nucem malè confundi cum Cocculis, à quâ ſanè multùm differunt.

II.

Nucem Vomicam ratione primarum qualitatum, utcunque calidum nativum brevi ſuffocet, atque animalibus vitam eripiat, non tamen *Cicuta* magis frigidam intelliget, qui has Hiſtorias perpendet, imò nihil torpidi ipſi ineſſe facilè agnoſcet. Si effectus illius ſc. ventriculi inflammationem, aphthas & terribiles motus convulſivos ab illâ excitatos meminerit: quod ampliùs confirmabit æſtus in pectoris & abdominis cavo, tactui poſt animalium obitum occurrens: ſi quis verò hæſitet præter hæc alia experimenta facere poſſet, donec de veritate ſatis conſtet. Interea *Exc. Caſp. Hoffmann. de Medicam. Officin. lib. 2. cap. 162. §. 150.* aſſentior in medendo illâ non utendum eſſe, cùm certa præ manibus ſint, & quæ ſemel mala deprehenſa fuerit, ſemper mala meritò præſumatur. Aliis tamen medicamentis permixta fortè minùs nocua erit, vel ſaltem illius virulentia obtundetur, ne poſſit damno aliquo afficere. Sic memini Empiricam Tabellas cephalicas carè vendidiſſe, quarum ingredientium numerum *Nux vomica* implevit, nemóque inde lædebatur, quamvis

plures,

plures utriusque ſexus, imprimis provectioris ætatis illis manè jejuno ſtomacho veſcerentur. Cùm poſt terrorem pridie conceptum 1635. in autumno hora 7. verſpertinâ peſte corriperer, ſtatim potio bezoartica ab *Exc. D. Joh. Burgovvero p. m.* præſcripta fuit, paulò ante ipſius obitum, exhauſtam protinus evomui, ſubſequente magnâ anxietate & ſummâ virium proſtratione, ut de me actum crederetur: D. Parens meus p. m. de vitâ meâ ſollicitus, Medico periculosè ægrotante, portiunculam El. de Ovo in aceto rutac. ſolutam propinavit: mox obdormivi, totâ nocte ſudavi: Manè ſurrexi vegetus, emergēte ſub axillâ dextrâ babone parvo, qui citra ſuppurationem aut ulteriorem decubitum aut uſum medicamentorum evanuit, pleneque per Dei gratiam convalui.

III.

Nucem Vomicam tum in canibus, tum in fele convulſivorum motuum, Epilepſiæ & mortis authorem & inſtigatorem primarium fuiſſe non negabitur, cùm, antequam illa intruderetur, hæc animalia vegeta & ſana eſſent, nec quicquam aliud in cadaveribus repertum fuerit, cui, præter illa quæ à *nuce Vomicâ* profecta ſunt, culpa imputari poſſet; omnia enim ritè diſpoſita erant & ſiquid. p.n. occurrit, non niſi nucis hujus effectus erat. In Hiſtoriâ 3. quidem *cocculæ* convulſionum proluſiones in cane excitarunt, verùm cùm maximam partem vomitu rejeciſſet, non in nervum eruperunt, & licèt portio in corpore reſtitiſſet, ut ex inteſtini recti contentis videre erat, non tamen ullas turbas commovit, circa veſperam enim appetiit, noctu quietus & ſequenti manè famelicus erat. Nec *auripigmentum & arſenicum* ſymbolum ad convulſiones excitandas contuliſſe credibile eſt, quia ad 10. mat. uſque nullum ſymptoma obſervatum fuit: poſt intruſam verò *nucem Vomicam* demùm ille expertus eſt ſymptomata eo ordine & ratione, qualia cætera animalia paſſa ſunt, quibus nec cocculæ nec arſenicum priùs ingeſtum fuerat.

IV.

Convulſivorum motuum & Epilepſiæ ſubſequentis cauſam primariam ſedem ſuam intra ventriculum habuiſſe, veriſimile omnino eſt, nam in Hiſt. 1. Catello elapſo horæ quadrante jam caput ſuccuti, & in latus trahi cœpit, paulò pòſt ſubſequente Epilepſiâ: In caniculâ ætate provectiore his ſymptomatibus virulentiam exſerere cœpit poſt horam circiter dimidiam Hiſt. 2. Citiùs in Cane Hiſt. 3. tardiùs in cane Hiſt. 4. ſed non ultra dimidiam horam ſymptomata differebantur: citiſſimè verò felem primùm convulſivi motus, mox vehementiſſima epilepſia afflixit: quo temporis intervallo in neutro horum animalium vix quicquam de *nucis Vomicæ* particulis diſſolutis aut quinta eſſentia, à ſtomachi fermento elicita ad maſſam ſanguineam, & hinc ad cerebrum pertigiſſe prorſus credibile eſt: bolus enim in Canicula Hiſt. nondum penitùs diſſolutus in Ventriculo repertus fuit: in Cane Hiſt. 3. bolus muco involutus in ventriculo occurrit: ut & in fele Hiſt. 5. Ileum quidem Canis Hiſt. 2. *nuci Vomicæ* ſimile quidpiam continere videbatur, ut & Canis Hiſt. 3. ſed dubiè: & licèt fortè in his duobus, ut & in catello Hiſt. 1. ex Cane Hiſt. 4. & fele nucis fragmenta ad inteſtina perveniſſent, non tamen concludi poſſet, plus inde ad lacteas emanaſſe, quàm de graminis folio integro & illibato, quod in Cane propè cœcum Hiſt. 4. repertum fuit, nam *nux Vomica* ſubſtantiâ prædita eſt tenaciſſimâ & compactiſſimâ, unde in pulverem contundi nequit, aut non niſi longo & multo labore, ſed ſi pulvis ejus expetatur limanda eſt; ut taceam mucum, quo boli in duobus canibus & fele involvebantur, obſtitiſſe extractioni eſſentiæ denſiſſimi corporis, ad quam Chymici aliàs requirunt menſtruum, ut vocant, tenuiſſimarum partium, non quòd lambat ſolum exteriorem corticem, ſed intima penetret. Nec inflammatio inteſtinorum in cane Hiſt. 2. & Hiſt. 4. argumento eſt, Eſſentiam *nucis*

Vomicæ

Vomicæ huc perveniſſe, cùm aliunde & imprimis à violentiâ motuum convulſivorum effici potueris, quod eo magis credibile eſt, quia in cane Hiſt. 3. & in Ventriculo felis, in quo bolus ex *nuce Vomicâ* perſtitit, nulla inflammatio excitata fuit. Nec huic ſententiæ adverſatur lympha in ventriculis cerebri ſtagnans in catellâ Hiſt. 2. cùm ſæpe his in locis lympha extravaſata reperiatur in cadaveribus illorum, qui nihil horum paſſ ſunt, & in cane Epilepſiâ terribili interempto ne guttula vel lymphæ vel ſanguinis extravaſati occurrerit. Fortè ſi poſt unum & alterum paroxyſmum canibus iſtis lac, vel aqua tepida cum oleo infuſa fuiſſent, antequam vires proſtratæ fuiſſent nimium, prolectò vomitu & eliminatâ *nuce vomicâ* evaſiſſent, atque ita clariùs conſtitiſſet, harum convulſionum primum authorem in ventriculo latere, quod experimentum aliis, qui dubitant, faciendum relinquo: non ignarus horum venenorum vegetabilium vim etiam ab aquâ valdè obtundi. Cùm itaque *Nux vomica* convulſivorum motuum & Epilepſiæ cauſa fuerit, & quidem ventriculi pomœria non egreſſa, diſpiciendum quomodo hos tumultus excitarit? Exploſio hic nullum locum habebit, cùm nec ejus ſubſtantiæ in minutiſſimas particulas comminuta, nec quinta quædam eſſentia elicita ſanguini permixta, aut per dubios nervorum canaliculos ad cerebrum pervenerint. Potiùs irritando hos motus effeciſſe ſtatuendum videtur. Hac vi nucem iſtam præditam fuiſſe, plurima ſatis apertè teſtantur, tum in viventibus adhuc animalibus, tum in cadaveribus conſpicua. Catellus in Hiſt. 1. ſtatim vagiit, vomuit; diſciſo abdomine orificium utrumque ventriculi arctiſſimè conſtrictum viſum, diſtento ventriculo ſupra modum. In caniculâ Hiſt. 2. præter illa, quæ poſt intruſum bolum obſervabantur in vivâ, jam emortuo corde, adhuc irritaminis effectus conſpiciebantur in toto ventriculo nunc hîc nunc illic ſe conſtringente, compatientibus etiam ipſis inteſtinis: muco ventriculus plenus erat, quem procul dubio prolicuit *Nu-*

cis vomicæ acrimonia ; aderant inflammationis indicia tum in hoc, tum in cane Hiſt. 3. imprimis Hiſt. 4. Abfuit quidem in fele inflammatio, quia poſt ingeſtùm nucem non diu ſupervixit, at quoque ventriculus muco ſcatebat, quem nemo frigoris productum credet, qui norit ab errhinis etiam calidiſſimis mucum alibi ſimilemque ob ſal clyſteribus impenſius comixtum ex inteſtino potiſſimum recto prolici. Alia prætereo, utpote manifeſta hiſtorias perpenſuro. In inteſtinis mucus quoque apparuit, ſed diverſus, nec ventriculi muco ſimilis, atque imprimis obſervatu dignum videtur, quòd in cane Hiſt. 3. ne guttula quidem chyloſo muco debile etiam propè ejus oſtium permixta fuerit, quod me non parum perſuaſit *nucem Vomicam* pylori limites nunquam egreſſam fuiſſe, nec veſiculam bilariam toto conflictus tempore bilem ſtillaſſe. Non tamen nuda & levis irritatio ſuffeciſſet ad Præſidem ſyſtematis nervoſi permovendum, niſi vehemens atque iterata fuiſſet, quam potiſſimùm ab orificiorum validiſſimâ conſtrictione auctam arbitror : cùm enim orificia hæc arctiſſimè clauderentur, ut ex hiſtoriis patet, non ſolùm acerbiſſimi dolores excitati fuerunt, ſed inſuper inteſtinus hoſtis intra ſinum ventriculi detentus calamitatem duplicavit. Non rarò obſervatur, in affectu hiſtorico credito fœminas, antequam vel animo linquantur, vel etiam convellantur, conqueri de ſæviſſimâ conſtrictione circa cartilaginem enſiformem, atque aliquid ibi tantùm non cor abrupturum, Es wolle jhnen etwas das Hertz abtrucken : ipſæmet dolorem compreſſivum & conſtructivum vocant. Si conſtrictis fibris circularibus antri pylori & medii ventriculi ceſſiſſent circulares ſtomachi, ac contentis ventriculi atque imprimis *nuci vomicæ* ibidem commoranti, Præſes Syſtematis non ad hanc indignationem commotus fuiſſet, nec primùm particulares convulſiones & poſtea Epilepſiam imperaſſet, prout canis in Hiſt. 3. expertus eſt, nam vomitu *cocculis* maximam partem rejectis, quamvis Epilepſiæ prodromi & quidàm motus

motus convulſivi adeſſent, nihilominus brevi poſt vomitum alacrior reddebatur, atque tandem omne periculum evaſiſſet, niſi poſtero die *nux vomica*, vehementioris conſtrictionis utriuſque orificij anſa, Præſidem prorſus furioſum feciſſet. Præſes ſubinde tumultuare deſiit, & quaſi per paroxyſmos Epilepſiam concitavit, quia ſpirituum, quorum ope indiget, magna copia ob motuum violentiam diſſipata fuit: in plerisque tamen furere non deſiit, donec vivere deſierunt; imò in catello Hiſt. 1. exſecto ventriculo, ceu abreptitius, ſæviit, niſi fortè nova vulnera & partium nervoſarum læſiones etiam ad has injurias excutiendas ipſum ſtimularint, ac ad ultimas ſuppetias ferendas poſtularint.

V.

Neque Canes, neque felem mortuam certum eſt grumefacto ſanguine, cum in nullo, dum adhuc calebat, vel minimus grumulus aut granulum & in ventriculis cordis atque auriculis & in Venis, etiam minoribus, reperiri potuerit. Aliter ſanguinis craſin depravatum, aut ſpiritibus orbam fuiſſe, nulli ſenſuum patuit: vitium à venenis illatum maſſæ ſanguineæ inexplicabile quidam ajunt: quod eò lubentiùs credo, quia fortè nullum eſt, utcunque Venenum ſui valdè multiplicativum gratis affirmetur. Illis qui occultæ ſanguinis corruptelæ inhærebunt, *Illuſtr. Jacob. Aug. Thuani Hiſtor. Libr. 27. p.m. 22.* conſiderandum propono ſeu ænigma, ſeu æquum poſtulatum: Ita n. ille; *A fide dignis mihi narratum fuit apud Convallenſes ſeu Valdenſes in uſu eſſe, ut gladiorum acies, ſpicula, venabula, ſagittas, glandes plumbeas & cætera miſſilia, Toræ vulgò dictæ, ſeu potiùs Phthoræ ſucco, quæ in illis locis frequens naſcitur & vulgari toxici nomine appellatur, inficiant, quod præſentiſſimum venenum eſſe ſciunt Medici. Ejus & longè alium in re diſpari uſum inter Alpinos, quem minimè reticendum putavi, mirabitur Lector: Gallinas & pullos & hujusmodi volucres, quarum*

quarum Carnes edules in diverſoriis apponuntur, cultris eo ſucco illitis ſub alis figunt, quo ictu mox emiſſo ſanguine exanimantur, nullo vitio inde contracto, tantùm carnes inde teneriores redduntur & ſtatim hoſpitibus comedendæ apponuntur : quod rerum Naturalium Veſtigatoribus ampliùs diſcutiendum relinquo. In prægreſſis memorat, nullos ex Sabaudis, qui à Valdenſibus ſauciati fuerant, evaſiſſe. Addo his quæ *Nob. Franc. Redi Obſ. de Viper. p. 32.* refert: *Scito quòd diverſæ perſonæ coxerint & comederint hilariter omnes bonos illos pullos gallinaceos & columbinos & omnia reliqua animalia, quæ viperæ momorderant, quicquid dicat Matthiolus, non poſſe id fieri, ſine manifeſto veneni periculo.* Huc quoque pertinent quæ *Nob. Redi* ex *Gal. l. 3. de Temperam. Authore de Theriac. ad Piſon. Celſo*, *Lucano* refert, nimirum feras ſagittis venenis infectis interemptas innoxiè comedi poſſe, qui in l. c. videantur. Quomodo venena extrinſecus illata ictu aut vulnere, brevi motum cordis ſiſtant, atque ita vitam eripiant, non multis diſceptabo, cùm hac in re nunquam periculum fecerint, & quæ in demorſis à Lupis rabidis ante aliquot annos obſervavi, huc non pertineant. Ipſe *D. Redi l. c. p. 67.* fatetur, ſe nihil certi hactenus inveniſſe, quòd pleniſſimè ſibi ſatisfaceret, quamvis in frequentiſſimis experimentis diu occupatus fuerit: attamen hoc auſim aſſerere, quòd ſi congelatio, ſeu grumefactio ſanguinis mortis cauſa his fuiſſet, id ipſum latére non potuiſſet, ſi ſolummodo calentium adhuc animalium pectora aperuiſſet, ac corda ſauciaſſet; eademq; operâ cognoviſſet brevi poſt ictum illatâ nece, ſanguinem non uſque adeò corruptum fuiſſe, cùm paucorùm momentorum intervallo depravari nequeat, ut prorſus ad flammulam vitalem fovendam ineptus ſit, quin vitium in ſenſus incurrat ſive ſpiritus diſſipati, ſive tota compages in ſua elementa ſoluta fuerit. Spiritus narcoſi quadam ſopiri & conſequenter cordis ſenſum obtundi, non poſſum credere, cùm poſt ictus animalium venenatorum intenſiſſimi dolores oboriantur, quod ne-

mo

mo non ab apibus aut veſpis punctus fatebitur & forte animalia à viperis morſa dolorum indicia prodita docebunt. Cor à ſanguinis copia obrui, lubenter concedo, at nullo ipſius inſigni vitio; id fieri poteſt quoque ſi priùs fibræ illius multis & frequentibus convulſivis motibus delaſſatæ & enervatæ fuerint, aut ob impeditum ſanguinis motum per pulmones ob conſtrictionem fibrillarum nervearum tonum ſuum amiſerint, ut ſanguinem in auriculis & ventriculis, ſtagnantem ulterius propellere nequierit: unde procul-dubio non ſecus ac in omnibus ſuffocatis adhuc vidi, cor ſanguine turgidiſſimum cum vena cava aſcendente aliisque majoribus, inveniſſet. Certe ſi tantillum veneni ictu viperæ aut ſcorpionis ſanguini permixtum, aut amplo vulnere venabulo aut glande plumbea communicatum, eique contuſum totam maſſam, aut maximam ejus partem contaminaret, ut ad vitam fovendam ineptus redderetur, nemo impune illis animalibus veſceretur, ac merito *Matthiolo*, quod citra experientiam, ſola ratione nixus ſtatuit, aſſentiendum foret, cum in brevi illo ſpatio quod animali poſt vulnus acceptum vitæ ſuper eſt, nihilominus ſanguis circuletur, quaquaverſum diſpergatur ac carnium intimos receſſus ſubeat, illisque poſt mortem tenaciſſime in hæreat, ut nulla undâ elui poſſit. At forte objicitur aliam venenatorum rationem eſſe, quæ foris inferuntur, aliam quæ intra corpus admittuntur, quorum illa carnes experientia teſte non prorſus eſui ineptos aut noxios reddant. Verum & his ipſis experientiam opponere licebit, utcunque *cocculis* aut *nuce vomica* interemptorum animalium carnes nullis animalibus devorandas hactenus objecerim, at in vulgus notum eſt, quoſdam bolos ex his in piſcinas projicere, ac piſces illis veſcentes enecatos ſine valetudinis damno, at non impune, ſi domini piſcinarum facinoris conſcii fiant, comedere. Cæterum ut ad canes & felem *nuce Vomica* exanimatos redeam, cor à motu ceſſaſſe non ob ſanguinis aliquod vitium propter quod propelli nequierit, ex

Ee ſe

ſectione ſtatim poſtquam exſpirarunt manifeſtum eſt, nam fluidiſſimus adhuc fuit, caluit colore & conſiſtentiæ ſanorum ſimilimus, ſed ob ejus fibras debilitatas, & ita enervatas ut illum propellere nequierit, idque potiſſimum evenit ob ipſius cordis convulſiones, cum reliquo muſculoſo genere frequentiſſimas & vehementiſſimas; amplius labefactatum fuit, quia quoque ſanguinis motus per pulmones reſpiratione intercepta in paroxysmis impeditus fuit, unde cordis fibræ ob longiorem extenſionem tonum ſuum amiſerunt. Citius quoque cor in motu ſuo ſuccubuit, quia in paroxyſmis minus ordinatè ſanguis ad cerebrum propulſum, & multum ſpirituum animalium diſſipatum, adeoque minus poſtea cor inſtauratum fuit, unde repetitis paroxysmis magis magisque elanguit, donec non amplius ad ſanguinem arctiore complexu propellendum validum ſatis fuit.

VI.

Fibrarum ventriculi & inteſtinorum motum ſuperſtitem aliquandiu manere emortuo corde ac cerebro & cerebello nullos ſpiritus animales ſuggerente ex Hiſt. 2. in cane videre quoque licet: ex quo patet, quamvis hæ partes aliquandiu influxu ſanguinis & ſpirituum animalium priventur, non protinus emori.

VII.

Pancreatis ſuccum ad chylificationem & ſanguificationem, ut & flammulæ cordis accenſionem tantopere non neceſſarium eſſe, quin illo animal carere poſſit, ex Hiſt. 3. manifeſtum evadit. Interea abſit ut pancreas fruſtrà à Natura ſapientiſſima fabrefactum credam: confert ſuam operam ad chyli perfectionem & diſtributionem aliâs egregiè, licet citra pugnam aut fermentationem ſpeciosè potiùs confictam, quàm unquam probatam. In hoc cane poſt ductus diſciſſionem vicariam operam præſtiterunt

procul

procul dubio glandulæ inteſtinales ſimilem humorem ſtillantes: nam nullum in actionibus mendum obſervatum fuit.

VIII.

Vermes hirudinum inſtar proboſcide ſe internæ inteſtinorum tunicæ infigentes ac tæniarum more ab illis pendentes, monſtrarunt in Hiſt. 3. rationem & modum, quo inteſtina, umbilicum & inguina perforent, hisque in locis exitum, quorum omnium exempla etiam mihi in praxi obvenerunt, quærant apertum fit.

CAPUT XIV.

De Helleboro Albo. Hiſtoria I.

Catello trium circiter ſeptimanarum d. 14. Jul. 1676. circa 2. pomerid. cum *Cl. D. D. Heinrico Screta à Zavorziz, Hellebori albi* ſcrupulum lacti immixtum infudi, vix per momentum admiſſum maximam partem evomuit & paulòpòſt flavum per alvum egeſſit: mox rurſus aliquoties vomuit ſimulque convulſivis motibus variè jactatus fuit. Vix quadrante horæ elapſo mortui inſtar in latus decubuit ac linguâ exſertâ mortuo ſimilis jacuit, movente ſe ſolùm adhuc diaphragmate: peractâ horâ cum dimidia ſemimortui abdomen incidi, unde inter ſecandum pedes movere & vagire cœpit: aperto abdomine, ventriculum flaccidum & rugoſum invenimus: illo exempto cor & diaphragma ſatis validè, ſed per longiora intervalla, ſe moverunt. In inſpiratione diaphragmatis motus à cruribus incepit, ibique in tumorem abdomen ſpectantem attollebatur, ſupernam planitiem expandebantur, eamque tenſam, ita tamen ut in ambitu viderentur ſulci inter fibras carnoſas, craſſas & veluti

tumidas: in exſpiratione laxius, æquale & omnibus rugis deſtitutum evadebat. Tum aliquoties linguam adhuc exſeruit, ſanguis ex venis & arteriis effluens rutilus, fluidus minimeque grumoſus erat. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum ſupernè diſciſo invenimus pulverem Hellebori lacti grumoſo & muco viſcido immerſum: contentis ejus ſublatis circa ſtomachum intus ventriculus rubebat & aliquomodo inflammatus erat. Jam diu emortuo animale ſanguis in ventriculis cordis partim fluidus, partim grumoſus & obſcurior erat.

Scholion.

HEllëborus albus quamquam nunquam ventriculi terminos egreſſus eſſet, brevi poſt infuſionem Præſidem ſyſtematis nervoſi ad convulſiones proritavit, acrimoniâ ſuâ nemini non notâ & ex inflammatione ſtomachi conſpicua, nerveam tunicam ventriculi vellicando ſævius quàm ferendo par eſſet, tenella catelli ſtrues partis in qua ille detinebatur, quamvis magna pars vomitu rejecta fuiſſet. Si ventriculi villi cum ætate adultiore robuſtiores evadere potuiſſent, forſan, ut alii canes *cicutam aquatic. cocculas* aliaque hujus generis eliminaſſet ac convulſionum & mortis ſævitiem effugere potuiſſet. Sanguis tardius apertis cordis ventriculis & jam frigefacto catello, obſcurior & aliquomodo grumoſus repertus fuit, qui alias ex ſemi mortui vaſis ſauciis rutilus & fluidus proſiliit: ut & ſic ſanguinis grumefactio mortis cauſa denuntiari nequeat.

Cap. XV.

CAPUT XV. *de Gialappa.*

Hiſtoria I.

CAtello propè menſtruo d. 23. Dec. 1675. cum *Nob. D.D. Heinrico Screta* Magiſterii *Gialappæ* ſcrupulum dimidium ſachari drachmis duabus permixtum ori indidi, quem ſenſim abliguriit. Paulò pòſt capite ſemper ad latus nutavit atque incedens inſtar temulenti vacillavit: ultra dimidiam horam nec alvum movit, nec vomitum ciebat: at infuſo lacte frigido ter atro flaveſcentia & viſcida per alvum excrevit; nunquam vomuit. Tormina vagitu prodidit crebro. Inciſo pectore in latere ſiniſtro inter inſpirandum aliquoties pulmonum lobus turgidus proſiliit. Diſſecto abdomine in hypochondrio ſiniſtro ventriculus diſtentiſſimus prorupit. Denudatis omnibus imi ventris viſceribus vidimus ventriculum ſe circa medium aliquoties contrahere ac coarctare; mox tamen rurſus expandebatur ac ſulci contractione factâ explanabantur: dum inteſtinis ad latus remotis inſignem lacteum canalem prope renem ſuccenturiatum intueor, multum muci ſpumei cum grumis evomuit, quamvis diaphragma ad gulam usque diviſum & ſolummodo in dextro latere integrum eſſet, patuitque vomitum à ventriculo citra diaphragmatis opem peragi poſſe: tum quoque corpus aliquod intra gulam ſurſum deorſumque moveri vidimus: aliâs gula amplior & plenior ſolito erat nec ventriculus circa orificium ſiniſtrum conſtringebatur. A lobo hepatis imo, ſub veſicula bilaria, ductus hepaticus peculiaris verſus ductum cholidochum means, ei propè inſertionem in inteſtinum jungebatur. Sterno maximam partem ablato & diſciſo, diaphragmate nihilominus in inſpiratione coſtas attollebat & largiſſi-

mo oris hiatu aërem quaſi captavit: tunc ſibi relictus in ventrem ſe volutans pedibusque inſiſtens fugere non ſemel annitebatur. Glandularum inteſtinalium regionem & minutiſſima vaſa capillaria ad illam pertinentia, foris pulchrè vidimus in jejuno & ileo ac fibras rectas hanc regionem operientem. Ventriculo à fine gulæ ad duodenum ſecundùm longitudinem ſupernè inciſo, cavitatem muco viſcidiſſimo ſpumeo & fruſtulis lacteis coagulatis plenam invenimus: nullum vel ſachari vel magiſterij *Gialappæ* veſtigium apparuit: deterſo muco inflammatum in fundo ventriculum vidimus. Duodenum, jejunum & præcipua pars ilei vacua & prorſus munda erant, adeò ut nec bilis nec mucus in illis conſpiceretur: in reliqua portione ilei reperimus vermes teretes admodum longos, mucum flavum pellucidum condenſatum; propè valvulam ſpumeum: in cœco parum muci condenſati continebatur: rectum mundiſſimum, attamen valdè rubicundum velutique inflammatum fuerat.

II.

Cani ſemeſtri Doctiſſimus Dominus *Melchior Hurter* d. 22. Mart. 1677. Magiſt. *Gialapp.* ℈j. dedit: ab aſſumpto nunquam vomuit, ſubinde ſingultiit, nec pòſt tertiam horam ab ingeſto magiſterio alvus ſolvebatur. Vivo abdomen aperuit: foris in ventriculo ſub ſtomacho ſiniſtrorſum macula rubra videbatur: ab uno orificio ad alterum ſupernè diſciſſo ventriculo, tota cavitas infarcta reperta fuit pane, rapis, radice petroſelini, oſſiculis ferme integris, omnibus aqua dilutis: de magiſterio *Gialappæ* ne gry quidem occurrit: pylorus arctiſſimè conſtringebatur, ut nec gracilior quidem ſtylus transmitti poſſet: Omnibus contentis ſublatis, ſuperior pars ventriculi inter ſtomachum & antrum pylori inſigniter rubuit; in fundo anfractus paulo rubicundiores erant: ſub ſtomacho, ubi foris macula rubra apparuit, intus portio illa alba ut & totum pylori antrum manſerunt:

intra anfractus hinc inde oſcula vidimus ex quibus aliquid mucoſi transſudavit. Inteſtina propè quatuor ulnas longa, à pyloro ultra ulnam mucum album, turbidum, ne minima quidem flavedine tinctum continebant: inde ultra ulnam ingens copia vermium cucurbitinorum cum magiſterij *Gialappæ* portiunculis occurrit; Vermes iſti ex particulis ſemini cucurbitæ figura & colore ſimilibus, intermedio quodam filo connexis compoſiti apparebant; quidam propè dimidiam ulnam longi erant; quidam quoque ſe movebant adhuc: illorum extremum latum fuit, caput verò in filum tenuiſſimum duarum vel trium unciarum longum attenuabatur, quod inteſtinorum tunicæ internæ infigebant, atque à proboſcide, hirudinum inſtar cuti affixarum, pendebant, ac ſi hoc vermium genus non chylo aliisve inteſtinorum contentis victitaret, ſed liquorem ex tunicis proboſcide exſugeret: Inde ad finem ilei continebatur liquor flavus, pellucidus, viſcidus, cum portionibus magiſterii *Gialappæ* & ſordibus gryſeis, quamvis ultra duas ulnas nec guttulam quidem bilis obſervaverimus: nullus quoque hic vermis comparuit. A valvula ad extremum recti & in cœco excrementa liquida gryſea, humore aqueo diluta detinebantur. Contentis remotis inteſtina à pyloro ultra ulnam rubebant, etiam ibi ubi vermes detinebantur, ſed minus, minimè in reliquis portionibus usque ad podicem. Areolæ glandularum manifeſtæ altiores erant reliquâ inteſtinorum tunicâ; oſcula verò glandularum quaſi obliterata & à copioſo muco oppleta videbantur, nihilominus, inteſtinis foris preſſis, mucus quidam inſtar minutarum guttularum prodivit: quædam areolæ intenſæ rubebant. Inteſtinorum quædam portiones ante diſſectionem conſtrictæ, partibus intermediis inflatis, conſpectæ, unde procul dubio tormina paſſus eſt. Chyli receptaculum inflavimus, unde cor emortuum reviviſcere cœpit, diuque movebatur: inflatis pulmonum bronchiis, ligata aortâ & auriculâ dextrâ, vidimus aërem ad ventriculum ſiniſtrum penetrare.

Scho-

Scholium.

Gialappam notiſſimam radicem purgantem & uſu apud vulgus quoque frequentem his inſero. Forte præter irritandi vim quàm purgando ventrem & nares exſerit, nemo facilè crediſſet illam inflammatoriam eſſe, prout in canibus iſtis oculis uſurpare licuit in ventriculo & inteſtinis; quæ ſpiritui Vini in Magiſterio non adſcribenda, cum diligenter à pharmacopœis noſtris eluatur: Si vero vis hæc cuipiam dubia videtur facili experimento veritatem indagare poterit, pulvere nudæ gialappæ cum pane in bolum redacto & cani intruſo. Catello convulſiones intentavit, quarum in aliis capitis inclinationes à nuce vomica, cocculis, &c. prodromi erant, ut & conſtrictiones inteſtinorum, partibus inter mediis flatu turgidis, torminum authores. Fortè in nervum erupiſſent, niſi in utroque cane mature ex ventriculo magiſterium hoc eliminatum, & in catello lacte frigido ingeſto, & in cane copioſo alimento, quo ventriculus infarctus erat, obtuſum fuiſſet: non enim deſunt exempla illorum, qui poſt hyper catharſin ſæviſſima tormina paſſi, convulſiones funeſtas incurrerunt. *Gialappam* lumbricos latos præ multis expellere primum caſu, poſtea pluribus experimentis didici, quod etiam *Cl. Dravvizius in Lib. Germ. de Scorbuto dolorif.* monet: à cane quidem nulli excreti fuerunt & plures adhuc vita, ut ex motu conſtat, fruebantur; at procul dubio repetitis uſibus ceſſiſſent. Dejectiones atro flaveſcentes à catello factæ poſt epotum lac frigidum indigitant irritatis alicubi inteſtinis vel inteſtinum rectum obvia quæque expellere, vel biliosa celerrimè inteſtina ſuperiora percurrere ac flavedinem humoribus vel tunicis impreſſam citiſſime elui, nam ab inſertione ductus bilarii aliquo uſque inteſtina vacua, nullaque bile tincta apparuerunt.

CAPUT XVI.

De Corona Imperiali.

Ex communicatione *Exc. D. D. Eliæ Rudolphi Camerarij P. P. & Archiatri Sereniſſimorum Principum VVirtembergicorum, Collegæ gratiſſimi.*

AUtumno 1678. elapſo bulbum *Coronæ Imperialis* drachmarum ſex circiter pondere, *Cl. Joh. Rhodij*, obſervatione inductus, cani non magno intrudi curavi. Horâ elapsâ laſſus videbatur & moroſus, poſt vomebat, ſed non bulbi particulas, verùm mucum flavum viſcidum: ſubſequebatur tremor membrorum & hunc convulſivi motus; mox his præſentibus vivum adhuc aperui canem: in ventriculo contracto & conſtricto reperiens bulbi particulas non planè integras, ſed emollitas & in mucilaginem ferè redactas, quibus exemptis ipſas ventriculi tunicas ſingulas rubentes, imò liventes magis; inteſtina penitus vacua, ſed levi inflammatione & leviori excoriatione infecta; Hepar cum Liene & Pancreate à naturali ac vivido colore verſus livorem declinans; bilem juſto viſcidiorem, chylum in ciſterna ipſi dicata paucum eumque flavum ac viſcidum conſpexi. Relinquens canem avocatus per negotium urgentiſſimum, altero die, cum luſtrare ulterius vellem cadaver, non ventriculus ſolùm, verùm & inteſtina cum viſceribus, tàm infimi quàm medij & ſupremi ventris livida putrilaginoſa & corrupta penitus erant.

Scholium.

Coronæ Imperialis bulbum *cicutæ* virulentiæ non multum imparem ſi non ſuperiorem, præter fœtorem teterrimum, acrimoniam & effectus in famulo præſtitos, de quibus ſupra p.33. abunde hæc hiſtoria evincit & procul dubio, non ſecus ac *Nux vomica* ingeſta ſæviſſimis convulſionibus enecaſſet, niſi ad ſectionem properatum fuiſſet. Suſpicor tamen particulas bulbi comminutas vel liquorem beneficio ſtomachi elicitum ſanguini permixtum fuiſſe, quia bulbus emollitus & in mucilaginem ferè redactus in ventriculo & chylus in receptaculo paucus, flavus & viſcidus repertus fuit, unde ſtatim viſcera imi ventris lividiora debito, & altero die prorſus putrilaginoſa & corrupta evaſerunt.

CAPUT XVII.

De Solano Vulgari.

Ex communicatione *Ejusdem Exc. D. D. Camerarij*.

ANno 1664. Menſ. Septemb. ſub veſperam advolat quidam Ruſticus equo, à pago tribus horis *Tubinga* diſtante, obnixè & concitato anhelitu rogitans ut conſilium ſuppeditarem, quomodo ex orci faucibus liberare & rationi priſtinæ reſtituere tres ſuos liberos poſſet. Sciſcitanti mihi ſymptomatum ſpeciem & alia Medico conſulturo neceſſaria recenſet: Tres ſuos liberos, unum ſex, alterum quatuor, tertium trium annorum à campo redeuntes die præcedente baccas quaſdam juni-

juniperi ſimiles ſecum apportaſſe, ſaporem earum laudantes; *Minimum* natu pòſt cœnam de capitis dolore; *Medium* circa mediam noctem, de eodem; *Majorem* hora pòſt mediam noctem ſecunda de cordis dolore (ita enim apud nos non ruſtici ſolum, ſed & qui magis illis ſapere ſibi videntur ventriculi dolores deſcribunt) conqueri cœpiſſe, ab exhibito ol. oliv. majorem vomuiſſe, reliquos non: nunc verò omnes tres pòſt prægreſſum torvum aſpectum, jactitationemque membrorum, furibundos quaſi delirare, alta petere, vociferari, miras diſtorſionum pati figuras, per intervalla verò inſtar mortuorum proſtratos jacere: præter illum vomitum, hactenus nullum illorum quicquam neque per ſuperius neque per inferius guttur neque per veſicam excreviſſe. Præſcripſi, *ſolani vulgaris baccas* ſuſpicans, ſingulis mixturam ex pulv. rubr. pannon. lap. bez. Unicorn. V. quovis trihorio ſumendam: & quavis nocte Theriacam cœleſt. cum mixtura ex aq. alexipharm. herbar. & ſyrup. ſimpl. quibus per triduum aſſumptis, tertio die idem Parens me cum ſubmiſſa gratiarum actione reviſit, filios ſuos ratione & valetudine iterum priſtina gaudere, laſſitudine excepta. Majorem & Medium copioſiſſima & fœtidiſſima per alvum ejeciſſe, Minimum copioſiſſimè minxiſſe referens; talesque baccas cum tota planta, quam ſolanum eſſe mox cognovi, apportans.

De Solano furioſo.

Ex Communicatione *Ejusdem Exc. D. D. Camerarij.*

ANno 1677. tempore vindemiali in Urbe quadam Danubio proxima ad puerum quendam decem annorum ducebar, cujus pulſus celer & debilis, hypochondria valdè tenſa, oculi

aperti, licet cæcus eſſet, externorum calor urens erat. Jacebat is modò, mirè membra torquebat, modò delirabat, modo ad interrogata rectè reſpondebat, imo & quærebat; modò reſpirabat, ſed difficulter, modò quaſi mortuus nullum trahebat ſpiritum hæcque reciprocatio intra horæ quadrantem ter vel quater repetebatur. Indagans mali cauſam & alia à Parentibus ſequentia audio; Puer ex ſylva propinqua domum redux ſe ceraſa ſylveſtria ibi inventa comediſſe narrat, probè cœnat nec de quaquam moleſtia conqueritur uſque ad mediam noctem, cùm à fratre ſuo majore natu pro ſiti intenſiſſima ſedanda rauca valdè voce potum peteret, quem, aquæ nimirum frigidæ, allatum cum magna difficultate nec omnem, licet valdè ſitibundus, aſſumit. Per duas ab hoc horas inſomnis cum fratre loqui ſæpius incipit, vix tamen contextum aut periodum abſolvit, de cardialgia conqueritur; horâ tertiâ poſt mediam noctem vomit, ſomno ſed valdè profundo à vomitu obrutus, appropinquante diei lumine, in oculis nullo apparente vitio, cæcus erat, delirare incipiebat & in eum ad horam quartam pomeridianam, qua ipſum conveni, antea recenſitum ſtatum deveniebat. Ego illa ceraſa ſylveſtria nihil niſi baccas *Solani furioſi*, Bella Dona *Camerario*: aliiſque dictas ſuſpicans, quia in illâ ſylvâ copioſiſſime creſcere noveram, per vomitum inductum baccas partim integras, partim emollitas, partim ad ſemen uſque & pelliculas conſumptas copioſas eduxi, refracto & imminuto illo diſtorſivo motu; mox alexipharmaca cum antiepilepticis exhibui, eadem pòſt abitum meum qui altero die aliò maturandus erat, continuanda ſuadens! Menſe elapſo Puerum ſatis belle iterum valere; pòſt anni verò ſpatium ulcere pedis omnem Chirurgorum curationem reſpuente laborare reſcivi.

Scholia.

Scholia.

I.

Solanum vulgare tantum non omnium ore frigidum creditum, ſi quis ratione primarum qualitatum calidum ſtatueret παραδοξόλογος audiret, quamvis id citra abſurditatem & non absque argumentis affirmaret. Certe in tribus pueris ſymptomata excitavit, quæ non niſi à particulis *Solani* calidis & acrimonia aliqua pũgentibus & irritantibus derivari poſſunt: cephalalgia enim meningũ cerebri pylori roſioni, jectigatio & mira membrorum diſtorſio convulſiva, nervorum vellicationi, delirium cum furore & conatus alta petere, igneis particulis ſpiritibus animalibus aſſociatis tribui poſſunt. Quin etiam ſymptoma illud quo aliquandiu inſtar mortuorum jacuerunt, non ſanguinis coagulationi, congelationi, aut ſimili corruptelæ adſcribi poſſe videtur, ſed potius convulſivo cuidam motui cordis, nervorum pulmonicorum & diaphragmatis, quia hoc ſoluto ac fœtidiſſimis per alvum excretis nihil poſtea mali, præter laſſitudinem paſſi ſunt. *Solani* baccarum portiones maſſæ ſanguineæ permixtas fuiſſe negari non poteſt, cum diu intra corpus detentæ fuerint: maximam tamen partem in ventriculis & inteſtinis ſubſtitiſſe, indeque ſymptomata exordia ſumpſiſſe ſuſpicor, quia poſt dejectiones cito remiſerunt. Verùm hæc de *Solano* hoc hic obiter monuiſſe ſufficiat: ad veritatem penitius adipiſcendam pluribus experimentis facilè in brutis periculum fieri poſſet.

II.

Alterius *Solani* vel nomen ſolum teſtatur quoad primas qualitates, aliasque ab illis pendentes, ſeu aliunde oriundas, non frigidum & torpidum eſſe, ſed calidum & acre eſſe, affligens genus nervoſum vellicando, & ſanguinem, lympham alios-

ve humores & ſpiritus exagitando, quod etiam ſymptomata in hoc puero excitata à baccis confirmant. Patet quoque ex hiſtoria baccas in ventriculo commorantes diſtorſivos motus excitaſſe, nam illis vomitu ejectis ceſſarunt, quamvis procul dubio particulæ baccarum ad ſemen & pelliculam conſumptarum adhuc ſanguini immixtæ eſſent. Plura de hoc memorare ſuper vacaneum arbitror, cum *Exc. D. D. Joh. Matthæus Faber, Sereniſſ. Duc. Würtemb. à Conſ. Med. & Phyſic. Heibronn.* præclarè quæcunque de hâc plantâ forent recenſenda in Strynomania retulerit, nuperque publici Juris fecerit.

Capvt XVIII. De Hyoſcyamo.

Ex communicatione *R. D. P. Caroli Ryſeri Convent. Bened. Rhinovienſis.*

Annis ab hinc 30. ſc. 25. Martij 1649. præparatum cum collatione veſpertina reficientibus acetarium fuit, cujus materia debuiſſent eſſe radices Cichoreæ eliquatæ. Creverant hæ, una in areolâ mixtim cum Hyoſcyamo: erutæ utræque, ſeparatim in manipulos collectæ ab hortulano relictæ, à puero horti poſtmodum in culinam ferendæ, puer rerum ignarus horti præfecto abſente, radices utrasque commiſcens coquinæ Magiſtro defert, ille coctas menſæ infert. Nemo pene edentium fuit, cui non orexin cierat obſonium ab aliquo inſolitum, & maximè ob tam corpulentas ac pingues radices & in antea non multoties viſas, & idcirco aliquanto etiam avidius (ſalvo tamen jejunio quadrageſimali) ſumebantur; Et quia in magna ſatis quantitate appoſitæ, & propterea (ne jejunium violaretur) manducantibus etiam ſuperfuerunt, quæ ſcho-

lari-

laribus & ſartoribus exinde appoſitæ fuerunt. Quid multis? pòſt hujuſmodi collationem ſuo tempore cubitum itum. Hic enim verò oriri ſymptomata cœperunt & veſcarum radicum paulatim diffundi toxicum, ſentiri à quibusdam capitis vertigo; aliquorum torreri linguæ ac labra, aſperari fauces, torqueri nonnullorum ilia, ac totis artubus malè haberi. Fuit, qui gargariſmo palati ardorem compeſcere ſtuduit, ſed lingua velut in frixorio toſta omnem reſpuit medelam. Inſonante noctis duodecimâ, cùm ad preces matutinas pro more excitarentur, miſerabilem aliquorum metamorphoſin ſpectare fuit. Unus tam deſtitutus mente ac debilis repertus fuit, ut pro vitâ deſperato habitus, Sacro Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis provideri debuerit: Alius quaſi dentibus nuces frangeret, & exemptos nucleos fringillis domeſticis proijceret, unâ manu pavones abigens identidem murmurabat, **fort jhr ſchelmen/kommen finckli/ kom finckli finckli/ ꝛc.** alius in cellâ ſuâ fornacem prenſabat, quaſi arborem perrepturus: Alius, anſatis utrinque manibus, ac toto corpore incurvus ilia ſibi rumpenda clamitabat; Ex iis, qui ad chorum venerant; ad matutinum ſolvendum penſum, aliqui oculos vix aperire, & litteras legere nequibant, vel aliqua inter verba ſeu verſiculos admiſcebant, quæ ibi non continebantur, unde unus aut alter abire compulſus fuit. Non nemo privatim orare volens, dum librum aperit, Myrmidonum aciem aſpicit, & literas jam animatas, velut formicas in aggeſtu ſuo confuſim diſcurrentes ſibi videbatur intueri, ut ex inde ne ſyllabam quidem, ne dicam verbum aut verſum integrum combinare ad aliquod tempus valuerit. Lepidum præterea fuit, mane Magiſtrum ſartorem videre laboraturientem, minus jam ſedili ſuo oculatum, quippe qui ne filum quidem armare acu nec à Tyrone, armato, tangere rem acu, ut ſibi videbatur, jam tricuſpide valens, quovis punctu, aut digitos, aut poplitem cruentavit. In quorum quidem cenſum, & Ego, qui hæc ſcripſi, veniſſem, niſi guſtu

guſtu variante monitus, minoribus radiculis prælibatis à majoribus abſtinuiſſem. Et his quidem intemperiis agitati aliqui uſque mane, nec tamen ſcitum adhuc, quæ mali eſſet origo, quia tamen omnibus ferè commune fuit, judicatum rationabiliter eſt, è culina promanaſſe. Qua propter etiam acriter indagatum à coco eſt, quid eduli refectorio heſterno veſperi intuliſſet; Qui aſſeveravit, præter radices quaſdam à patre Hortulano ſibi miſſas, & more ſolito coctas, nihil intuliſſe proinde indagine ad Patrem Hortulanum devolutâ, faſſus is eſt, quod erat: nimirum bifarias radices *Hyoſciami*, ſcilicet, & Cichoreæ unâ ex areâ erutas ſecreviſſe, ſi forte per errorem à puero Hortulani commixtæ ad cocum venerint, ſe neſcire: Interrogatus tunc etiam puer, reſpondit, omnia quæ inveniſſet eradicata culinæ intuliſſe. Hinc, ajebat, *P. Prior*, illæ lachrymæ? Qui etiam ſummo mane, *Schaffuſio* accerſiri Medicum fecit. Erat tunc temporis *D. D. Joannes Screta à Zavorziz Nobilis Bohemus Reipublicæ Schaffuſianæ Archiater Excellentiſſimus.* Adeſt is ex tempore, & citationis cauſam edoctus, luctantes adhuc aliquot patres cum halluco ſuo reperit, & aquâ è juniperis deſtillatâ ad potandum porrectâ ſævientem peſtem aut mitigat, aut abſtergit, tum ad circumſtantes: domini mei, inquit, niſi hæ *Hyoſcyami*, radices cichoreæ radicibus oleo, ſale, & aceto attemperatæ fuiſſent, fractæque nonnihil earum vires: jam eſſetis omnes orci Candidati; quibus verbis loquebatur, ut poëta Laureatus, & indicare volebat, omnes exinde morituros fuiſſe. Poſt abſceſſum ejus patres fere omnes melius habere cœperunt paulatim; unus tamen illorum, qui in edendis radicibus largior fuerat, has ſibi reliquias ſupereſſe conqueſtus eſt, oculos nimirum antea acutiſſimos adeò obtuſos redditos, ut perſpicillis uti neceſſe fuerit. Habet igitur Excellentia Veſtra *Hyoſcyami* argumentum, vim ſuam in Monaſterio noſtro exerentia, laconicè deſcriptum, quod medicè reddere, cum facultatis meæ non fuerit, poterit id Excellen-

cellentia Veſtra ita ſtiliſare, ut curioſi habeant, quod videant, aut admirentur,&c. Valeat mei ſemper memor.

Scholion.

I.

HYoſcyami iſtius radices erant *Hyoſcyami 1. Bauhin.inPinac*: de quo plura vide in *Cl.Joh.Bauhin.Hiſtor.Plantar.Univerſ.*l.34. c.3. neque enim animus eſt omnia hujus plantæ notatu digna excutere; quamvis quidam illam ultra ſauromatas & glacialem oceanum ablegandam putent, ut cum ſemine tota pereat, non penitus tamen damnandam alii exiſtimant, cum ad dolores ſedandos certum remedium inde peti poſſit & quidam quaſi divino beneficio ab illa liberati fuerint, unde non ὑοσκύαμον *ſuum fabam*, ſed Διοσκύαμον ſeu *jovis fabam* appellandam, dixerunt: unde quoque in hodiernum diem inter officinales numeratur & apud nos proſtat *Ung. de Hyoſcyamo*, quod præſtans anodynum comperimus: ſuntque qui uſum ejus internum non reſpuunt ac laudanis ſuis admiſcent.

2. Creditur *Hyoſcyamus* frigidus in 3. & ſiccus in primo gradu: idque ideo quia *Galenus* ita ſtatuit, deinde quia ad deſtillationes calidas utiliter adhibetur, quas inſpiſſare, obtundere & delinire dicitur. *Exc. D. Caſpar. Hoffmann. de Medicam. Officin. l.2.c.3.§.15.* duo in *Hyoſcyamo* obſervat; Unum eſt vis manifeſta refrigerans & ſiccans non ſine accidentali humiditate; alterum vis occulta narcotica & deleteria: Si quis modice illo utatur,ex ſerere ſe tantum manifeſtas qualitates refrigerandi & condenſandi; Sin liberalius, jam etiam occultam, hoc eſt, cum condenſatione etiam obſtupefieri partes, ſi amplius occultam eſſe tam potentem,ut occidat. Quid verò de hâc aſſertione cenſendum ſit, prolixe demonſtrare nec libet, nec vacat, attamen *Hyo-*

ſcyamo idem, quod *Cicutæ*, fatum obveniſſe puto, dum obiter ejus vires & propè tantum juxta unius alteriusve effatum expenſæ fuerunt. Certè quoque ex hâc ipsâ hiſtoriâ *Hyoſcyamum* quoad manifeſtas qualitates, etiam largius aſſumptum, calidum eſſe, non obſcurum eſt: nam cubitum euntes, ſc. circiter horam 8. veſpertinam jam R. D. P. linguas & labra torrida habebant, ventris tormina patiebantur & fauces ardore quaſi toſtæ ita fuerunt, ut nullis gargariſmis exſtingui ardor potuerit; ut cætera omittam ſymptomata, quæ facilius à calore, quam à frigore derivantur. Deliria & intemperies quæ poſt mediam noctem quibusdam evenerunt, non erant uſque adeo torpida, ut frigori imputari debeant; quæ neque ipſe *Dioſcorides* frigida diceret, nam l.4. c.69. tum nigrum tum flavum *Hyoſcyamum* μανιώδην pronuntiat, & *Plinius* apud *Exc. D. Hoffmann. l.c. Hyoſcyamum* Altercum ab altercando ex *Scribonij* L. nominat, ſcilicet non frigida & mitia ſed bilioſa martialia deliria excitantem. Torminum vehementia, quâ quidam ventrem ruptum iri verebatur, neutiquam ignavæ frigidæ qualitati deferri poteſt. Viſus triplex ſartoris & formicarum aggeſtus oculis inter legendum obverſans, forte humori nervos opticos oppilanti adſcribi poſſet, at & ille humor has anguſtias non intraſſet, niſi à calore *Hyoſcyami* fuſus fuiſſet. Nec temere *Exc. D. D. Johann. Screta à Zavorziz*, à radicibus cichorij aceto & oleo conditis, *Hyoſcyami* virulentiam correctam pronuntiavit, quorum beneficio nimirum ejus fervor correctus & ſpicula obtuſa fuerunt: *Dioſcorid.* enim *de Alexipharm. c. 15.* cichorium inter corrigentia nominat, item Lac. aſinin. caprin. vaccin. pinguedinem ſuillam, ſem. cucum. procul dubio hanc ipſam ob cauſam. *Exc. D. D. Screta* equidem poſtero die ſuaſit aquam juniperin. Ol. angelic. deſt. Theriacam Andr. ſed jam propè devictâ *Hyoſcyami* radice, ad aufferendas humorum fuſorum & circa partes nervoſas ſtagnantium reliquias: idque bono cum ſucceſſu.

Cap. XIX.

CAPUT XIX.

De Amygdalis Amaris.

Hiſtoria I.

Ciconiæ fœmellæ d. 6. Novembr. 1678. hora 2. pomerid: præſentibus *Cl. & Exc. D.D. Chriſtophoro Hardero, D.D. Heinrico Screta, D.Joh. Heinrico Hillero Stuttgardiano & D. Theodoro Zvvingero Baſil.* bolum ex *amygdalis amaris* contuſis & parum aquâ humectatis, magnitudine nucis moſchatæ, in gulam infra laringem intruſi; mox alium pari magnitudine, quem ſtatim iterum excuſſit: in pavimentum locata aliquo uſque inceſſit nec nutans aut temulenti inſtar vacillans: ad facilitandam boli deglutitionem, boli forte in faucibus hærentis aquam infudimus, quæ tamen tota inclinato collo rurſus emanavit. Igitur tertium bolum fortius compactum infra laryngem in gulam truſi, & blanda manu ventriculum verſus promovi, quem ipſamet verò deglutitionis motu quoque ulterius propulit. Dum quartum bolum præparo, caput ipſi ſubito & violenter retrorſum trahitur, pes dexter ſuccutitur, ſemel ore hiante aërem captavit; ſuccutiendo ſemel adhuc pedem & caput retrahendo, breviſſimo ſpatio & quo vix quiſpiam ſexies orationem Dominicam enuntiaret, ſine motu & ſenſu jacuit: pulſum cordis nihilominus ad latera ſterni preſſo pectore, per aliquot momenta adhuc tactu percepi. Nulli motus, nullæ corporis agitationes obſervabantur, ſimiles illis quibus ſuffocatio impendet, aut quibus collum illaqueatur: ſolummodo primum motus convulſivos animadvertimus, quibus tamen non rigebat; poſtea aliquid ſupervenit morbo potius attonito aut ſyncopi cardiacæ ſimile, nam ſine motu & ſenſu diu jacuit cum oculorum obtenebra-

tione. Hora poſt obitum dum apertionem molior foris & intus inſigniter caluit & ſanguis ex vaſis limpidior & fluidior emanavit, quàm aliàs in avibus obſervavi. Gula à pharynge ad orificium ſiniſtrum ventriculi inciſa, intus aqua atrovireſcente fluida madebat; pauca *amygdalarum am.* fruſtulâ aquâ hac diluta in illa fluctuabant: Ventriculus plenus erat terra & arenulis aqua iſta dilutis, absque carnibus & oſſibus: *Amygdalarum* nihil diſtinctè ferè apparuit, confuſæ erant cum terra & arenulis. Omentum pingue erat; ejus & totius habitus pinguedo plane crocea & propè miniata & granulata erat. Corpus tubuloſum à muco prorſus denudatum ſolummodo aquâ viridi perfuſum fuit; intus habuit ſulcos profundiores quàm ciconia pridie à me ſecta, anguſtius quoque debito erat ac ſi hæc gulæ portio ab *amygdalis* irritata ſe fortiter conſtrinxiſſet potius quam aliter corrugata fuiſſet: Inteſtina flatibus diſtenta erant. Pulmones aëre turgiduli, eorumque veſiculæ conſpicuæ & membrana circa claviculas, ubi aſpera arteria cum gula pectus intrat, tenſa & quaſi expanſa fuit. Sanguis circa regionem renis dextri fluidus, circa pectus in eodem latere partim fluidus partim intra membranas clauſus, coagulatior cum portionibus fluidis apparuit. Cordis ventriculi ambo vacui, paucis grumulis cum ſanguine fluido intra anfractus & circa oſcula vaſorum ſuperſtitibus: reliquus ſanguis, utpote dum calebat, adhuc fluidus, omnis emanavit abſciſis vaſis cordis magnis. In aſpera arteria ne granum quidem *amygdalarum* inveni, at plurimos vermes aſcaridibus ſimiles, ſed craſſiores & longiores circa aſperæ arteriæ primam divaricationem & in bronchiis vicinis; in glomerem coacti erant. Pylorus flavus, arcte claudebatur. Duodenum uncias duas longum, admodum amplum, nucis juglandis capax, intus ſulcis rectis præditum; videbatur quaſi tertium additamentum ventriculi: Inteſtina reliqua minora parvo digito parem magnitudinem & craſſitiem ad cæca retinuerunt:

runt: Foris nodos piſi dimidiati magnitudine plures viſi, 20. numeravi, erant albi duri: plures in duodeno ad inſertionem ductus bilarij & pancreatici, pauciores infra illam, nulli in fine ilei, in cæcis & in recto. Duodenum continuit chylum turbidum paucis arenulis permixtum: reliqua inteſtina ultra ſex ſpithamas chylum puriorem mucoſum alicubi albicantem, alicubi ſubcruentum: inde ad cæca mucum craſſum turbidum fruſtillatim: ex cæcis foris preſſis prodiit mucus chyloſus turbidus: in recto parum muci craſſi apparuit. In toto inteſtinorum tractu ne mica *amygdalarum amar.* à nobis inventa fuit, quamvis nec vomuerit, nec alvum exonerarit: Cloaca plena erat urina cretacea. Abſterſo muco à duodeno ultra inſertionem ductuum interna ſuperficies rubebat. Ubi foris nodi in inteſtinis conſpiciebantur, intus vidimus oſcula aliquantulum prominula, labiis illorum quibusdam nigris & duris, quædam ſemen milij admittentia, quædam anguſtiora: foris preſſis nodulis ex quibusdam prodierunt vermiculi vaſis ſanguiferis præditi, ex quibusdam mucus pellucidus: omnes cavernoſi, lentis, etiam majoris corpuſculi capaces: An glandulæ ſeu inteſtinorum tubuli, an vermium niduli fuerint, certo dicere non auſim: & quamvis nulli vermes in tota inteſtinorum capaciate occurrerint plures tamen in bronchiis morabuntur non ibi poſt obitum geniti, cum brevi poſtquam vivere deſiit aperta fuerit, nec caſu aliquo illuc dilati fuerint.

II.

Columbo adultiori d. 23. Nov. 1678. paulò ante 2. Veſpert. præſentibus *Cl. D. D. Heinrico Screta, D. Hillero, & D. Zvvingero* paulò minus quam drachmam *amygdalarum amararum* non excorticatarum, minutim contuſarum & in bolum coactarum in fauces truſi. Alæ unius pennis detonſis illum ſivimus per conclave ingredi, quod aliquo uſque citra titubationem peregit:

interea ingluvies & collum inflari videbantur ; mox pennæ in dorſo & hinc cauda ſurrigebantur ; paulòpòſt epileptici inſtar in pavimentum proſternebatur, alæ, pedes & collum motibus convulſivis exagitabantur ac imprimis caput, poſt aliquot contorſiones colli, retrorſum trahebatur ſtatimquè ſine motu & ſenſu inſtar apoplectici proſtratus mortuusque jacuit : quæ omnia tam celeriter peragebantur: ut vix aliquis ter vel ad ſummum quater orationem dominicam recitare potuiſſet. Aſperæ arteriæ vulnuſculum inflixi, atque aërem inſpiravi, ſed fruſtranea operâ, nec enim vel minimum vitæ indicium rediit: Denudavi totum collum à pharynge usque ad ſternum: Gula à pharynge ad ingluviem inflata & inflammata erat, prope pollicis capax, infarcta aliquot bolis *amygdalarum* : ingluvies tam à copioſis contentis, quàm à flatu admodum diſtenta fuit : Contenta erant lentes, avena & fruſtula *amygdalarum* ; omnia prorſus ex ſucca & prope nec vel guttula liquoris imbuebantur: paulo rubicundior: reliqua portio gulæ, imprimis ſuperficies interna corporis tubuloſi irrigua erat ab humore fluido minus viſcido, tenace minusque craſſo, ac aliàs hoc in loco obſervatur, ſimul quoque coloratior, ac ſi plus humoris ex tubulorum oſculis prolectum, & operimentum oſculorum corporis tubuloſi plerunque craſſum & glutinoſum abſterſum fuiſſet. Ventriculus arcte conſtrictus erat: continebat furfures, lapillos albos & pauca *amygdalarum amararum* fruſtula, humentiora omnia ſolitò. In principio duodeni ſtatim occurrit chylus craſſus pultaceus, flavus; eo detruncato non procul à pyloro ſtatim emerſerunt lumbrici teretes, aſcaridibus craſſiores & firmiores. Abſciſis venis & arteriis ſubaxillaribus, erupit ſanguis copioſus fluidiſſimus & nitidiſſimus : apertis poſtea ventriculis cordis, in illis nec guttulas quidem ſanguini nec vel minimum grumulum, aliudvé coagulato ſanguini ſimile. videre potuimus. Tunc & aliquandiu poſt adhuc calebat. Inteſtina ultra tres ſpithamas continuerunt chy-

chylum craſſum viſcidum ; turbidum ſubflavum cum multis vermibus : bilis ſe nullibi effudit : in reliquis inteſtinis nulli vermes, paucæ fæces aliquantulum coactæ, maximam vero partem vacua apparuerunt : à pyloro ad extremum inteſtinorum nec vel minimum *amygdalarum amararum* fruſtulum reperire potuimus. In faucibus plura *amygdalarum* fruſta & propè integri boli hærebant : quædam micæ illarum etiam palati rimam intrarunt. In occipite intra duplicaturam cranii ſpongioſam & quaſi pumiceam, ſanguis niger, grumoſus detinebatur, eâ ratione, quâ in aviculis laqueo ſtrangulatis his in locis ſemper reperitur. Ablato cranio medullæ ſpinalis principium, cerebellum & interſtitium inter hoc & cerebrum omnia ſanguine ſuffuſa erant: exemptis cerebro & cerebello, tum interſtitia tum baſis humentiora videbantur. Remotis membranulis in locis ſanguine ſuffuſis, ſanguinem extravaſatum & grumoſum cum ichore ſanguineo reperi. In pulmonibus nihil vitioſi animadverſum fuit.

III.

Columbæ eadem horâ pennas alæ detondendo vas ſanguiferum in extremo apice ſauciavi, prorupit ſanguis largiter nec ab impoſito atramento ſiſtebatur : tandem hæmorrhagiam ferramento candente aduſto vaſe brevi ſuppreſſi : verebamur debiliorem fore, at vegeta perſtitit. Igitur *Amygdalarum amararum decorticatarum* & contuſarum cum aqua in bolos coactarum drachmam circiter intruſi: ultra octantem horæ partem absq; ulla vacillatione inceſſit, unde ſecundâ vice unum alterumve bolum ultra fauces in gulam adegi : vegeta nihilominus inceſſit, & nondum languidæ ingluvies non diu poſt hæc inflabatur : tandem pennæ in dorſo ſurrigebantur & cauda potius deprimebatur : quàm attollebatur : mox paroxysmo epileptico proſternebatur: alæ, pedes & caput validè concutiebantur ; caput ſubinde retra-

heba-

hebatur; imo totum corpus jactabatur. Paroxyſmus brevi duravit, iterum ſe in pedes recepit, aliquandiu inceſſit: poſtea ſenſim pedes ægrius loco movere, nec diu poſt iis non amplius inſiſtere valuit; ſemel alas adhuc ſuccutiit, ſubinde collum leviculè torquebatur, tandem inſtar apoplecticæ aliquandiu jacuit, tardè & interciſis vicibus reſpiravit & ore hiante aërem quaſi captavit aliquoties; oculi diu ſplendidi & nitidi permanſerunt: paulo ante obitum demum obtenebrati fuerunt & poſt ferè elapſam horam dimidiam ſpirare deſiit.

Gulæ ſuperior pars amplior erat & rubeſcens: ingluvies plena lentium, avenæ & fruſtulis *amygdalarum amararum* candentium; omnia ut in columbo exſucca. Corpus tubuloſum impletum erat humore turbido lacteo, ut primum abſceſſum bene maturum hic ruptum crediderim: ejus ſuperficies ab operimento mucoſo, deterſo humore lacteo, prorſus denudata & rubicundior ſolito conſpiciebatur. Ventriculi contenta erant furfures, lapilli albi & pauca fruſtula *amygdalarum amararum*, candida liquore aqueo & alicubi ſpumeo imbuta. In principio duodeni continebatur chylus craſſus, viſcidus, turbidus, ſubflavus cui lumbrici teretes immixti erant. Ex vaſis axillaribus ſauciatis proſiliit ſanguis admodum fluidus, ut in columbo; inde quoque ventriculi cordis prorſus vacuabantur, nihilque ſanguinis in illis reperiebatur. Pulmones rubicundi erant. Inteſtina magis corrugata videbantur quàm aliàs obſervatur: duodenum tamen rotundius & planius, ceu chylo impletum, manſit. Columbæ hujus corpuſculum citius quam columbi perfriguit. Corpus ſpongioſum inter duplicaturam cranij & vaſa ſanguifera plena erant ſanguine grumoſo nigro: penitus ablato cranio medullæ ſpinalis principium, cerebellum, interſtitium inter hoc & cerebrum etiam baſis cerebelli, omnia ſanguine ſuffuſa erant, minus tamen quam in columbo, attamen plus liquoris aquei hic detinebatur; forſan minus ſanguinis in columba extravaſatum

tum fuit,tardiusque apoplexia ſupervenit, quia ob hæmorrhagiam prægreſſam ſauciato vaſe multum ejus profuſum fuit. Rima palati à fruſtulis *amygdalarum amararum* admodum infarcta & quaſi obturata erat: Pharynx quoque & gula ad ingluviem usque valde à flatu & *amygdalis* diſtentæ erant. Aſperæ arteriæ annuli cartilaginei integri ſunt, ut etiam à gula valde impleta comprimi & coarctari nequeat. In toto inteſtinorum cavo ne mica *amygdalarum amararum* apparuit: continebat, ut in columbo aliquousque chylum craſſum, viſcidum ſubflavum, turbidum, cum plurimis vermibus teretibus, nullibi bilem; in reliqua portione fæces coactas, alicubi mucum condenſatum; magna pars vacua erat. Ureteres urina cretacea transparente pleni erant. Oviductui inerat ovum figura nuclei pinei, ſed duplo craſſius: in ovario plurima ova lympha pellucida plena, piſi magnitudine, nulla lutea continebantur.

IIII.

Felis bimeſtris ferè d. 14. Maj. 1679. ex alto cecidit & imprimis os graviter læſit, ut ab illo tempore nec edere, nec ſugere valuerit; die 17. Maj. *Filius meus Joh. Conradus Med. Doct.* præſente *Exc. D.D. Heinrico Screta & D. Hillero* drachmam circiter *amygdalarum amararum non excorticatarum* in bolos coactarum intruſit ante ſecundam pomeridianam, paulòpoſt quaſi ſemi paralytica pedes poſteriores languide traxit, anterioribus verò vix reptare potuit: non diu poſtea ſequebantur paroxysmi quatuor epileptici, qua mirè artus & caput exagitabantur & tendebantur: inter unum alterumque paroxysmum induciæ concedebantur: poſt ultimum paroxysmum anhelosè ſpiritum traxit; ante tertiam veſpertinam ſpiritu ſenſim deficiente, reſpirare deſiit. Detracta pelle, in inguine dextro & circa coſtas, ejusdem lateris portiones, forte à caſu ſanguine ſuffuſa erant; pinguis adhuc fuitqua mvis parum intra triduum alimenti na-

ctus fuerit vel prorſus nihil. Aperto abdomine ventriculus ſatis amplus, ſed foris rugoſus & multis ſulcis orbicularibus, ſeu transverſim ventriculum inter ſecantibus præditus apparuit: inciſus ab orificio ad pylorum nihil præter bolum ex *amygdalis* in unum bolum compactis & muco pellucido involutis continuit: bolo cum muco ſublato ſuperficies, imprimis in fundo & ſupernè inter duo orificia, rubuit. A pyloro duodenum & jejunum ultra palmam bile croceâ tingebantur; poſtea ultra aliquot palmas inteſtina erant alba vacua, nihilque præter paucos vermes continuerunt: hinc rurſus portio palmaris flava, reliqua ad principium recti alba & vacua erat. Rectum impletum fuit fæcibus nigris piceis, fœtidiſſimis, forte à ſanguine poſt caſum inglutito, & huc è ventriculo & inteſtinis detruſo. Veſica ab urina admodum diſtenta erat. Ductus bilarius admodum bile turgebat ac hepaticus ſupra inſertionem ductus veſiculæ nodoſus fuerat. Cor ſanguine plenum cum auriculis, ſaucium fudit ſanguinem admodum fluidum & prope aqueum ratione conſiſtentiæ, cœtera rutilum. Pulmones non erant inflammati; niſi in lobo dextro rubor apparuit, quem potius adſcripſi caſui.

V.

Eodem *Cl. D. D. Screta & D. Hiller.* Gallo gallinaceo intruſerunt bolos ex *amygdalis amaris*, unde octies alvum exoneravit: & poſt miras convulſiones iterato perpeſſas mortuus eſt. Ventriculum examinandum transmiſerunt: foris ejus caro atro rubeſcens erat. *Amygdalas* in corpore tubuloſo & atrio ventriculi ſubſtitiſſe reperi: abſterſo muco minus viſcido tota ſuperficies interna corporis tubuloſi admodum rubicunda erat, ut & atrium ventriculi. In fundo ventriculi furfures & lapilli liquore aqueo diluti continebantur, cum alias contenta ſicca & exſucca ſint.

VI.

Ex communicatione *Cl. D. Joh. Heinrici Hilleri Med. Licent.*

ANno MDC.LXXIX. Die IX. April. faucibus bimulæ felis *amygdalarum amarar.* c. corticibus contuſarum ℥iij. per vices intruſi, non multo poſt univerſum os faucesque copioſiſſima primo tenuiore mox tenaciore ac viſcidiore lympha diffluebat quaſi, inſequente tremore totius, quibus ceſſantibus, ſopore ſeu ſomnolentia notabili prehenſa, uni loco immobilis, oculis conniventibus, quaſſi affixa eſſet, inhærebat, poſt autem horæ ferè dimidiæ decurſum, caput ipſi aliquoties violenter ſatis concutitur, quo motu excitata oculos aperit, adſtantes adſpicit, clamat, fugamque tentat, fruſtra tamen, progredi enim è que loco ſe movere neſciebat, leviter autem non multò poſt ad progrediendum impulſa, ægrè admodum vermis ad inſtar rependo, poſterioresque pedes penitus reſolutos poſt ſe trahendo per pavimenti longitudinem ad ejus ferè medium perrexit, ubi dextrum in latus decumbens, violentiſſimis ventriculi ſubverſionibus aliquoties tentatur, omneque prius devoratum per vomitum reddere cogitur, quo facto brevi poſt priſtinas recollegit vires, ſolâ aliquandiu durante ſalivatione.

VII.

Ex communicatione *Ejusdem D. Licent. Hilleri.*

SUbſequente die 12. April. fœtæ ac grandiori feli ℥ß *amygdalar. amar.* exhibui, aſt ſine ullo inſequente effectu vel altera-

tione præter leviſſimum quendam ac vix notabilem ſoporem, quo tamen brevi diſcuſſo ac evaneſcente ſanam dimiſi.

VIII.

Ex communicatione *Ejusdem D. Lic. Hilleri.*

Die 21. April. Cani juniori ℥v. *amygd. amar.* intruſi, hic elapſa ſemihora immutatas adhuc amygd. per vomitus repetitos rurſus rejecit, & nullo alio accedente ſymptomate citiſſimè convaluit, huic ſecunda vice ℥iij. *amygd. amar.* in fauces ingeſſi, at pari planè ſucceſſu ac effectu, rejecit enim iterum uti prius devorat. amygd. poſtquam per dimidiam vel quod excurrit horam eas retinuerat & priorem recuperavit ſanitatis ſtatum quo & adhuc integro fruitur.

IX.

Ex *Ejusdem D. Licent. communicatione.*

Die 9. Maij Vulpeculo novem vel decem præter propter ſeptimanarum, *amygdalas amaras* N.° v. minutim inciſas inque globulos duos mediante ſaliva concinnatas, devorandas exhibui, perexiguo dehinc elapſo temporis ſpacio, puſilla hæc vulpes toto corpore tremens, incerto talo vacillante greſſu temulentorum in morem incedere, capite & pectore progrediendo, per vices in terram procumbere, mox etiam diris omnibus convulſionum ſpeciebus tentari cœpit, cum pulſu cordis celerrimo ac imbecilli, reſpiratione etiam quadantenus læsâ. Re-

bus-

bus ſic conſtitutis cultro, durantibus ſemper convulſionibus ſubjicitur, ubi aperto abdomine ventriculum reperiebam collapſum omnino, mollem ac flaccidum, ab omni convulſione imunem, pariter & inteſtina quieſcebant, omnisque eorum motus ablatus fuit, maxima interim in partibus externis ferociâ perſeverabant convulſiones, quæ tam diu durabant, donec thorax apertus erat, hoc enim diſſecto ſub atrociſſimis convulſionibus, cordisque vehementiſſimis motitationibus exſpiravit. Diſſectus ventriculus leviculas plicaturarum ejus exhibuit inflammationes, pylorus arctè clauſus erat, œſophagus contra reſeratus patebat, inteſtinum duodenum conſpurcatum deprehendi bile porracea copioſa, nullo modo autem inflammatum erat, in fine jejuni ſimilis latitabat materia non a. in tanta copia. &c.

Scholia.

II.

AD experimenta *amygdalis amaris* facienda & illa his quæ vegetabilibus cum Amicis tentavi, ſubnectenda me *Anni VIII. Obſerv. 99. Miſcellan. Curioſ. German.* ab *Exc. Dominis Collectoribus* ſuppeditata, impulit. *Dioſcorides* quidem *de Mater. Med. l. I. c. 176.* pridem poſteritati reliquit quod *Amygdala amara* κτείνει κ) ἀλώπεκας βρωθέντα σὺν τινι; Verum nemo poſterorum quod equidem ſciam, ſcripto aſſenſum præbuit, aut confirmavit. *Marcellus Virgil in Comment. ad c. 144. l. I. Dioſcor. p. m. 153.* poſt literas renatas de hujus textus lectione anxius, caſu didicit quod ratione carere videbatur; vulpes n. tum demum *amygdalis amaris* enecari, niſi contigerit è vicino aquam lambere, credidit, poſtquam ab amico fide digno intellexit. Felem Pharmacopœi dulciariis aſſuetum, comeſtis ſeptem vel ad ſummum octo *amygda-*

lis amaris cœpiſſe primum intus torqueri & veluti furioſum circumagi; toto tandem corpore diſtentum difficilimum mortis genus obiiſſe, periiſſeque non ultra horam protractâ vitâ à cibo illo ſumpto. Atque ita oſtendit Veterum fidem ac manuſcriptorum authoritatem facile experimentis ſtabiliri, variis lectionibus & conjecturis frivolis lacerari, quod *Dioſcoridi* eveniſſet ex *Comment. hujus loci apud Marcell.* patet niſi caſus litem diremiſſet. Poſtea gallinas quoque ab his necari etiam caſu innotuit, ut patet ex *Commentar. in Matthiol. Exc. Joh. Caſp. Bauhin. Edit. 1597. l. 1. c. 139. p. 221. Ex. Hiſtor. Univerſ. Plantar. Cl. Joh. Bauhin. l. 2. c. 7. p. 183. Exc. D. D. Jeniſius Sciuro amygdalam amaram* lethiferam comperit: Ciconiæ, columbis, gallo gallinaceo, feli & vulpi, de quo imprimis dubitabatur, mortem attuliſſe hiſtoriæ propoſitæ ſignificant; cur autem tum canis vetulus, cui *Exc. D. D. Chriſtophor. Harderus* unciam dimidiam, & junior, cui *Cl. D. Lic. Hiller.* drachmas quinque intruſit, non multum à vulpibus diſcrepantes & binæ feles non peremptæ fuerint? Judicium hac vice ſuſpendo: inquiſiturus ulteriore indagine & repetitis experimentis.

2. *Amygdalæ amaræ* in ciconia, columbo, columba, fele Hiſt. IV. & vulpecula convulſiones univerſales non minus quam *cicuta aquatica*, nux vomica, cocculæ aliave hujus fortis concitarunt. Felis bimula Hiſt. VI. univerſalis convulſionis prodromos, tremore & capitis ſuccuſſione oſtendit: at pleniorem emerſionem vomitus impedivit, ipſamque ut & canem Hiſt. VIII. è graviore periculo eripuit. Univerſales convulſiones non produxiſſe videntur particulæ quædam *amygdalarum amararum* ſanguini permixtæ, & hinc ad principium nervorum delatæ, nam illarum fruſtula pylori terminum non egreſſa fuiſſe, ſectione patuit in omnibus his animalibus, quorum inteſtina poſt mortem perſcrutabantur; deinde poſt ingeſtos bolos ciconia, columbus, felis Hiſt. IV. & vulpecula tam ſubito convulſionibus obruebantur,

bantur, ut impoſſibile fuerit à fermento ſtomachi in tantillo temporis intervallo vel pauculas guttulas, etiam quintæ eſſentiæ, *amygdalarum amararum* elici & ſanguini communicari potuiſſe, maxime à mucoſo, quale erat quod *amygdalarum* fruſtula in Fele Hiſt. IV. combinavit & involvit. Denique ſtatim ſub pyloro in duodeno & jejuno in ciconia & columbis chylus occurrit conſiſtentia & colore ſimilimus avium alias ſaniſſimarum, illarumque quæ nihil peregrini naturæque adverſi admiſerunt. Non his adverſatur biliosa quædam inundatio in duodeno & portione jejuni in fele Hiſt. IV. & vulpecula obſervata, cùm credibile ſit ob famem, quandam bilis effuſionem huc factam fuiſſe, ut in altera vulpecula pridie à Filio meo ſecta animadverſum fuit: illa enim ad *amygdalas amaras* damnata, ne minimum quidem de cibo appoſito deguſtavit pluribus horis: in diſſectæ ventriculo nihil prorſus cibi repertum, duodenum verò & jejunum intus bile ſuffuſa vidit: & famem potius, quam *amygdalas amaras* effluvii bilioſi cauſam fuiſſe confirmant cætera animalia, in quibus nihil tale inveniebatur, quæ inteſtinorum galli gallinacei facies fuerit, referre non licet, cum catus illa cum cæteris viſceribus, relicto ſolo ventriculo, ſurripuerit: illud autem oculis uſurpare licebat de fruſtulis *amygdalarum* nihil ad pylorum pertigiſſe, maximam partem intra corpus tubuloſum, in atrio ventriculi & quasdam in ejus fundo cum arenulis ſubſtitiſſe. Magis veritati conſonum eſt à gravi ventriculi afflictione, ut & gulæ, præſidem ſyſtematis nervoſi ad convulſiones univerſales concitandas compulſum fuiſſe atque etiam *amygdalas amaras* exempla ſuppeditare, epilepſiam oriri poſſe non immediatè nervorum principio, ſed extremis illorum expanſionibus læſis. *Amygdalas amaras* ventriculi & gulæ nervea interiora vellicando & irritando afflixiſſe, vel ſola inflammationis ſigna his in locis apparentia abundè teſtantur: quod etiam abſterſio muci tenaciſſimi internam ſuperficiem corporis tubuloſi operientis probat,

cum

cum citra irritationem fortem & allectionem copioſioris ſeri ex tubulis neutiquam ſeceſſiſſet: nec minus clamores aliaque dolorum indicia ante convulſionum eruptionem, vellicationem ab amygdalis factam produnt. *Amygdalæ amaræ excorticatæ* mitius quidem & tardius columbam afflixerunt, quàm *non excorticatæ* cætera animalia, nihilominus tamen oſtenderunt virus ſuum erga animalia hujusmodi non in cortice ſed quoque nucleo occultare.

3. *Amygdalæ amaræ* quibusdam citiſſimè, quibusdam tardius, ſed quoque ſatis brevi tempore vitam eripuerunt, non ob ſanguinis coagulationem ob quam è corde protrudi & ad cerebrum transmitti nequierit, cum fluidus manſerit: nec ob ejus inſigniorem profuſionem, cùm in vaſis abundaverit: ſed ob motum fibrarum cordis abolitum, idque paucorum momentorum in quibusdam intervallo, unde ſanguinem ulterius propellere nequiit, ac poſt obitum auriculæ imprimis dextra & ventriculi ſanguine impleti obſervabantur; quod in omnibus animalibus repente citra ſanguinis effuſionem emortuis conſpicitur. Unde verò fibrarum cordis motus tum brevi abolitus & quomodo fuerit, referre ſanè obſcurum: Spirituum diſſipatio aut fibrillarum à vehementi motu enervatio cauſari nequeunt, cum non diu ab *amygdalis* afflicta fuerint, & non raro convulſiones longius & crebrius tolerent, etiam aves minutiores, citra interitum: ut propiorem fibrarum cordis afflictionem, ſc. cordis palpitationem diuturnam nunc prætereàm. Apoplectici quid ciconiæ & columbo contigiſſe admodum credibile eſt; cùm poſt non vehementes concuſſiones convulſivas vivere deſierint, manente cadavere diu calido, cùm quoque intra cranium ſanguis extravaſatus repertus fuerit, in fortiſſima etiam apoplexia cor non tam cito in motu ſuo ſubſiſtit, quin ſæpe diu omni reliquo motu & ſenſibus abolitis illum continuet. Strangulativi quidpiam concurriſſe in ciconia, columbis & vulpecula animadverti

nequit,

nequiit, cum placide exſpirarint: nullus tamen dubito quin ſpiritus interceptio ſymbolum ſuum ad necem accelerandam contulerit, non quidem aſtringente *amygdalarum amararum* vi, quæ ſenſibus obvia non eſt, nec aſperæ arteriæ compreſſione à gula inflata, cum aves circulos cartilagineos integros obtineant, unde laqueis ſuffocatæ ægre & non ſine magnis alarum & totius corporis ſuccuſſionibus emoriuntur, ſed nervos pulmonicos & diaphragmatis quoque convulſos & totius generis nervoſi calamitati involutos. Ut in re obſcura aliquid dicam videtur cor, afflicto gravius ventriculo & gula, quia eodem nervorum pari gaudet, quaſi attonitum reddi ac conſtrictionis quaſi oblivíſci, unde ab affluente indeſinenter ſanguine auricula dextra ejusque ventriculus nimium diſtendantur, fibræ ſuum tonum amittant tandemque ſanguinem, ceu enervatæ, ulterius propellere nequeant. Certe videmus in ſyncope quæ cardiaca vocatur, & cujus cauſa in ventriculo latere creditur, idque non ſine veriſimilitudine; primum cordis motum imminui, unde extrema frigeſcunt & ex palleſcunt, poſtea prorſus ceſſare, ægrosque inſtar emortuorum proſtratos jacere, imo niſi ſuccurratur, vitam amittere prorſus: vires autem cor recuperare ſpiritibus animalibus, ceu motus inſtrumentis, vellicationibus, frictionibus aliisve irritaminibus excitatis, refocillatis & tandem cauſam in ventriculo demulcentibus & auferentibus. Verum hæc altiorem indaginem requirunt & clarius aliis experimentis patebunt.

CAPUT XX. De Antimonio.

Hiſtoria I.

Cani robuſtiori præſentibus *D.D. Heinrico Screta, D.D. Gmelino, D. Sibelio van Geor.* & aliis Medicinæ operam dantibus, die 25. Nov. 1675. *Flor. Antimonii alb.* ℨs carni

Ii elixæ

elixæ involutum objeci: cum à bolo devorato non vomeret, *Croci metallorum* ϶s ſimiliter occultatum porrexi, at non omne inglutiit, nihilominus poſtea vomere cœpit & quidem nihil niſi recenter devorata, nam jejuno *antimoniata* dare conſilium erat. Quam primum pedibus & capite ſcamno alligatus fuit, vomere deſiit: at largiſſime minxit. Inciſo abdomine ex vulnere nondum ſatis amplo ventriculus flatibus diſtentiſſimus prorupit: dilatato vulnere magis adhuc extendebatur: inter abdominis inciſionem leviculè ſauciata fuit ſuperficies ventriculi fibroſa, retroceſſit ac craſſior & carnoſa evaſit, nerveâ interna prorſus nuda apparente aliquo usque. In ventriculo in apricum ducto vidimus ſulcos rectos, utcunque valde diſtentus eſſet: prope ſtomachum in ſiniſtro latere macula palmolatior ſaturate rubicunda apparuit, quæ tandem atro rubeſcens evaſit. Dum flatibus tantopere diſtentus erat, fibræ circulares non niſi levicule & quidem motu in duodeno occipiente ſe contraxerunt; ambo orificia arctiſſime clauſa pertinaciter flatus incluſos retinebant: compreſſo ventriculo fortiter manibus flatus ſurſum per ſtomachum & gulam eruperunt, ceu ructus: poſtea ventriculus circa pylorum & in medio à fibris circularibus conſtringebatur ac contenta evomebantur; obſervavimus ſemel in illa contractione diaphragma vomitum quaſi adjuvaſſe, forti quadam ſuccuſſione breviſſimis intervallis repetitâ. Flatibus non ſemel expreſſis ventriculus denuo implebatur atque admodum diſtendebatur, quibus forti manu expreſſis, rurſus quoque primùm circa pylorum, poſtea etiam in medio contrahebatur. Per ſiphonem aquâ calidâ injecta etiam ſe conſtrinxit: & leviculè etiam preſſo ventriculo copioſe mucum bile permixtum evomuit, ipſamet aqua mucoſa facta. Ventriculus diſtentus tenui tunica præditus putabatur, exoneratus & à flatibus vacuus craſſior evaſit. Preſſo ventriculo circa pylorum, aut circa medium, aut circa ſtomachum mire vagiit & capite à vinculis ſoluto ob-

via

via quæque morſu petiit. In vomituriente ſeu ſua ſponte, ſeu irritato ventriculo ſemper ore hiabat & exordium motus erat in duodeno, hinc pergebat ad pylorum ejusque antrum & medium;tandemque ejecit vomitu mucum ſpumantem nunc pellucidum, nunc ſubflavum & bile tinctum.

Ventriculum dum adhuc vivebat excidimus: inciſo ſtomacho & ſuperna ventriculi parte ad pylorum, nihilominus fibræ circulares pylori ſe contraxerunt: vacuus prorſus erat, ſolummodo muco pellucido interna ſuperficies admodum anfractuoſa,& circa pylorum bile tincto oblinebatur. In duodeno obſervavimus motum periſtalticum promiſcuè, nunc ſurſum nunc deorſum vergiſſe, qualem motum in lumbrico lato ulna longiore in hujus canis inteſtino reperto,atque alias in lumbricis, hirudinibus, inteſtinis ovium, canum & capræ vidi. Inteſtinum rectum ſublatis muſculis abdominis ſe exoneravit. Ubi foris macula atro rubeſcens foris in ventriculi latere ſiniſtro viſa fuit,intus leviculè rubuit. Veſica, poſtquam vinculis ſcamno affixus fuit, exonerata inter media tormenta rurſus valde implebatur, quæ remotis muſculis abdominis nihilominus omnem urinam largiter expulit, ſenſim ſe conſtringendo, foris ſulcis rectis apparentibus, ut tandem vix nuce juglande major apparuerit.Diaphragma in inſpiratione planum fiebat & in ambitu carnoſo coſtis vicino, ſulci recti conſpiciebantur: inflicto vulnere ac indito digito ſenſi tunc digitum valde ſtringi: in exſpiratione relaxabatur & abdomen verſus,inſtar veli à vento inflati utrinque protuberavit, non à pulmone deorſum labente, quod digito per vulnus immiſſo comperi, quo pulmones aſſequi nequii, ſed ab aëre prius inſpiratione attracto, nam digito facilius quam in inſpiratione retracto aër cum ſibilo prorupit: adeo ut aër omnino in pectoris cavum è pulmonibus penetret unde pulmones inflati, utcunque arctiſſime aſpera arteria oc-

cludatur, ſenſim detumeſcunt, niſi ſtatim juxta fornacem calentem ſuſpendantur & celeriter extima tunica ſiccetur. Quia canis iſte diu famem toleravit, inteſtina vacua erant & ramulos lacteos pauculos inteſtinorum ſuperficiem perreptantes vidimus. In meſenterio arteriæ venis multò minores & graciliores diu egregiè pulſabant. Chyli receptaculum, ductus thoracicus, in cane hoc unicus, & vaſa lymphatica die ſequente valde à lympha turgebant. Utcunque veſicula bilaria poſt aliquot vomitus inanior & flaccidior evaſerit, tamen noctu cum hepate in cadavere relicto, mane denuo plenior & turgidior apparuit. Glandularum areas, ut in aliorum canum inteſtinis, reperimus: in recto tamen majores videbantur atque aliàs, ex quibus foras preſſo inteſtino erupit mucus turbidus.

In fine gulæ prope ſtomachum fibræ circulares erant nervoſæ & validæ, unde tam firmiter ſtomachum & gulam conſtrinxerunt, flatuumque egreſſum prohibuerunt, ut non niſi vi ſurſum adigi potuerint. Externa tunica tota muſculoſa fuit. Suprema pars gulæ faucium partem obtegens craſſior erat & multis glandulis ditata, unde foris illa compreſſa liquore quodam irrorabatur. Sphincter gulæ non ſolum à lateribus laryngis oritur, ſed etiam pars ſuperne obliquè deſcendit: fibræ à larynge oriundæ prope circulares, cœteræ obliquè ſunt. Tonſillarum oſcula manifeſta admodum erant; nihil in illis piloſi, ut in alio cane, vidimus. In caverna oſſis frontis unicum vermem hirudini ſimilem, ſed planiorem reperimus & acuminatum, acumine anteriore breviore, poſtico longiore & quaſi in filum anguſtum deſinente. Rene ſecundum longitudinem inciſo canaliculi in parte carnoſa luculentius, in pallidiore anguſtiores apparuerunt: transverſim ſectâ illius carne, poroſa inſtar cannæ Indicæ videbatur.

II. Ca-

II.

Catello projectitio d. 14. Jul. 1676. cum *Cl. D.D. Heinrico Screta Vitri antimonii* ℈j. cum lacte infudit, avide deglutiit & ne guttulam relinqueret os lambebat. Vivacior cœteris catellis, quibus Helleborum album, nucem vomicam & napellum ingeſſimus: mire tamen ejulavit & vagiit per integram horam poſt ſumptum pharmacum, licet hactenus erectus inceſſerit. Poſt horam nutare incepit, pedes poſteriores ſubinde traxit, elumbis inſtar, mox tamen rurſus benè inceſſit, interea doloris interni indicia clamore validiore continuè edidit. Poſt ſecundam horam ab aſſumpto *vitro* ♁ nij. demum vomuit. Circa tertiam horam ſatis adhuc vegetus erat, niſi quod ſubinde nutaret, pedes poſticos traheret & aliquando caput motu convulſivo quateretur, brevi tamen vires iterum recollegit. Poſt horam tertiam abdomen incidimus: inter ſecandum robur oſtendit, vi ſectionem eludere conabatur, morſu petebat obvia: vulnere amplo facto inteſtina & ventriculus cum impetu prorumpebant: Ventriculus ſupra modum diſtentus erat. Inteſtinis prorſus denudatis & extra abdomen propendentibus nihilominus fæces flavas, conſiſtentiæ prope naturalis per alvum exoneravit: videbatur motus inteſtinorum periſtalticus egregiè. Veſica urina plena erat, quamvis iterato minxerit. Ventriculum integrum excidimus, contenta largiter primum ex ſtomacho eruperunt, quoties ſe jam exemptus in medio conſtrinxerat, quod aliquoties fiebat, copioſius contenta expellebantur; tandem quoque motus periſtalticus è medio verſus pylorum conſtrictis fibris circularibus pergebat, ſed leviculus atque tum nihil è ſtomacho elabebatur; cauſam invenimus mucum craſſum & grumum orificium hoc obturantem. Contenta ventriculi erant liquor lentus, mucus viſcidiſſimus, lactis coagulum, fragmenta ſtraminea: omnia flavedine tincta. Sublatis contentis mani-

feſta inflammatio circa ſtomachum aliquouſque intus extenſa conſpiciebatur : nulla in fundo & circa pylorum. Duodenum bile plenum erat. Veſicula bilaria à bile valde diſtendebatur & pellucebat. In inſpiratione diaphragmatis motus circa crura incepit, ibique verſus abdomen ingibbum attollebatur, reliqua verò pars cum centro nerveo in planitiem expandebatur, conſpicuis nihilominis ſulcis in ambitu ejus carnoſo : motus iſte valide peragebatur. In exſpiratione tenſio relaxabatur ac diaphragma verſus abdomen protuberavit. Inciſis arteria epigaſtrica & plurimis vaſis gaſtricis, multo profuſo ſanguine in motu animali vegetus manſit, imo aperto pectore vagire adhuc conabatur & objecta momordit. Cordis dextrum ventriculum cum auricula abſcidimus, nihilominus cordis reliqua ſubſtantia aliquoties, & quidem validè vera ſyſtole & diaſtole movebatur. Sanguis dextri ventriculi maximam partem fluxilis erat, portio quædam grumoſa : obſcurior fuit minusque rutilus quam ille quem profudit arteriis & venis imi ventris ſauciis.

III.

A. S. Sutoris uxor ex pago nobis vicino, ſtaturæ juſtæ, carnoſa, aliquandiu cachectica, difficilius ſpirans cum cordis palpitatione, laſſa, ita tamen ut negotiis domeſticis diligenter vacaret. Moleſtiarum cachexiæ familiarium pertæſa ex ſuaſu Vetulæ cujusdam vere 1648. aliquot grana *vitri Antimonij* vino albo per noctem infudit; mane vinum cum pulvere ebibit: non ſtatim virus ſuum exſeruit, unde maritus domo egreſſus aliquandiu ſolam reliquit; interea *antimonium* enormes vomitus excitavit, ipſamque humi ſtravit : maritus domum rediens humi proſtratam rigidam & veluti emortuam reperit: variis modis illam excitare conatur & tandem faciem frigida conſperſit, unde reſpirare cœpit. Poſtquam ad mentem rediit nondum tamen vomere & poſtea convelli deſiit, donec poſt iteratò

epota

epota juſcula, ferocia *antimonii* domita fuit: attamen ſumme debilis permanſit: poſtquam aliquantulum vires recuperavit, conqueſta eſt de intolerabili pedis dextri dolore. Poſtridie *D. Joh. Georg. Croner lithotomus* noſter vocatus fuit, invenit pedem ad mediam ferè tibiam nigrum & veluti atramento ſutorio immerſum non durum, non tumidum nec exulceratum: ad ſubitam hanc cutis pedis diſcolorationem obſtupuit, nec ob atrociſſimum dolorem urentem, pungentem & lacerantem ſphacelum adeſſe in animum inducere potuit: impoſuit fomentum anodynum absque ulla doloris mitigatione: ipſemet poſtea acceſſitus clanculum aliquot in locis imi pedis etiam ad tendinem magnum acum profunde intruſi; puncturas iteratas non magis quam lignum aliudve ſenſu deſtitum percepit: unde de ſphacelo non amplius dubitatum fuit. Pedis abſciſionem, ne malum ulterius ſerperet, maturandam ſuaſi, quam *Exc. D.D. Johannes Screta à Zavorziz*, tum temporis Archiater noſter quoque non differendam ſtatuit. Abſcinditur pes palmi diſtantia à genu: in pede abſciſo, diſſecto & diligenter examinato ſphacelus non tibiam mediam ſuperaſſe cognovimus: vulnus non urebatur Italo more; ſanguinem compeſcuit goſsypium aq. forti imbutum vaſisque majoribus impoſitum: totum operiebant pulvilli albumini ovi, cui pulvis ſanguinem ſiſtens permixtus, immerſi ac veſica tegebatur. Sic ſanguis ſubſtitit: brevi, remotis pulvillis adhibitis congruis cutis pulchre ſuccrevit, ac ſpes erat brevi pedem cicatrice opertum iri. Die 15. à ſectione ſubito à catarrho ſuffocativo obruta, fruſtraneis omnibus medicamentis brevi poſtea vivere deſiit. Aperto pectore pulmones arctiſſime maxime in dextro latere, pleuræ accreti; erant admodum maculoſi, bronchia undiquaque muco copioſo ſpumeo adimpleta. In cavo pectoris aqua redundavit, ubi pulmones non adhæſerunt. In corde polypos inveni. Ventriculus admodum diſtentus & flaccidus erat: Hepar pallidum & quaſi varie-

variegatum p. n. diaphragmatis aliquot in locis annectebatur. Lien naturali major fuit.

IV.

His addo Epiſtolam *Exc. D.D. Titi Albinei Medici apud Neocomenſes præſtantiſſimi*, utpote refertam quoque manifeſtis documentis, Ventriculi afflictiones in totius œconomiæ pertur-bationes redundare, imo quandoque illam plane ſubvertere, cum *Clar. D.D. Harderi & mea* ad eam Reſponſione.

JOH. JACOBO WEPFERO, & CHRISTOPHORO HARDERO, Utrique Medicinæ Doctori Celeberrimo S. P. D.

Titus Albineus D. M.

EN rurſus vos compello, Viri Doctiſſimi, Experientiſſimi, & Celeberrimi, idque ut agam non ſolùm facit ſperatum inde ægri commodum ſed etiam ratio propriæ utilitatis, nec enim confiteri piget veſtra conſilia & reſponſa medica ante hac ad me miſſa Mercurios mihi fuiſſe, quæ palantem & devium in viam reduxerint, quin & maximo honori duco Magni Æneæ dextrâ cadere.

VIr Honeſtiſſimus, mercaturam exercens, in montibus Comitatus Neocomenſis degens, id eſt aurâ, frigidâ, ſiccâ, & planè tenui fruens, annorum ætatis *XXIX.* ab hinc nono decimove retro anno ore aſſumpto, è manu cheirurgi ardelio-

nis cujusdam, pauco quodam pulvere flavo, quem vitrum antimonii pulveratum fuiſſe ſuſpicari æquum eſt, ita ἄνω copioſe & & vehementer atque κάτω purgatus fuit ut & animam ſimul violenter foras expulſam, factum abominantes, adſtantes nulli dubitarent, refocillatum deinde vino & juſculis ægrum ingens ſitis aliquandiu torſit, ſequutaque eſt tanta vocis imminutio ut quivis aure ori ægri admotâ ipſius ſenſa audiret, quam quaſi ἀφωνίαν totas ſex ſeptimanas eſt paſſus; nec inde tamen in integrum & priſtinum ſtatum reſtituta fuit vox, nam minùs & firmiter & ſonorè quàm antea hactenus eſt loquutus & cantavit, imò quoties, pro vitæ inſtituto, unius alteriusve diei vel etiam aliquot ſaltem horarum itinere ſeu pedes ſeu eques præſertim æſtuante ſole, incaluit toties vox defecit, nec refocillata eſt niſi quiete & ſenſim: Illuc etiam tuſſi, ſolo quaſi irritato gutture, câque ſiccâ & frequenti hactenus inquietatus fuit æger, manè tamen à ſomno expergefactus ex imo pectore non nihil pituitæ illiusque crudæ & tenuis ſolet extuſſire; Leviſſimo etiam ex corporis motu aut labore, potiſſimùm radiis ſolis expoſitus, totus incaleſcit, & calefactus queritur imprimis de calore inſigni gutturis, atque aliàs quoties tuſſit totum pectus ipſo quaſi igni intro uri ſentit, halitumque in faucibus & toto ore inſtar ignis calentem patitur: Tertiò ex eodem aſſumpto infauſto pulvere gutturi adhærentem quaſi bolum ſentire ſibi videtur, quem & deglutire & evomere irrito conatu ſæpiſſimè tentavit: Tandem & minùs inde valentem & defatigatum etiamſi corpus non moverit, & emaciatum ſe aſſerit; tantum nocuit infœlix ille pulvis!

Præterea aliquando dolorem gravitantem ſæpius antè in pectore quandoque è regione in dorſo, aliàs utrinque ſimul antè & retrò è regione ſpatio dimidio horæ unius patitur, intereaque ter aut quater oſcitat; facies etiam illius non raro ex anthematis rubris, calidis, & acribus deturbatur, quæ tandem

ſuppurant & ſiccefcunt. Non modò malè habet ab æſtu ſolis & aëris, motu corporis & labore etiam levi, ſed maximè è mero epoto, & jamdiu noctu in lecto ſi vel ſtragulis tegatur non tantùm brevi totus incaleſcit ſed & ſudore copioſo toto corpore diffluit; & cum purgatu ſit facilis è catharticis vehementibus non ſemel imprudenter aſſumptis ad orci fauces penè deturbatus eſt; Ex oppoſito verò benè valet è quiete, aëre frigidiuſculo, vino frigidâ temperato, grateque ſe frigefieri aſſerit uſu lactis caprini. Illius hypochondrium utrumque leviter mihi & tenſum & repletum viſum fuit. Anno præteritò ſæpe ſalivam ſalſam deguſtavit, elabente verò rariùs. Urinæ liquor colore ſubaureo eſt & tenuiſſimus, pro hypoſtaſi nubecula eſt tenuiſſima ut vix oculis percipiatur, fundum tamen occupans; atque poſtquam urina xxiiij. horas quieviſſet in illa apparuerunt corpuſcula minutiſſima, rubra, quorum pars maxima in fundo vitri ouroſcopi ſubſidebat, alia verò ſparſim, vel in toto liquore imprimis in illa nubecula immergebantur, vel vaſis parietibus ad hærebant, non nulla etiam liquoris ſuperficiei innatabant; atque liquore toto, inclinato ſenſim vaſe, effuſo, exſiccatâque illorum parte reſidua, eadem rubra quidem ſed & micantia & angulata, & digitis extremis contrectata duriuſcula apparuerunt, & poſtquam calidæ immerſiſſem & aliquandiu in eadem continuiſſem nec diſparuerunt, nec inde extracta minùs dura digiti mei experti ſunt.

Symptomatum prædictorum graviſſimum & periculoſiſſimum procul dubio eſt tuſſis, cujus cauſa continens, id eſt membranam laryngis & aſperæ arteriæ partem internam inveſtientem, quæ exquiſiti admodum eſt tactûs, lædens & irritans, eſt ſerum ſubtile morſu potiùs quàm mole nocivum: tuſſis enim & frequens & ſæpius ſicca eſt, & ſaliva pluries ſalſa deguſtata fuit; decidit autem illud ſerum nullibi ex capite, undequaque etenim caput integrum eſt, nec os humore ſuperfluo madet, ſed ex vero

ſimili

ſimili transſudat illud ſerum minimâ quidem quantitate, verùm abſque intermiſſione è membrana prædicta, quà præſertim partem ſuperiorem arteriæ aſperæ ipſiusque caput internè inveſtit, expulſum per arteriolas à carotidibus oriundas, at retento ſanguine quippe & utili & minùs tenui; idque p.n. quidem, quid enim parti potiſſimum illi labem illatam non ſuſpicer, ejusdemque conquaſſatum tonum à convulſivis motibus toties violenter repetitis per conſenſum ventriculi, quibus natura totis viribus conata eſt totum eliminare maleficum illum pulverem? illinc enim, ut ante indicatum fuit, initium & originem traxit tuſſis; tale autem ſerum ſ.n. maſſam ſanguineam in arteriis & venis diluit, eidemque quocunque corporis, lege circulationis, devehendæ inſervit, atque illud in noſtro ægro abundare ſudor frequens & copioſus non minimo eſt argumento.

Vocis imminutio accepta ferenda mihi videtur inſufficienti alliſioni aëris ad laryngem & maxime ad illius rimulam eo beneficio pulmonum & thoracis per tracheam arteriam exſufflati; hæcque inſufficiens alliſio accidit non tam ob humectationem & perpetuam irrigationem membranæ laryngis & arteriæ aſperæ partem internam inveſtientis, nam hoc modo vocis depravatio & raucedo tantùm induceretur, quàm quòd laryngis rimula nimiùm pateat, & ita aër per illam nimiùm patentem ex arteria trachea ad os citius transeat quàm ipſi per tempus liceat ſufficienter ad laryngem maximè ad hanc rimulam allidere; cùm autem huic rimulæ anguſtandæ & dilatandæ inſerviant laryngis muſculi & nervi his inſerti, præſertim recurrentes, procul dubio culpa tota his inhæret, quæ alia non mihi videtur quàm quantitas diminuta ſpirituum animalium in his muſculis & nervis, ob horum jam debilium refrigerationem ſubitaneam, quæ cum hi calent levi ægri tranſitu ab aura calida in frigidam, frigidæ potu, & quiete induci poteſt, ſolet etenim æger iter faciens quum incaluit ſubinde & frigidam bibere &

alicubi in umbra & loco aliquo frigido aliquandiu quieſcere donec meliùs ſibi videatur.

Bolus quem æger queritur ſe ſentire in gutture cùm uvulæ relaxatæ tribuendus non veniat, hæreo cui majori jure adſcribi poſſit quàm levi membranulæ ſummum œſophagum internè inveſtientis relaxationi, factæ à violentiſſimis & frequentibus vomitibus à natura inſtitutis, nefando illo pulvere irritatâ.

Cùm in expellendo pernicioſo illo pulvere tota violentiſſimè concuſſa fuerit natura, calido innato non leve detrimentum allatum & ſiccitas aliqua inducta, facultates corporis omnes ſummè labefactatæ, & totius œconomia valdè turbata, non mirum ſi inde & minus valeat æger, & defatigetur, & emaciatus ſibi videatur, & urinæ liquor ſit tenuiſſimus, & hypoſtaſeos laudabilis locum nubecula tantùm tenuiſſima occupet. Cita ægri ſeu ambulando ſeu agendo totius incaleſcentia; exanthemata frequentia rubra, calida, & acria; ἡ δυσφορία è mero epoto, & è ſtragulis etiam levibus in lecto operientibus; & ſalivæ ſalſugo; atque ἡ εὐφορία è quiete aëre frigidiuſculo, vino frigidâ temperato, & uſu lactis caprini arguunt maſſam ſanguineam & calidam, & acrem, & tenuem admodum eſſe, idque ab excedente viſcerum naturalium calore, ut mirari non ſubeat ſi corporis, motu aut etiam tuſſi ægro æſtuanti ſtatim cor & pulmones jamdiu debiles ſanguine tenuiſſimo & ferventiſſimo repleantur, è quibus halitus ſublatus fauces & os totum calore urente afficiat, corporiſque habitus non ſit carnoſus.

Gravitatem illam levem antè in pectore & retro è regione in dorſo aliquando moleſtam efficit ſpiritus vaporoſus & craſſus ex hypochondriis, tantillùm tenſis & repletis, elevatus & pulmonum membranis, præſertim mediaſtino, aliquandiu hærens illaſque interea leviter diſtendens, ſed qui brevi poſt diſcutitur;

ſcutitur; quem teſtantur & levis ilius gravitatis ſubita invaſio, & brevis, mora, & maximè oſcitationes illam comitantes.

Quæ tandem protuli de corpuſculis minutiſſimis in urina contentis perſuadent, illa ex materiâ tartareâ lapideſcente in ipſis viſceribus & vaſis aut vi coctionum ex aſſumptis elicitâ aut calore excedente excoctâ & cum urina excretâ, & tandem in ipſa cum admixto tantillo ſanguine fortiter concreviſſe, ſed vos oculatiſſimi quid & unde ſint certò perſpicietis.

Ut prognoſin paucis edicam, hos affectûs curatu difficillimos ne tandem phthiſis excipiat & finiat timeo:

Ut verò qui ſanari potuerunt ſanentur, planè inſanabiles non ingraveſcant, & phthiſis præcaveatur, omnis cacochymia convenienter præparata eliminanda; maſſa ſanguinea calidior & acrior refrigeranda & demulcenda; motus vitioſus humorum ab inferioribus ad ſuperiora, & ſpeciatim ad laryngem & pulmones corrigendus; atque viſcerum naturalium intemperies calida temperanda; quæ præſtabunt auxilia è triplici fonte prudenter petita, nempe è cheirurgiâ, pharmaciâ, atque diætâ.

Et è cheirurgia quidem; venæ ſectio in utroque pede celebranda eſt, quâ primò è dextro extrahantur ſanguinis ℥v. dein quinto inſequente die ℥iiij. aut v. è ſiniſtro; atque etiam illuc ſex pluribusve diebus elapſis, ſi ægri res poſtulent viresque permittant, ſanguiſugæ venis ſedalibus applicentur ad ℥iiij. aut v. ſanguinis eductionem; ex hoc eodem penu depromendus etiam fonticulus femori dextro aut etiâm cruri in parte domeſtica ferri acie inſculpendus; imò & ſetaceum in cervicis fine ſeu dorſi principio acu funiculum ſericum trahente perforatum ſummæ utilitatis fore reor.

E pharmacia ſequentia mutuabimur: alvi ſubductio & pri-

marum viarum expiatio fiat ſyrupo roſ. ſolut. comp. & mannâ Calabr. diſſol. in decocto flor. iij. cordial.; poſtridie vena pedis dextri aperiatur, atque tribus qui inſequentur diebus manè tribus horis ante paſtum hauriat æger juſculum è vitulina excoctum & alteratum foliis lactucæ, porcellanæ, borrag; agrimoniæ, & cichorii; rurſusque purgetur æger eadem prædictâ potione ſed valentiori redditâ ʒj aut ʒj ½ rhab. opt. decocti & infuſi; atque die inſequente pertundatur vena pedis ſiniſtri; inde ſex diebus continuis hauriat ſupradictum juſculum alterans ſed cui ſub finem decoctionis additæ fuerint medullæ ſeminis carthami ʒij. aut ℥ ½ & in liquore colato diſſ. Syr. è cichoreo cum rheo quadrupl. cochleare j. aut ij. id eſt quantum ſatis ad alvum ter ad ſummum quater quotidie leniter ſubducendam, ut ita per epicraſin humorum bilioſorum & ſeroſorum acrium abſque virium jactura colluvies tota exhauriatur, & maſſa ſanguinea viſceraque refrigerio grato recreentur: Quo peracto ſi æſtus etiamnum obſervetur in viſceribus hirudines opportunè venis hæmorrhoidalibus apponentur; atque duodecim diebus continuis reiterabuntur juſcula prædicta alterantia, ſed altero quoque die incocto carthamo & diſſoluto eodem ſyr. è cichoreo; interea non leve tuſſienti ægro levamen afferet ore ſubinde contenta ſenſim liqueſcenda tabella è radic. liquir; & altheæ, ſemine papaver. albi, & gummi tragacanthæ ex arte immixtis ſaccharo albo aq. roſar. aut maluæ diſſoluto: Ab uſu juſculorum alterantium & purgantium ad uſum lactis tranſitum ægro perutilem fore reor, illiusque aſinini, ſi aſinam poſſit nanciſci nam hic id genus pecudis non alitur, ſin minùs caprini, admixto ſaccharo roſaceo quotidie manè 5ta. aut ſextâ ante paſtum horâ ab ipſo ubere emulcti & calentis hauriendi idque ſpatio 30. aut 40. aut etiam plurimum dierum; datâ interea temporis operâ ut ſingulis diebus alvus fungatur officio, quæ ſi non ſponte dejiciat aut auctâ lactis doſi, aut lenientibus clyſteribus ſuppoſitoriisve

riisve proritanda erit, imò & aliquando pilulâ unâ aut alterâ aloës roſatæ in ingreſſu cœnæ deglutitâ, quâ ſi quid crudi primis viis fortè hæreat detergetur & infra foras inſequente manè ſine irritatione ſenſibili devolvetur.

Tandem è diætâ: Caveat ſibi imprimis æger à vehemente & diuturno corporis motu & labore, aëris æſtu, mero, cibo concoctu difficili, calefaciente, vaporifero, nimio, vario in eodem paſtu, ideoque à leguminibus, fructibus potiſſimùm crudis, braſſicâ, raphanis, porris, alliis cœpis, &c. carne ſalitâ & fumo induratâ, piſcibus, caſeo, ovis coctione induratis, omni edulio è paſta absque fermento ſeu frixâ ſeu clibano coctâ, ſaccharatis, aromatibus conditis, ſinapi, omphacio, aceto, &c. atque etiam à venere: ſenſim aſſueſcat aquâ vinum magis ac magis in dies diluere donec tandem aqua vinum ſuperet, aut hydromelite multùm aquoſo ſitim compeſcat; commendo præ aliis cremorem ſeu ſuccum hordei excorticati aquæ font. & juſculi e vitulina aut lactis partibus æqualibus ſpatio horarum octo incocti.

Hæc ſunt Viri, mihi dum ſpiritus hos reget artûs, ſuſpiciendi, quæ de natura, prognoſi, & cura horum affectuum ſentio, eadem criterio & æquo ex animi veſtro lubens ſubmitto, quæ minùs veroſimilia vobis videbuntur ſcuticâ obſecro excutite, eo certè nomine & vos mihi gratiores & me vobis devinctiorem habebo, maximè ſi cenſa veſtra de iiſdem omnibus haud parcè communicetis, quod & expoſtulat æger qui nos de valetudine ſollicitus conſulit & in cujus gratiam ſenſa conferimus. Unum & humanitatem & benevolentiam veſtram obnixè rogatam velim ut libros cùm theoricos tum practicos indicetis aliquos quibus veſtrâ ſententiâ veriora artis noſtræ præcepta contineantur, quibus avidè devoratis & in chylum & ſanguinem meum mutatis & mihi ipſi minùs diſpliceam, & vobis

vobis ſimilior evadam, & ægrotis magis proſim, in veſtris enim conſiliis plurima legi quæ nuſquam alibi, & quæ veritati conſona mihi planè videntur, licèt recentia & planè inaudita. Diutiſſime valete & mihi veſtri cultori favete. Datum Neocomi Helvetiorum julij. 15. anno 1673.

Reſponſio.

Ad Literas Exc. D. Titi Albinei Med. Doct. Neocomenſis Celeberrimi.

Salve plurimum Nobiliſſime & Excellentiſſime Domine *Albinee:*

GRatiſſimas tuas Excellentiſſime Domine, accepimus: noſtra tibi placuiſſe gaudemus: quod illa aliquid reputes, id nos tuæ humanitati & benevolentiæ tribuimus, conſcij quanta & nobis ſit curta ſupellex in tantis Naturæ tenebris, quarum exemplum ſuppeditat denuo caſus propoſitus. *Vitri antimonii* imprudenter exhibiti virus nobis quoque his in oris in plurimis ægris, imo etiam neutris, aut utcunque valentibus innotuit: pluribus enim ab Agyrtis aut Mulo Medicis propinatum ventriculos ita peſſum dedit, ut de cardialgia quadam ad ultimum vitæ halitum conqueſti fuerint: quosdam robuſtiſſimos nihilque tale prævidentes aut metuentes in hydropem immedicabilem præcipitavit. Aſthmata difficillima peperiſſe aliquot novimus. Anni. 25. ſunt, cum cachecticæ infuſum *Vitri* ♁nij. datum fuit; protinus ἄνω καὶ κάτω enormiter purgavit, ſupervenêre convulſiones, ut diu trunci inſtar rigida humi decubuerit:

cubuerit: poſtquam vires recuperavit miſella de pedis dolore immenſo conquerebatur, quo denudato pice nigrior apparuit; cultellis inciſus & acubus punctus nullum ſuperſtitis ſenſus indicium exhibuit: abſcinditur ſub genu: vulnere circa 15. d. poſt ablationem propemodum jam cicatrice obducto, ſupervenit catarrhus ſuffocativus inopinatò: Cadavere ſecto in imo & medio ventre omnia turbata reperta fuerunt. Integra hiſtoria cum commentariolo, Deo Volente, aliquando publici juris fiet. Quoniam verò dominus Æger temperamenti aliàs calidioris fuit & motu facilis, non mirum eſt à medicamento violentiſſimo in ſubſtantia, fortè etiam non legitima doſi propinato, tantas turbas tantùm non univerſam œconomiam corporis evertentes excitaſſe, & ferè neci dediſſe. Quandoquidem Dominus Æger poſt aſſumptum medicamentum veneni non prorſus expers varia ſymptomata patitur, quæ vel ſemper adſunt, vel ex levi occaſione redeunt, neceſſum eſt tum univerſæ maſſæ ſanguineæ quendam characterem parvum impreſſum eſſe, tum partes, quarum actiones læſæ ſunt, labefactatas fuiſſe. Singulorum ſymptomatum cauſas enucleatè, *Excellentiſſime Domine*, tradis, ut quæ addamus pauca ſuperſint. Ne tamen ἀσύμβολοι ſimus circa unum atque alterum quoque mentem noſtram explicabimus. Vocem ſubmiſſam & exilem quod attinet, quæ evenit ſtatim poſt enormem evacuationem & hactenus ſæpius rediit, quoties ſc. à labore, aut vini meracioris potu incaluit, quia illa adhuc dum articulata eſt & ab adſtantibus, auribus propiùs admotis, intelligi poteſt, indicio nobis eſt, muſculos laryngis alioſque ad vocem formandam deſtinatos moveri, atque ob hanc cauſam in rima aërem emiſſum frangi, magnam tamen aut altam propterea non fieri, quia ob nervulos pulmonum, diaphragmatis, muſculorum intercoſtalium & pectoris, ſpiritibus animalibus aliquo modo depauperatos, pulmones non eo impetu ac vi conſtringuntur, nec aër confe-

 ſtim

tim exploditur, nec ut decet, aut ut fieri ſolet in ſtentorea voce alliditur, fit ut vox ſubmiſſa reddatur: nam omnino præter fractionem aëris in larynge ad edendam vocem magnam, altam & è longinquo percipiendam, requiritur ſubita & contenta aëris exploſio, unde apud Concionatores firma poſtulantur latera, ſeu partium ad exſpirationem neceſſariarum diſpoſitio valida. Quoniam verò in bronchiis pulmonum nulla labes aërem impediens hæret, nullumque in muſculis vitium memoratur, merito culpa nervis attribuitur, non ſolùm paris vagi, ſed etiam intercoſtalibus & cervicalibus; ſpiritibus animalibus depauperati fuerunt nervi, dum ab enormi vomitu nervi ad pectus ſpectantes enormiter ſuccuſſi, atque procul dubio nimium liquore, nervorum ductus quandoque ſequente irrorati fuerunt, atque hactenus debiliores & molliores perſtiterunt. Tuſſis ſicca omnino provenit ab irritamine, aſperæ arteriæ interiora exquiſito ſenſu prædita vellicante: quod humor aqueus tenuis ſalſus ſus eſt: nam tali ipſum abundare ſaliva ſalſa & urina tenuis, quæ quandoque ſale rubro, ſeu tartaro quodam cinnabarino abundat, præter alia evincunt. Non neceſſum eſt ut hæc humiditas per laryngem è capite in pulmones deſtillet, cum ex tunica interiorem arteriam aſperam ſuccingente tranſudare ſoleat quod paſſim *Cl. D. Schneider de Catarrhis* inculcat & ad oculum demonſtrari poteſt, deterſa n. tunica iſta linteolo, denuoque preſſa protinus iterum madeſcit; quod argumento eſt hanc membranam poroſam eſſe & ſub illa glandulas latere quibus preſſis etiam in demortuis humor refundatur: ſi ob tuſſim ſæpius interdiu ſuccutiatur, hujus humoris pluſculum colligitur in pulmonum bronchiis, qui tempore ſomni à pulmonum calore lentorem contrahit, quod ſero venæ ſectione emiſſo accidere primum *Hervæo* innotuit & facile comperitur, ſi vaſe exceptum prunis ſubjectis incaleſcunt. Sputum hoc viſcidum mane pulmones, ceu ſarcina hac ſe exoneraturi, tuſſi excutiunt. Quid ſi

verò

verò etiam tonſillæ, quæ glandulæ conglomeratæ ac propterea ſeri ſecretioni & effuſioni dicatæ, ſunt, à vehementiſſimo vomitu labefactatæ fuerint? unde plus humoris exſtillat & laryngis rimula nimium ab acri ſalſo liquore irritatur atque ad tuſſim ſtimulatur: obſervatur namque illos quibus tonſillæ ab ulceribus malignis arroſæ & debilitatæ fuerunt, tuſſi inani moleſtiſſimæ ſæpius obnoxios reddi. Dolorem antè & retro in pectore nonnunquam affligentem an mediaſtino, ἀπόσπασμα aliquod, ob vomitum experto, an pyloro & ſtomacho ab *antimonio* pridem excoriato, nunc ſenſibiliori adſcribamus? dubii ſumus. Novimus quosdam ab *antimonio* tantum non peſſum datos, per plures annos de cardialgia ante & retro excruciante, affligi.

Cauſa boli in faucibus quaſi hærentis, incolumi uvula, raro à Practicis exprimitur, quamvis frequens malum imprimis apud Fœminas hyſtericas ſit, quæ uterum fauces petentem ajunt. *Cl. Willis in Patholog. nova Cerebri* adſcribit illam convulſioni alicui particulari. Verum cum boli hujus moleſtiam patientes continuo deglutiant, nec muſculi pharyngæi nec œſophagi ſphincter nec œſophagi tunica media, quæ muſculoſa tota eſt, convellentur. Accederemus Exc. Tuæ ſententiæ & internam tunicam relaxatam diceremus, ſi bolus iſte continue perciperetur: niſi forte ſtatuendum ſit intercapedinem inter tunicam mediam & internam quandoque à ſero vacuam eſſe, quandoque rurſus ab ea ob cauſam aliquam externam impleri.

Laſſitudo ſpontanea, macies, vari in facie ſuppurantes crebri, cita incaleſcentia in lecto & hinc ſudor largus emanans, facilis læſio à labore, mero, purgantibus, ardor pectoris, urina ſubaurea limpida cum tenuiſſimo ſedimento, quandoque ſale rubro ſeu tartaro cinnabarino, ſaliva ſalſa, & hypochondria tenſa & plena, & ſi quæ alia ſuper ſint ſymptomata, demonſtrant non ſolum à pernitioſo illo pulvere plurimas partes imi &

medii ventris vehementer ſuccuſſas & perturbatas, ſed etiam maſſam ſanguineam, quæ *Harvæi* Calidum innatum merito eſt, peſſimè contaminatam fuiſſe. A violentiſſimo namque vomitu imprimis fermentum ſtomachi propemodum exhauſtum, bilis, chyli condimentum apud quoſdam, cum ſucco pancreatico largiùs profuſa fuerunt, unde ad viſcera ſanguificationis chylus illegitimus transportatus & pejor ſanguis neceſſariò genitus fuit: à quo poſtmodum quoque glandulæ globoſæ lympham excoquentes, & conglomeratæ ſuperfluum exonerantes exſiccatæ fuerunt, unde ·lias malorum neceſſariò ſupervenit.

Nimirum maſſa ſanguinea evaſit magis ſulphurea & inflammabilis, ſalſior & acrior quam decet, à qua omnium ſymptomatum ultimò memoratorum cauſa facilè repeti poterit. Singula explicare non opus eſt, cùm à te, *Excellentiſſime Domine*, id jam maximam partem præſtitum ſit, & facilè ex his ſententia noſtra divinari poſſit.

Conſentimus Domino Ægro Phthiſis periculum impendere, quam vix evitabit, niſi legibus Medicis obtemperaverit.

Ad Phthiſin aliaque gravia mala evitanda, maſſæ ſanguineæ inflammabilitas & ſalſugo corrigenda, ejus ſpiritus reficiendi, ventriculo imprimis & pulmonibus ſuum robur reparandum erit: quibus ſatis fiet remediis ex Chirurgia, Pharmacia & Diæta petitis.

Ex Chirurgia Venæ ſectiones approbamus, ſed non nimis largas & crebras, niſi Æger ſanguinis profuſionibus aſſuetus ſit: nam ſanguine, ceu vitæ theſauro, nimium evacuato putamus Calidum nativum valde debilitari: rem igitur *Exc. T.* prudentiæ comittimus. Venæ ſectiones in pedibus creduntur potentiùs à pectore revellere. Hæmorrhoidum apertionem non majoris facimus, quàm aliam quamvis Venæ ſectionem cùm idem ſanguis extrahatur: quod contra *Riolanum* prolixè demonſtrat

Cl. Sle-

Cl. Slegel. de Motu Chyl. & Sang. & res ipſa loquitur. Fonticulos in brachio ſiniſtro & pede dextro utiliſſimos cenſemus. Setaceum Mercatori durum foret remedium: forte Fonticuli ſufficient. Aliàs Veſicatoria brachiis & pedibus applicita potenter quoque à capite & pectore humores ſalſos avellunt. Frictiones locum non habebunt, cùm ſanguis aliàs inflammabilis & ſpiritus nimium diſſipatu faciles ſint.

Ex pharmacia cenſemus purgantium, imprimis validiorum, uſum parciſſimum eſſe debere, tum quia ab ♄*nio* ventriculi tonus valde labefactatus fuit, tum quia φθινώδης eſt. Si omnino purgandus eſſet, id fieri poſſet ſolo Syr. Roſ. Sol. ſimpl. aut de Cich. cum Rh. Aut Recipe Fol. Sen. S.S. ʒij. Rhab. opt. ʒj. Tamarind. ℥s. paſſul. corinth. ʒij. ſem. aniſ. ʒs. Fl. bellid. min. rec. pij. Inc. & cont. coq. in aq. borrag. ℥vj. in vaſ. vitr. bene clauſo per hor. quadrant. Colat. ſine expreſſione ſumantur ℥iiij. add. Syr. roſ. S.S. ℥s. aq. cinam. ſ. v. deſt. ʒij. M. Nec à pulp. Caſſiæ rec. extr. abhorreſcimus. Mannam non magni facimus, cum adulteretur ſcammonea & ſucco Eſulæ. Juſcula alterantia, Item ſerum Lactis caprinum hepaticis, ſpleneticis & pulmonis temperatis alteratum ſummopere approbamus. Lactis etiam vaccini potu jam aliquoties in Podagricis manifeſtiſſimè cognovimus ſalſuginem ad miraculum debellari & poſt paucos dies ſal illud rubrum in urina prorſus evaneſcere: verùm dum lacte utuntur, à vino, aceto aliisve acidis penitus abſtinendum eſt: quod etiam illi monent qui curam lacteam in podagra tradiderunt. Illis qui ad Phthiſin proclives ſunt, ejusque jam primordia experiuntur commodè exhibemus manè horâ 5. *Pulv. Antihectic. Poterij* gr vij. cum aq. fl. bellid. min. aut ejus ſyrup. hora 7. matut. & Veſp. horâ 5. damus cochl. iij. Gelatinæ C. C. hujus. Recip. Raſur. C. C. ℥iij. indantur vaſi terreo vitreato: affund. aq. font. calidæ ℔ 15. bene tecta ponantur in loc. calid. per hor. 12. add. poſtea Fl. bellid. min. Herb. Numular. Veron. an n. Mj.

conſ. roſ. ℥ij. paſſul. maj. exu. ℥j. coq. lento igne ad conſumpt. partis dimidiæ: exprimatur fortiter. Colatura reponatur in locum frigidum. Poſt ſumptam gelatinam ebibat Juſculi portulac. endiv. borrag. bellid. min. aut ſimil. herba alterat. ℥iij vel ℥iv. calide. Noctu cubitum ituris, maxime ſi noctu tuſſiant, damus diacod. mont. cochl. ij. vel iij. Si ad tuſſim inanem nimium ſtimularetur jubemus mixturam ex bol. arm. or. & ſacch. penid. an. p æq. lambere crebro. Ex his & ſimilibus poſſent etiam rotulæ parari, niſi ſacchari copia ſuſpecta eſſet. Cæterum *bolus* quoque egregie reparat ventriculo tonum poſt enormes vomitus à venenoſis excitatos.

In diæta nihil immutandum cenſemus.

Cæterum Authores, qui nobis in Praxi cynoſura ſunt, quod attinet, ſunt illi qui ſanguinis circulationem, vaſa lactea & lymphatica, item ductum chyliferum detexerunt, atque hæc praxi medicæ applicare cœperunt: quales *Harveus de Motu ſanguin. & Generatione Animalium: Lovver de Corde, Glyſſon de hepat. Willis Anatom. Cerebr. Item Patholog. nova Cerebr. libri ambo verè aurei: Ejusdem de Fermentat. & Febr. Cl. Schneider. de Catarrhis* prolixus quidem, ſed qui Augiæ hoc ſtabulum egregiè perpurgavit, ac multas deliras ſententias maſculè expunxit. Perplacet quoque nobis Anatomia *Diemerbroekij. Sylvij* ſcripta non temnenda ut & *Barbetti*, quamvis non omnibus arrideant. Lectu digniſſima eſt quoque *Pharmacopæa moderno ſeculo applicanda Cl. Danielis Ludovici.* & hæc ſunt quæ nobis hac vice ſuccurrebant.

Valeas Faveasque
d. 30. Jul. 1678.

Excellentiſſimi nominis tui Cultoribus propenſiſſimis,

JOH. JACOBO WEPFERO,
CHRISTOPH. HARDERO.
Med. Doct. & Phyſicis Scaphuſian.

Scholia.

I.

ETſi præſtaret tacere quam tenuiter & ſuperficietenus de *Antimonio* loqui, in quo tot admiranda Naturæ ſcrutatoribus diligentioribus occurrunt quotidie; non poſſum tamen non quædam his inſerere, quæ tum alios tum me ad plura experimenta facienda impellere debent. *Antimonium crudum* in fruſtula majuſcula contuſum, & ab omni polline aqua frigida elotum *Cl. D. Zvvelferus* p. m. utiliter ſe cum aliis in aqua decoquendis permiſcuiſſe, ad maſſam ſanguineam lue ♀, ſcabie fœda aut ulceribus dyſepulotis affectorum emendandam, decoctum epotum nec minimas turbas ſed ſudores proficuos excitaſſe, ſæpius Patavij dum ſimul eramus 1645. retulit: id quoque Chirurgus quidam noſtras ſine damno tentavit: & nuper in *Obſerv. D. de Cheureux* ſimile decoctum obſervavit, quod tamen propter purgantia addita quendam cephalæa ♀ affectum in minore doſi propinatum nuper validè deorſum purgavit. Alias crudum in pollinem redactum vehementiſſimos vomitus concitat: novi Empiricum quendam qui *ex ♁ crudo* paucis aromatibus & ſacharo in aqua cinam. ſoluto tabellas conficiebat, quarum unam alteramve ruſticis, aliisve robuſtioribus ad vomitum ciendum in febribus intermittentibus, aliisve affectibus vomitum poſcentibus, non raro cum bono ſucceſſu dedit: nam non minus quàm *Crocus metallorum, hepar aut vitrum aut flores antimonij* ventriculum ad inverſum motum ineundum ſtimulavit. Sues à pulvere *antimonij* eſcæ permixto pinguefieri *Acta Philoſophica Anglica* teſtantur. Dum exercitus Cæſareus in hybernis in vicinia noſtra jam ab aliquot annis emoratus eſt, ſæpius è pharmacopoliis equites pulverem *antimoni crudi* petierunt;

runt, ejusque ℥ij ſingulo mane demenſo avenæ permiſcebant equique avidè devorarunt pluribus diebus, citra ullum detrimentum; imo pinguefiebant & robuſtiores evadebant, & plures ex magnatibus nobis vicinis adhuc dum in uſu habent. Nuper Veterinarius quidam loco *antimonij crudi* avenæ *Hepar* ♁ *nij* duobus equis ingeſſit quorum unum eodem die, alterum ſequenti ſuſtulit. Quantopere *Crocus metallorum, flores albi & flavi ac vitrum antimonij* Ventriculum affligant & ſæpe tantùm non totam œconomiam corporis evertant, nemo non novit, maximè ſi intempeſtivè & illegitimè exhibeantur. E contra ex *Antimonio* plura ſalutifera parantur; *Stomachicum Poterij* ventriculo gratiſſimum: *Ejusdem Antihecticum* etiam phthiſicis cum humectantibus & traumaticis utile, ♁ *Diaphoreticum* primarium nobis in febribus malignis nunc graſſantibus cum aliis præſidium *ſ.* ♁ *rubri fii*, præſtantiſſimum ſudoriferum, ut taceam *cinabarin Antimonij*, *Tincturas ejus* aliaque ſecretiora.

2. *Flores antimonii & Crocum metallorum* in Cane Hiſt. 1. & *vitrum antimonii* in catello Hiſt. 2. idem in Fœmina Hiſt. 3. Ventriculum vehementer afflixiſſe ſigna inflationis prope ſtomachum in cane & catello, ejus inflammatio conſtricto utroque orificio arctiſſimè, & in fœmina enormis vomitus & protinus ſuperveniens epilepſia, abunde teſtantur: utcunque enim ſuccuſſio convulſiva capitis in catello tardiùs eveniens negari poſſet ventriculi membrana nervea irritata, vix tamen quiſpiam inficiabitur in Fœmina epilepſiam ortam fuiſſe vehementiſſimè vellicatis partibus nervoſis ventriculi interioribus, unde Præſes ſyſtematis generis nervoſi in furias actus hos tumultus inſtituit, nam brevi poſt epotum vinum cui *Vitrum* ♁ *nij* permixtum evenit. Afflictionem procul dubio auxit orificij utriusque conſtrictio eo usque durans, donec ad mentem redeunti licuit juſcula infundere, quæ fibras relaxarunt, ſpicula *antimonii* obtuderunt,

ejus-

ejusque eliminationem facilitarunt, tandemque Vomitus & convulſiones compeſcuerunt.

3. Fœminæ ſphacelum in pede ſuperveniſſe non exiſtimo ob particulas quasdam *antimonij* venenatas ſanguini permixtas, cum plurimi hujusmodi potionibus abutentes, ejecto penitus *antimonio* nihil tale experti ſint, & forte omne intra ventriculum in fœmina perſtiterit, donec ille à juſculis quaſi elotus fuerat potius exiſtimo in primo illo graviſſimo inſultu epileptico, quo diu rigida jacuit, in pede dextro debiliore influxum ſanguinis arterioſi, ob conſtrictas fibrillas nervoſas arterias ambientes inhibitum fuiſſe, quem poſtea reſtauratis viribus & redeunte ſanguinis motu, in paroxysmo vel penitus ſublato vel ignaviore facto, Natura ad hæc loca promovere nequiit, eoque minus quia ſanguine glutinoſo & ad coagulationem prompto, ut pote cachectica, abundavit: quæ omnia admodum probabilia faciunt ingentes dolores hujus pedis de quibus adhuc ſublato pede conqueſta eſt, & abſentia omnis humoris pede prorſus denigrato.

4. Catarrhus ſuffocativus d. 15. ſupervenit, quia maſſa ſanguinea cibo & potu inſtaurata & aucta, largius ad glandulas faucium & aſperæ arteriæ allabens ſerum copioſius in illas & hæ in pulmones exonerarunt, quod excutere nequiverunt ob pertinacem accretionem cum pleura & non diu poſt mortem intulerunt, corde polypo occupato & pulmonibus alias ſanguine cacochymo infarctis, ſuffocando & debile calidum innatum exſtinguendo.

CAPUT XXI.

De Arſenico & Auripigmento.

Hiſtoria I.

AMpl: D. Cl. W. Pr. Filiolus duorum circiter annorum Menſe Auguſto 1677. febri tertiana intermittente correptus fuit, in qua nihil periculoſi animadverſum fuit; aliquando aliquot diebus intermiſit, mox rediit, nullos certos typos obſervavit: 30 Menſ. Aug. cum locum habitationis tranſirem febri citantem inveni cum inflatione ventris, non parum æſtuantem & ſiticuloſum: medicamentis congruis bibitis 14. ſept. ſatis bene habuit, atque illum à febre vindicatum parentes credebant. Paulò poſt inordinatos æſtus ſæpius paſſus cum ſiti, & licet ſubinde bene habere videbatur, nihilominus cadaver redoluiſſe matri videbatur: nunquam noctu niſi intra brachia D. Parentis dormivit. Febris quæ pridem periodos tertianæ intermittentis exquiſitæ obſervavit & aliquot diebus planè intermiſit, poſtea prorſus anomala erat, nec ulli typi animadverti poterant: nunc enim continua nunc intermittens, ſine ullo typo, videbatur. A die 1. Octobr. ſt. n. valde ſitiit duravitque ad mortem usque. d. 4. Octobr. mane catarrho cum magna anxietate & ſuffocationis metu corripitur, venter inflatur; dantur ſyr. pector. cum aq. prophylact. Barbett. à *D. Simone Schmidt Chirurg. præſtantiſſimo* unde vomuit; venter detumuit: vomitus continuavit 5 & 6. Octobr. ſudor ſubinde frigidus emanavit, ſigna torminum dedit, multum tuſſiit, non convellebatur: aliquando diarrhœam patiebatur, unde venter detumuit amplius: tum quoque ſubinde ſingultiit, valde ſitiit, æſtuavit. d. 7. Oct. *D. Schmidt* dedit lap. bez. Hoc mane D. Mater parabat aq. cordial. ex Cinamom.

namom. in aq. coct. add. Sacharo: ſingulari Dei providentia D. Maritus aliam ob cauſam hypocauſtum ingreditur & aquam hanc per colaturam D. Conjugem alloquens, obſervat in fundo vaſis ænei fruſtula candida inſtar lapillorum, & mox quid lapilli iſti ſibi velint, quærit? ajebat ſaccharum eſſe; pernegat ille, cum ſacharum in calida ſtatim ſolvatur: guſtu acrimoniam percipit: D. Chirurgus vocatus protinus *Arſenicum Cryſtallinum* agnoſcit: accerſitur ancilla, puella 17. circiter annorum, minis territa fatebatur ſe ante paucos dies fruſtulum *Arſenici* in vicino oppido W. precio à pharmacopœo redemiſſe; fruſtulum in atrio domus ſub vaſe vinario occultatum ultro attulit, & poſtea ulterius confeſſa eſt ſe portionem *arſenici* contuſi unam pulticulæ permiſcuiſſe, alteram in aquam hanc conjeciſſe: puellum parum & vix quantum duo cochlearia capiebant, reliquum Filiam adultiorem & ſororem natu minorem comediſſe: faſſa quoque eſt ſe porco d. 6. Oct. Veſperi aliquid arſenici eſcæ permiſcuiſſe, qui mane mortuus in hara repertus fuerit, atque hac ratione didiciſſe venenum hoc vehemens eſſe: poſtea nec minis neque equleo ab illa impetrari potuit num ſæpius venenum hoc puello ſuggeſſerit, præter illam vicem qua illud pulticulæ permiſcuit. Antequam in vincula conjecta fuerat dicebat quoque puello aquam ex fungi & cobalti decoctione paratam ad muſcas necandas, quandoque propinatam fuiſſe ab ancilla ſe adultiore, ſed illam ad mortem inferendam, quod unice optarint, inſufficientem fuiſſe, nam aliquando ſe ad miſellum ſuffocandum manibus os occluſiſſe: unde tandem de *arſenico* cogitarit. Aſtantes obſervarunt muſcas guſtantes aquam cordialem, qua à multis diebus Puellus reficiendus erat, protinus mortuas fuiſſe, unde aquam hanc ex fungis paratam cordiali admixtam indubie conjiciebant. Puellus poſt meridiem à ſumpta pulticula valde æſtuabat, ſitiebat, ſingultiebat, angebatur: ſudor frigidus emergebat: non vomuit: toto corpore rubicundus evaſit &

maduit, in ore aphthæ obortæ ſunt quæ primum albæ erant: poſtea nigricabant. Puella adultior & Media, ſorores, quæ reliquum pulticulæ comederunt, ſtatim vehementer vomuerunt ambæ; dedit ipſis *D. Schmid.* Theriacam andromachi, unde ſtatim rurſus & poſtea ſæpius evomuerunt: Filia natu major ſimul vermem mortuum per os excrevit, ſuaſi tunc cum *D.D. Screta* abſens hunc pulv. Recipe pulv. antihectic. pot ℨij. bez. min. C. C. phil. p p ann. ℨj ms. F. p. ſ. Hujus pulv. ℨj. ms. cum aq. ſcabioſ. ℥iij. ſyr. violac. ℥s. ms. de hac mixtura tum puello tum puellis ſæpe dabatur quantum cochl. j. capit. Item ℞. butyr. rec. ℥is. ſach. alb. ℥s pulv. memorati ℨj. ms. ſæpe portiunculam N. M. magnitudine deglutiant. Bibant emulſionem Amygd. d. cum d°. C. C. paratam: veſcantur hordeato: nihil vini concedebatur. Filia natu major diligenti horum uſu d. 14. Oct. ſt. n. extra periculum erat: minor nondum integre reſtituta erat, lingua adhuc tumuerat: ſenſim tamen poſtea his convaluit. Filiolus ſingulis horis pejus habuit, ſignaque lethalia invaluerunt ſc. extremorum frigus cum ſudore frigido, anxietate, indiciis torminum, ſingultu crebro: nunquam vomuit poſt ſumptam 7. Oct. pulticulam, ut 5. Oct. quo die *Sim. Schmidt* quoque venenum datum credidit; unde illum gravius à pulticula jejuno ſtomacho ingeſta, puellas verò quæ evomuerunt mitius afflictas putat. Puellus ſenſim viribus magis magisque evaneſcentibus d. 9. Oct. veſperi hora 7. exſpiravit. Dorſum ſtatim poſt obitum lividum reddebatur. D. chirurgus aperto cadavere & diſſecto ventriculo in ejus cavitate nihil niſi aq. cordialem reperit: ejus internæ tunicæ exulceratæ; hepatis pars dimidia gryſea & quaſi elixa: Pulmones inflati admodum atro liveſcentes; pectus aqua flava plenum: Colon totum & magna portio reliquorum inteſtinorum à gangræna atro rubentia erant: In corde, Liene & renibus nihil p. n. obſervavit.

Poſtquam facinus ancillæ veneficæ innotuit, carceri incluſa fuit:

fuit: interea diſceptabatur, Num *arſenicum* cauſa mortis Puelli fuerit?

ICTus quidam perſuaſus potius centum nocentes dimittendos, quàm unicum inſontem vita mulctandum in dubium vocavit, quod omnes credebant & res ipſa loquebatur: Putavit ille necis cauſam fuiſſe febrim diuturnam: verum demonſtrabatur febrim tertianam ſimplicem deſiiſſe aliquot diebus, rediiſſe autem febrim quandam nullos certos typos obſervantem & prorſus anomalam, atque hanc quoque intervalla ſæpe aliquot dierum habuiſſe, quam adſcribebant domeſtici aquæ muſcas necanti, puello nequiter ſuggeſtæ; quod Venefica non negavit factum fuiſſe, non quidem à ſe, ſed ab ancilla ſocia, idem confirmavit mors muſcarum ſubita, aquam cordialem dulcem omnis acrimoniæ expertem deguſtantium, atque equuleo ſubjecta fidem meruit ſe hac in re innocentem eſſe. Verum cum hæc quoque febris nondum vires adeo exhauſiſſet ut ipſi mors imputanda foret, *D. Simon. Schmidt* perſuaſus erat *arſenicum* à Venefica jam d. 40. Octobr. ſt. n. alimentis admixtum fuiſſe, cum illud ad manus haberet, virulentiæ in porco feciſſet periculum 6. Octobr. & 4. Octobr. ſymptomata Puellus pateretur tali veneno attribuenda.

. Cum & hoc per tormenta iteratò tentata non faſſa eſſet, objiciebatur arſenicum cauſam mortis ſtatui non poſſe, quoniam Puellus vix quantum duo cochlearia capiunt comederit, ſorores verò omnem reliquam comederint & nihilominus evaſerint. Itaque à Judice loci ſupremo, *Exc. D. D. Heinrico Scretæ à Zavorziz* & mihi propoſita fuit.

An Puellus duorum annorum ab Arſenico pulticulæ permixto & in non magna quantitate ſc. duorum cochlearium aſſumpto, antea valetudinarius enecatus fuerit?

Reſponſio.

UT cunque Febres tertianæ intermittentes tutæ credantur & rariſſimè lethales comperiantur, tenellæ tamen ætati in autumno quandoque poſt errores, maxime in cibando, aut in medendo commiſſos, funeſtas fuiſſe obſervatum fuit. Puello iſti diu febricitanti idem citra *Arſenici* culpam evenire potuiſſet, epota aqua muſcas necante, cùm plerunque hæ aquæ fiant fungis quibusdam & cobalto, utroque venenoſo, in aqua decoctis: & forte non negabitur liquorem hunc febrim anomalam, carnem depaſcentem, ſitim intenſam excitantem ac reſpirationem difficilem reddentem effeciſſe, unde hepar ſemielixum & & cavum pectoris ob copioſum potum aqua plenum in cadavere repertum fuerit. Verum neutri mortis præproperæ cauſam adſcribendam ſentimus, ſed *Arſenico* & quidem omnium funeſtiſſimo, ſc. *Cryſtallino*: idque ob ſequentes rationes: nam utcunque prægreſſis diebus jam occulta malignitas in Puello, imprimis die 4. & mane d. 7. Oct. à *D. Sim. Schmidt* animadverſa fuerit, non tamen ita de vita actum eſſe perſuaſi erant, ut poſt meridiem, qua certò conſtabat Puellum venenum *arſenicale* inglutiiſſe: protinus enim aderant ſigna lethalia ſc. extremorum frigus cum ſudore frigido, continuus ſingultus, ſumma virium proſtratio & cætera non niſi ſupremum diem inſtare indicantia, fruſtraneis remediis deinde hæc ſingulis horis, imò momentis ita invaluerunt, ut illa d. 9. Oct. hora 7. veſpertina ſc. hora quinquageſima quinta mors ſeu exceperit, ſeu aboleverit. Tum ſymptomatum vehementiam tum inexſpectatam & præproperam mortem *arſenico* deferendam Anatome denique probavit: repertus enim fuit ventriculus eroſus & excoriatus: totum colon & maxima pars reliquorum inteſtinorum gangræna

græna affecta conſpiciebantur. Hæc non niſi *arſenici* effectus eſſe potuerunt, nam *arſenicum*, vi ſeptica præ multis aliis valet; & licet aqua muſcas necans ſimilem gangrænam efficere valuiſſet, hanc tamen neutiquam produxiſſe vel inde conſtat, quia diu poſt illam imbibitam evenit, atque impoſſibile fuiſſet Puellum tot diebus præſente gangræna ſupervivere, cum robuſtiſſimos paucorum dierum intervallo perimat, ut obſervatur in herniis, ſi neglectis gangræna ſuperveniat. Nec obſtat quod puellus de pulticula parum delibaverit, ſorores vero totum cacabum pulticula *arſenico* intoxicata plenum exhauſerint citra vitæ jacturam: nam puellus veſcebatur pulticula vacuo ventriculo, & ingluvitum hac ultima vice detinuit ac ne micam quidem evomuit: ſorores autem ſanæ & robuſtæ pulticulam *arſenico* adulteratam ventriculo cibis impleto comederunt, & paulò poſt & ſua ſponte & theriaca Androm. ſumpta iteratis vomitibus pulticulam cum *arſenico* ejecerunt, antequam roderet: ſi quid vero læſum fuiſſet, mitigari tamen à congruis medicamentis potuit, cum puello robuſtiores eſſent & arſenici ſpicula à cibo jam obtuſa fuiſſent. Concludimus ergo & ſtatuimus *Arſenicum* à ſcelerata manu porrectum miſere Puellum intereriſſe, hisque bona fide atteſtamur.

Scaphuſii d. 19. Octobr.
1677.

Joh. Jacob Wepfer M. D.
Phyſ. Scaphuſ.

Heinricus Screta à
Zavorziz.

Hiſtoria II.

Ex Communicaione *Exc. D. D. Joh. Jodoci Cyſati Phyſici Lucernenſis* optime meriti d. 13. Januar. 1679.

F*Ranciſcus Cyſatus filius ipſius*, puer vegetus & obeſus 1671. d. 20. Maij, veſperi horâ tertiâ, in horto ſuburbano *domini Avi* poſtquam prius tria poma pro merenda comederat, veſcebatur mixtura ex *Arſenico Cryſtallino*, farina avenacea & nucleis juglandium, muribus vites arrodentibus deſtinata; poſt horæ quadrantem vomuit, expalluit cum extremorum frigore, emanante undique ſudore frigido: cor fortiter palpitavit, artubus tremuit. Domum deportato ſtatim crebro lac calidum infundebatur, quod protinus, ſed grumoſum, evomuit: ſæpius lactis potus repetebatur, quod ſemper in grumos concretum rejecit. Poſt repetitas lactis propinationes demum dedit lap. bez. cum congruo vehiculo, item el. Orvietan. Circa medium noctis inſtar mortui per quadrantem horæ & immobilis jacuit: refectus aquis cordialibus & topicis ſopitum excitantibus ſenſim convaluit. Ultra triennium poſtea, quotiescunque ventriculum paulo plus debito cibo oneravit, omnia aſſumpta evomere cogebatur: unde emaciatus & gracilior minusque agilis reddebatur: verum & hoc ſymptoma evanuit. Nunc optimè valet & robuſtus eſt, literis deditus ſurgit in magnam ſpem Celeberrimi domini Patris.

Hiſt. III.

Hiſtoria III. IV. & V.
Ex Communicatione Ejusdem *Exc. D. Cyſati.*

DUæ Puellæ de *Arſenico cryſtallino* butyro permixto comedentes ſtatim vomuerunt. *Exc. D.D. Cyſatus* vocatus protinus lac iteratis vicibus propinavit & poſtea Lap. bez. & El. orvietan: ambæ convaluerunt, nullo ſymptomate ſuperſtite hodieque ſanæ vivunt. Alia puella ſimiliter incautè devorato *arſenico*, toto die vomuit: neglecta per triennium morboſa ſupervixit ac tabida ex febri, cujus indolem nemo agnoſcere potuit, tandem obiit.

VI.
Ex communicatione *Exc. D. D. Franciſci Reinardi Phyſici & Senatoris Solodurenſis graviſſimi.* d. 27. Maj. 1679.

F*ilius ipſius* trium circiter annorum, tempore autumnali poſt prandium improvide comedit *de Arſenico Cryſtallino*, nucibus minutim conciſis mixto, ad mures enecandos in angulo conclavis ſepoſito: quantum inglutierit, ignorabatur. Statim ab hac mixturâ comeſta de ardore linguæ conqueſtus eſt, illamque longe exſeruit: mater ad ignem hunc exſtinguendum acinos uvarum recentium maſticandos dedit, ignara mali & devorati veneni. Mox in lectum locabatur, ſtatim indormivit atque expalluit; poſt 2. circiter horas ab aſſumpto veneno & ſomno inito expergefactus, nigra evomuit: expalluit cum frigore totius

intenſo & ſummo languore. *Exc. D. Parens* ſtatim ori butyrum rec. cum bezoar. miner. gr. v. indidit, quod deglutiit crebroque repetiit ad horam 10. veſpertinam, adeo ut ultra drachmam bezoard. min. huc usque inglutierit: cum illud amplius deglutire non poſſet, infudit aquam theriacalem. Poſt decimam noctis huc usque frigidiſſimus primum circa fontanellam, ſeu circa concurſum ſuturæ ſagittalis & coronalis calere cœpit; poſtea intoto corpore valde incaluit, imo æſtuavit ad horam 12. diei ſequentis, ſine ullo tamen ſudore. Integre convaluit, coloratior evaſit, antea pallidus, optime habuit, vivitque adhuc ſanus & vegetus.

VII.

Ex communicatione Ejusdem *Exc. D. D. Reinardi*

EOdem menſe Filiolus D. I. T. de ſimili mixtura *arſenici* & juglandium incaute comedit, ætate & viribus priori non impar. Parentes inconſultis Medicis theriacam androm. iteratis vicibus ſuggeſſerunt. Verum fruſtra & ſine ullo levamine ſymptomatum quæ patiebatur; nam quarta hora à comeſto veneno exſpiravit.

VIII.

Ex communicatione Nob. D. D. Heinrici Scretæ à Zavorziz.

PUellus undecim menſium matre natus ad iram prona, quæ qùum propter abortum, difficilem partum ac fœtus mortuos

tuos bis de-vita periclitaretur, nuper noſtram implorans opem huncinfantem debito tempore ſalvũ Lucina favente enixa eſt: hic per totum & , quo auram exteriorem habebat, tempus ſatis ſanus vegetusque vixit, nutrimenta tenellæ huic ætati convenientia ſemper ac lac maternum aliquamdiu cum appetitu ſumſit, unde juſtum corporis membrorumque incrementum ac robur acquiſivit. At quùm præterlapſis aliquot diebus à matre culinam petente, ad feneſtram ſupra ſcamnum in ſedili poneretur, ibidemque forte fortuna aſſerculum pigmento librorum viridi, ex ſandaracha ac glaſto indico compoſito, infectum prehenderet, ac cum iſto aliquamdiu luderet, neſcio quo facto inſons puellus illud ori admovit, ejusdemque angulum colore tinctũ linxit, unde fere tota facies una cum linguâ virore conſpurcabatur, quem quidem mater mox rediens, quoad potuit, abluebat; attamen quia aliqualem ejus partem infans jam deglutiebat, ſtatim æſtus ac ſitis immanis cum appetitu omnino proſtrato ac vomitibus frequentibus illum invaſit: & quia hæc ſymptomata à dentitione ortum habuiſſe credidere, ideo poſt quartum demum diem me, ut medicam manum adhiberem, arceſſerunt; ferre potuit remedium internum, & quæ prius ſtatim poſt commiſſum errorem, profuiſſent, lac tepidum ac oleum amygdalinum dulce, nunc vix deglutita rejiciebantur; mixturæ etiam cardiacæ ac antiſpaſmodicæ fruſtra datæ ſunt, convulſiones enim ingraveſcentes omnem illi deglutionem interceperunt, à quibus & venter una cum ſtomachi regione & pectore quoque valde intumuerunt; per alvum glande prius ſolutam, copia fœtidæ ac bilis colorem æmulantis materiæ ejecta fuit; ex ore autem una cum ingeſtis, gurges blennæ tenaciſſimæ decoloris, nullis quod obſervarim ſtrigmentis cruentis maculatæ, prodiit; vomitus externis itidem fruſtra, cum externa non ſuccederent, compeſcere ſtudui; ſpatio diei naturalis tres quatuorve aquæ menſuras ebibit, quam mox iterum vomitu rejecit, con-

ſiones ſimiliter omnes corporis partes magis magisque, nobiliſſima præſidia, eludendo, ita diſtorſerunt, ut tandem ſexto morbi hujus venenati die exſpirarit, animaque tenella ac inſons creatori ſuo reddita ſit. Cadaver ob ſonticas cauſſas non diſſectum eſt.

Hiſtoria IX.

NOb. D. J. H. H. J. U. L. Pr. E. Filiola nondum quinque annos nata. 1679. d. 23. Januarii ſaniſſima extra ædes paternas in aliena merendam ſumpſit: ad ſeram veſperam hilaris manſit & noctu petulantior, ut à Matre increpanda fuerit. Poſt ſeptimam lectum petiit: circa undecimam noctis ſubito exclamare & ejulare cœpit, ac imprimis de ardore intenſiſſimo abdominis conqueſta eſt, acceſſerunt tormina, abdomen intumuit; vomuit, ſingultiit. d. 24. Januar. ſurſum deorſumque nigra fœtidiſſima excrevit. Ardor, tormina & ſingultus continuarunt cum ſiti intenſiſſima; ſolum aquam petiit: omnia alia potulenta, item cibum & medicamenta reſpuit. Eadem patiebatur 35. Januar. ſupervenerunt convulſiones terribiles; quando ceſſarunt, vagiit & vermem mortuum evomuit. Perrexerunt convulſiones, vomitus & dejectiones fœcum nigrarum ad 27. Januarii, quo ſummo mane exſpiravit non ſine ſuſpicione clanculum ſuggeſti veneni.

Hiſt. X.

FR. G. Filiolus quatuor annorum & filiola annum ſupergreſſa; utraque proles ſaniſſima & facie roſea. d. 3. Mart. 1679. mane ante octavam pro jentaculo comederunt juſculum ex lacte, de

quo

quo pridie in cœna ſine ullo nocumento veſcebantur, nam tota nocte dormierunt maneque alacres erant. Circa decimam antimeridianam angi & vehementer vomere continuo cogebantur: Puella jam convellebatur ſimulque aliquoties alvum ſolvit. Ante undecimam vocatus ſtatim lac aqua tepida dilutum cum ol amygdal. dulc. ſæpius propinavi: Puella avide bibit, unde brevi vomitus, anxietas & convulſiones ceſſarunt ac quietior evaſit: Puellus vix ad potum adigi poterat, unde vomitus vehementior ad primam pomeridianam continuavit: tandem precibus & pretio victus largiter bibit: evomuit mox lac coagulatum cum muco partim pellucido & coloris experte, partim flavo. Anxietas multum remiſit. Poſtea ſumpſerunt ſub inde quantum cochlear capit de hac mixtura: ℞ Aq. borrag. ſcabioſ. card. bened. ann. ℥is Bol. arm. or. T. S. or. ann. ℈j uni corn. foſſil ℈j. L. bez. occid. ℈s tab. man. chr. perl. ℥s. Puella hora 4. pom. ſubinde ridebat ac cum matre ludebat. Puellus adhuc quandoque vomuit; vegetior tamen erat: nunc erubuit. Puella poſt 6. veſp. rurſus mucoſa cum grumis lacteis evomuit: Puellus bis gryſea & ſpumea per alvum excrevit. Ante vomitum facies utrique plumbea quaſi & frigida erat, frons ſudore frigido maduit: à vomitu facies rubicundo colore ſuffundebatur & toto corpore incaluerunt. Poſt ſeptimam pultem ex lacte comederunt. Nocte mediocriter dormiverunt. d. 4. Mart. bene ſe habuerunt. Poſtea indies amplius convaluerunt citra ulteriorem uſum medicamentorum. Puellus diu poſtea lac & omnia lacticinia averſabatur; minus quam ſolebat appetiit, ſiticuloſior erat ac macilentior reddebatur, alvinaque fæces diu ſummopere fœtebant. Puella extra lectum frequenter expalluit: ſuffulta nec ſtare nec incedere amplius voluit. Neglecto medicamentorum uſu nihilominus convaluerunt vivuntque huc usque optime.

Ex communicatione *Nob. D. Joh. Conradi Pejeri.*

Hiſtoria anatomica fœminæ, veneno, ut ferebat ſuſpicio, peremtæ.

DIe 27. Decembris 1676. in Xenotrophio cum *D. D. Matthæo Hardero* diſſecui fœminam 25. ut exiſtimavimus circiter annorum, pingui robuſtoque corporis habitu & magno præditam, capillis fuſcis aut ad nigros vergentibus & ſubcriſpis. Moriebatur repentè cùm antea putaretur ſana. Poſtquam enim noctu cùm aliquot Gallis in eodem conclavi decubuiſſet, ab iisque potum quendam propinatum hauſiſſet, poſteris diebus in Xenodochium rediens de maxima præcordiorum anguſtia querebatur, pauloque poſt cruorem ex ore fundens vitam quaſi ſuffocata finivit. Quoniam verò nec Medicus ad eam fuerat accerſitus, ut opem ferret; nec adſtantes ſymptomata & querelas ejus accuratè obſervarent, idcirco de morbi aut mortis genere non certo definire quidquam poſſumus: id tamen relatum nobis fuit, ipſam cordis anguſtiam & concuſſionem, atque adeo mortis culpam, in potum à Gallis propinatum rejeciſſe. Ut autem viſcerum conſtitutionem noſſe daretur, cadaver ejus diſſecuimus: apertoque abdomine notavimus ventriculi dorſum & pylorum univerſum extrinſecus admodum fuiſſe infectum bile ex veſicula eò trans ſudante, à qua etiam pylori fibræ jam corrodebantur. Idem ventriculus flatu plurimum diſtentus tumebat, qui ex eo facta inciſione cum impetu erupit: intus continebatur amurca nigra, cruenta & mucoſa. Cruſta ventriculi villoſa alicubi deraſa & mucus interior omnis à parietibus deterſus

verſus erat. Pylorus exacte fibris ſe conſtringentibus claudebatur. Inteſtina tenuia, nempe duodenum & ileum quatuor in locis prorſus rubicunda ac inflammata atque in gangrænam prope converſa reperimus: eodem ferè modo, ut in Dyſenteria fieri aſſolet. Hepar pulcrè admodum rubebat, nec vitii quidquam in eo animadverſum eſt; niſi quod bilis in ejus veſicula valde acris & cauſtica videretur. Neque in reliquis abdominis viſceribus labes ulla adparuit.

In Thorace Pulmones adhuc aëre ſemi-pleni extumeſcebant, proinde ut ultimo halitu aërem non omnem efflaverint. Iidem à ſanguine ſtagnante & quaſi ſphacelato ſeu corrupto nigricabant. Invenimus quoque in ſiniſtro pulmone lapillum ſeu calculum durum fabæ magnitudine. Cordis ventriculo dextro inerat Polypus craſſus ex albo rubeſcens: reliquam pectoris & pericardij cavitatem implevit aqua turbulenta & ſanguinea carnium loturæ ſimilis, quantitate unciarum circiter octo. Præter hæc nihil amplius inveſtigare vacabat. Advertimus inſuper cruorem in vaſis ſanguiferis plane atrum ac velut aduſtum fuiſſe. Partes generationi dicatas ſeorſim poſtero die in ædibus Exc. D. D. Harderi examinavimus, quas tamen nullo laboraſſe vitio comperimus. [Ovula in his manifeſtè conſpici potuerunt, quibus uterque Teſticulus ſcatebat. Tubarum extremitates patebant laciniis plurimis ornatæ: flatus immiſſus per eas in uterum more penetravit eumque diſtendit. Cavitati uteri nil niſi muci pauxillum inerat. Orificium internum hiabat.]

Hiſt. XII.

CAnis invito Domino veſcebatur ſebo, cui *Arſenicum* permixtum erat, d. 15. Jul. 1676. d. 16. Jul. mortuus. *Doct. D. A-lexander*

lexander Stokarus φιλίατρος cadaver aperuit. Circa ſtomachum in ventriculo ſuperficiem rubram & inflammatam invenit, ibique ventriculi tunicas tenuiores debito: In fundo ſtagnavit amurca vappæ ſimilis, fœtida, cui ſævi conglobati fruſtula immiſcebantur. In fundo ventriculi & circa pylorum nullum inflammationis veſtigium vidimus. Inteſtina tenuia tribus inlocis perroſa erant, duobus inlocis perforata ut facile faba transmitti poſſet: alibi ulcus pervium facile pollicem admiſiſſet. Cavum abdominis continuit ichorem flavum, cruore tinctum cum amurca inteſtinorum contentis ſimili. Pectoris cavum implebatur ſanguine grumoſo obſcuro. Ambo cordis ventriculi, Venæ majores & ſinus tertius cerebri quoque infarciebantur ſanguine nigro grumoſo.

Cl. Joh. Faber Lynceus in Expoſit. Animal. Nov. Hiſpan. p. m. 475. Cani drachmam *Arſenici* dedit, Antidoti probandæ gratia, confecta ex ſerpentum pulvere, multum tunc de prædicatæ. Antidotus nihil profuit. Canis poſt plurimas vomitiones mortuus concidit. Aperto abdomine ventriculus amplus admodum apparuit: intus rugæ & vibices atro ſanguine ſubducti. Exiſtimat quod plus pinguia ad virus *arſenici* debellandum profuiſſent, quam antidotus ex ſerpentibus parata: Romæ enim juvenem robuſtum curavit, qui *Riſagalli* pulverem in chartula repoſitum loco cinamomi pulmento inſperſit ac comedit, unde tormina & vomitus moleſtiſſimos paſſus eſt. Medebatur ipſi Philonio Roman. & Mithridatio cum juſculis pinguibus & lacte copioſe exhibitis: his feliciter priſtinæ ſanitati reſtituebatur.

Hiſt. XIII.

Ex communicatione *Exc. D. D. Joh. Jacobi Harderi Baſil: & Prof. Publ. Celeberrimi* d. 22. Febr. 1678.

PUellæ phthiriaſi capitis affectæ 12. annor. circiter, *arſenicum* loco coccularum, butyro permixtum, per errorem capiti illinebatur: ſtatim〈que〉 oborti ſunt ſæviſſimi dolores. Pharmacopœus, cujus famulus ob germanicorum vocabulorum affinitatem deluſus loco veneni contra pediculos, dedit mures necans, ſuadet caput aqua perluendum eſſe. Verùm fruſtra, imò ſupervenerunt vigiliæ, totius capitis intumeſcentia, deliquia, inappetentia, febricula, delirium. Vocatus tardiùs *Exc. D. D. Engelmann* ſuaſit alexipharmaca, verùm & illa fruſtranea erant, fortè quia ſeriùs exhibebantur, venenatis atomis jam ſanguini permixtis. Sexto die ab inunctione puella mortua eſt.

Scholia.

I.

A*Rſenicum* mineralibus imperfectioribus accenſetur; Verùm quia nec aurum nec argentum aliudve minerale fixius eſt, quoniam eſt creatura ſui generis, à Creatore Opt. M. ad univerſi complementum producta, omniaque obtinet & pertinaciter ſervat, quæ ei in prima rerum omnium creatione concredita fuerunt, malè videtur imperfectionis alicujus incyſari; neque enim chamæpitys, quia non eſt pinus, ex vegetabilium perfectorum numero ceu fungus, expungitur, aut prunus quia

non eſt pyrus arbor eſſe deſinit. Ludit in mirabili quoque mineralium varietate æterna ſapientia & quodque illorum peculiaribus, & ſibi propriis virtutibus dotatur & ſui generis ſubſtantia exiſtit; quas dum quidam immutare ac contra imperium Omnipotentis Conditoris exaltare conantur, merito temeritatis impiæ pœnam luunt & omnium ſuorum, quandoque etiam alieni æris jactura, ſe ludibrio exponunt, vixque infamiam declinant. Eſt quidem factitium atque ex ſublimatione cum ſale communi cryſtallini nomen adipiſcitur, originem tamen ſuam debet *ſandaracha* & *auripigmento* & quicquid poſſidet illis maximam partem debet. Hæc ſulphureæ naturæ eſſe experimentis cum *Exc. D. D. Heinrico Screta* facile comperi: indita tigillo, aut cochleari ignito, primo emittebant fumum album, mox turbidum & ſubflavum, tandem flammam conceperunt; inſtar ceræ liquefactæ fluxerunt; cultri laminam obduxerunt denſe flores albi, lutei, rubri, iridem quandam referentes: ejus apicem ſubſtantiæ ceræ aut vitro colliquato ſimili immerſum obduxerunt ſeu vitro, ſeu lapide rubinum referente, quod etiam obſervavit *Exc. D. Joh. Frideric Hoffmann. in Glav. Schröderian.* Continuato igne omne auripigmentum & ſandaracha evanuit, relictis in fundo arena & lapillis prorſus inſipidis. *Arſenicum* itidem cochleari & tigillo inditum totum evanuit, adeo ut nec veſtigium ejus in fundo ſupereſſet; laminam cultri floribus albis denſis obduxit; & utcunque denſiſſimus fumus confertim exſurgeret, nunquam tamen flammam concepit: unde ſulphuris expers credidimus ac putavimus, quicquid hujus habuerit in ſublimatione cum ſale amiſiſſe. An ſalinum eſſet hoc experimento inquirere libuit: Fruſtum *Arſenici* cryſtallini pondere drachmarum novem cum dimidia, in aquæ fontanæ libris tribus ad conſumptionem ferè partis dimidiæ decoxi: antequam ebulliit & poſtea inter ebulliendum ex illo ſurgebant bullulæ crebræ: in principio ebullitionis aqua erat ſubdulcis & adſtrictionem

nem ſine morſu in lingua poſt ſe relinquebat: continuata ebullitione aqua flavior evaſit, acidiuſcula cum adſtrictione ſine morſu aut acrimonia quæ alicujus momenti eſſet. Fruſtum exemptum & ſiccatum pendebat drachmas ſeptem cum dimidia, adeo ut drachmæ duæ in aqua ſolutæ fuerint, vel exhalarint; manſit quidem ſedimentum furfuraceum in fundo vaſis illudque flavum, ſed pauciſſimum atque leviſſimum. Inde concluſi ſalini aliquid ineſſe. *D. Joh. Kunkel. in Obſerv. Chymicis* cedro dignis c.3. p.40. *Arſenicum* ſulphureum eſſe negat, non ſolum propterea quia nullam flammam concipit, ſed præcipuè quia aqua forti ſolvitur: illud non ſine rationibus mercurio adnumerat: Vid. l.c. *Cl. D. Joh. Joachim Becher in ſupplem. II. Phyſic. ſubterr. p. 48. §. 104.* ☿ale quid in *arſenico* agnoſcere videtur: *§. 161.* tamen naturæ ſaponatæ putat, ſc. ſalinæ & ſulphureæ: ſalinæ, quia in aqua ſolvitur. Metalla influxu ſolvit: unde non immerito aqua fortis coagulata vocetur, ſulphureæ, quia ſulphur olet, flam̄am concipit & oleo ſolvitur; quæ tamen protinus de auripigmento intelligenda videntur.

III.

Arſenicum male audit apud Metallurgos & Alchymiſtas, eſt ipſis Fulgur, prædo & metallorum ſterquilinium: deteſtantur illud plurimi medici & chirurgi dogmatici, adeo ut facile illo pharmacopolia carere poſſent: Exſtat quidem decoctum quoddam *Arſenicale febrifugum* præſentiſſimum, cujus deſcriptionem ab *Exc. D.D. Joh. Rudolfo Burckhardo Prof. Med. Baſil. Celeberrimo* obtinui, de quo multo quoque ab *Exc. D.D. Franciſco Reinardo Phyſ. & Senatore Solodurenſi* accepi: at nollem illam publici juris fieri, ne imperitis aut temerariis nocendi anſam darem, eoque magis cum tot febrifuga tutiora & efficaciora habeantur. Commendantur pulveres, olea & liquores ex *arſenico* parati contra cancros, ulcera ſerpentia, fiſtulas, excreſcentias carneas

& ſimilia vitia. Et quamvis norim cancro mammarum liquorem *arſenicalem* illitum & pulverem cancro inguinum inſperſum nullam leipothymiam, cordis anxietatem ſimiliaque ſymptomata excitaſſe, ſecus ac *Cl. Fabrit. Hild. Cent. 6. Obſerv. 79. 80. 81.* obſervavit, nihilominus tamen vix in his affectibus ad præſidia *arſenicalia* properarem, cùm peſſima ſymptomata, tum in ſano amuleti vice geſtatum, apud *Ampl. & Exc. D. Bernhardum Verzaſcham*, tum in puella Hiſt. 13. ab *Exc. D. D. Joh. Jacobo Hardero P.P. celeberrimo* communicatâ, foris illitum pepererit. In cancroſis non graviora quidem ſymptomata aliquando excitavit, quia copioſus ichor vim illius infregit & caro illa cancroſa denſior, virus ulterius ſerpere prohibuit: at in puella & Mercatore particulæ facilè à venis reſorptæ & ſanguini permixtæ graves tumultus concitarunt. Quid in aliis ulceribus, fiſtulis, cancroſis affectibus *Arſenicum* effecerit, nolo huc omnia congerere: interea me ab illius uſu abhorrere ingenuè fateor, quantumcunque *Arſenicum* neſcio quomodo fixatum deprædicetur. Si caro luxurians, aut prava ex ulceribus pullulans, aut callus in fiſtulis auferendus, non deerunt alia tutiora, cui mediocriter materia medica perſpecta eſt: & licèt in cancroſis affectibus rodentia nunquam proficua ſint, nec magis quam *arſenicalia* juvent, minus tamen, ſi omnino unquàm exigantur, nocebunt. Parotidem intempeſtivè exulceratam ſordidam & aliquid cancroſi minantem, & fungum in parte interna femoris non procul à genu pugni magnitudine, à carne luxuriante liberavi butyri ♁ nij illinitione iteratis vicibus, ulceraque poſtea feliciter congruis adhibitis cicatrice obduxi. Carnem luxuriantem & callos egregie aufert *Lapis infernalis*, quem *Cl. D. Glaſer. in Chymia* deſcribit: plura occurrent apud *Fallop. Oper. T. 2. de Ulcer. c. 13. & de Cauteriis peculiari libello*, ubi inter alia *arſenico* prudenter utendum monet. Iſtud ſatis mirari non poſſum, quòd quidam *Arſenicum* venenum negare auſint, cùm in parva quantitate brevi tempore

ſugge-

ſuggeſtum enecet non ſine ſæviſſimis ſymptomatibus, niſi maturè evomatur, aut virulentia ejus citiſſimè retundatur. In Hiſt. I. Puellus poſt 54. horam vivere deſiit. In Hiſt. II. III. IV. VI. imprudenter Arſenicum devorantes vix & non niſi poſt diligentem medicamentorum debitorum uſum lethum evitarunt, qua ratione quoque Hiſt. X. Puellus & Puella mortem effugerunt: Puella vero Hiſt. VII. quam ſolius theriacæ uſu Parentes rerum medicarum ignari ex mortis faucibus eripere conabantur, horâ quartâ poſt ſumptum venenum mortua eſt. Canes Hiſt. XII. poſt ingeſtum venenum non diu ſupervixerunt. Diutius quidem vita Puero Hiſt. VIII. & Puellæ Hiſt. IX. prorogata fuit, illi ad d. 6. huic ad principium 5. diei: at miſerrimè vivebant, perpetuo ſc. cum ſæviſſimis ſymptomatibus conflictantes & procul dubio, ſi cadavera aperta fuiſſent, partes internæ non minus corruptæ inventæ fuiſſent, quàm in Puero Hiſt. I. & fœmina Hiſt. XI. & in canibus Hiſt. XII. Puella Hiſt. VI. Hectica demum anno tertio variis & anomalis febribus exagitata mortua fuit, cujus viſcerum uni alterive labes inuſta fuit, ut nunquam plenè convaleſcere potuerit: qualis verò & ubi latuerit, indicare nequeo, cùm Hiſtoria non integra tradita fuerit. Aliàs novi quendam à clanculum ſuggeſto veneno tabidum, cum pedum tumore œdematoſo, fere tanto temporis intervallo excruciatum interiiſſe: In cujus cadavere circa pylorum carneas excreſcentias inveni: Hiſtoriam, Deo volente, integram obſervationibus Anatomicis & Medicis de Ventriculo aliquando publici juris faciam. Cæterum apud *Cl. Amman. Med. Crit. caſ. 80.* Arſenicum *& caſ. 98.* ſandaracham Venena apertè *Alma Fac. Lipſienſ. Medic.* pronuntiavit.

III.

Arſenicum intra ventriculum admiſſum virulentiam ſuam primùm exſerit pungendo, vellicando, irritando, unde vomitus

& anxietas cum ſudoris frigidi expreſſione oriuntur ut duabus Puellis Hiſt. I. Puero Hiſt. II. duabus Puellis Hiſt. III. & IV. Puero Hiſt. VI. Puello Hiſt. VIII. Puellæ Hiſt. IX. Puero & Puello Hiſt. X. evenit. *Cl. D. Kunkelius l. c. p. 43.* *Arſenicum* vomitum per ſe ciere aſſerit, nam cani ſcrupulum dedit, quod vomitum egregie movit, illeque nihil ulterius paſſus eſt, quod forte pinguibus quoque tribuendum, quibus ipſi poſtea ſuccurrit: ibidem ſtatuit *Arſenicum* gradu uno in corrodendo inferius mercurio exiſtere, unde facilius quam Mercurius ſublimatus è corpore eliminari poſſit. Cani in Hiſt. III. De Nuce Vomica, *Arſenici & Auripigmenti* anaſcrupulus dimidius cum mica panis in bolum redactus, plane nullas turbas dedit p. 203. ſuperius nec punctula rubra in una areolarum reperta gravioris mali indicia erant, nec vel ob hæc vel ob reſtantes *arſenici & auripigmenti* particulas mortuus fuiſſet, niſi inſuper nux vomica ingeſta fuiſſet p. 207. Si membranam nerveam ventriculi & inteſtinorum irritare aut fortius vellicare perrexerit, efficit tormina, ut in puella Hiſt. IX. cordis palpitationem lepothymias, ſyncopes, frigus extremorum, ut Hiſt II. Hiſt. VI. Præſide ſyſtematis nervoſo ad conſenſum pellecto ſuperveniunt convulſiones, ut in Hiſt. VIII. IX. X. in puella XI. in fœmina. Si *arſenici* ſpicula propè ignea perruperint tunicam cruſtaceam linguæ, apparent aphthæ, ut in puello Hiſt. I. In ventriculo ulcera, ut in puello Hiſt. ejusdem, maxime ſi tranſeant ad membranam nerveam: ſi fibrillas nerveas & vaſa capillaria adurat, abrumpat, aut nimium ſiccet, ut ſanguinis refluxus: aut affluxus impediatur, ſuperveniunt vomitus & dejectiones nigræ, fœtidæ, cadaveroſæ, ingens ardor & ſitis, ſingultus ab eroſione vaſorum, inflammatione & gangræna aut ſphacelo prædictarum partium, quæ conſequitur mors violenta, ut evenit puero Hiſt. I. aliis Hiſt. VII. VIII. IX. Fœminæ Hiſt. XI. Canibus Hiſt. III. Nullus dubito quin quoque *Arſenici* particulæ à fermento ſtomachi

& in-

& inteſtinorum imbibitæ ſanguini permiſceantur, quæ ſymptomata plurimum augent ac magis perniciosa faciunt, dum ſanguinem accendunt, ſpiritus depopulantur, ut puellæ Hiſt. XIII. accidit, cui ſolum caput *Arſenico* butyro permixto illitum fuit: nam *Arſenicum* omnino aliquid ſalini continet, & præterea admodum volatile eſt, unde facile aliquæ particulæ ab illo caloris noſtri efficacia, accedente humore quodam intermedio, ſeu è cuti excoriata ſtillante ſeu ex poris ejus exſudante ab ripi ac ſanguini refluo immiſceri poſſunt: ut mercatori contigit in *Obſerv. Exc. D. D. Verzaſchæ* citata. Phænomena quæ in febri maligna caſtrenſi populariter graſſante obſervantur, *Nob. D. D. Heinricum Scretam* permoverunt, ut ſtatuerit in *libr. de Febr. hac Caſtrenſi ſ. r. c. 7.* ejus cauſam proximam magnam affinitatem habere cum *arſenico*; aſſertum hoc pluribus rationibus l. c. ſtabilivit, & acceſſione plurimarum obſervationum ulterius in editione latina quam meditatur probabit.

IV.

Lac in puero Hiſt. II. in duabus puellis Hiſt. III. & IV. & cum ol. amygd. I. Hiſt. X. in puero & puella & in Juvene Hiſt. XII. *arſenici* ſpicula ita obtudit, ut gravius nocere nequierit, quod theriaca VII. præſtare nequiit: Quod vero duabus puellis Hiſt. I. profuit id per accidens factum, nam ventriculum cibo refertum habuerunt. Infregit quoque ejus vim butyrum cum Bez. min. Hiſt. VI. Retulit mihi nuper *Excell. D. D. Joh. Antonius Bertholinus Taurinenſis, Medicus Celſ. Reg. Sabaudiæ & nunc ordinarius Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Marchionis de Greſſi ad Helvetios Legati*, venenum quo veneficæ quædam Romanæ ſub impio pietatis fuco gravem ſtragem ediderunt, & ſub Alexandro VII. diri facinoris meritas pœnas luerunt, *Arſenicale* fuiſſe, quod *Aquettam* appellarint: huic ſimilem eſſe Pariſienſium, in quas nunc merito pari ſeveritate animadvertitur: ad-

didit

didit aquam hanc præter alios pernicioſos effectus primum intenſiſſimam febrim, & vix exſtinguibilē æſtum excitaſſe,ac compertum caſu fuiſſe ejus præcipuum & prope unicum Alexipharmacum ſuccum citri eſſe. *Exc. D. D. Verzaſcha* mercatorem ab Amuleto arſenicali vindicavit inunctione ol. ſcorpion. Matthiol. potione ſudorifera ex theriac. dioſcord. fracaſt. & electuario cardiaco, de quibus V. l. c. Memorabile eſt quod tradit *Cl. D. Kunkel. l.c.* nimirum cuidam tenellæ ætatis contra pediculos ſuaſum fuit linim. ℞. ☿ dulcis ℥j. ☿ vitæ ℈j. Ung.pomat. ℥j. Pharmacopæus imperitus loco ☿ dulcis,permiſcuit ☿ ſublimatum: inde caput valde intumuit cum inflammatione,ut brevi inſonti pereundum fuiſſet,niſi à Med.Licentiato intellexiſſet præſentem antidotum lixivium forte eſſe: quo cum linteo applicito quoque brevi convaluit, ita tamen ut capilli exciderint. Idem contra *Arſenicum* valere innuit l.c.

Caput XXI.

De Mercurio.

Hiſtoria I.

CAni d. 16. Dec. 1675. ante primam pomeridianam *Mercurij ſublimati* ſcrupulum dimidium carni involutum exhibui,quem avidè devoravit: paulò pòſt ſurſum deorſumque purgabatur: vomitu rejecta ſpumea & viſcida mucoſa erant: fæces alvinæ pultaceæ & ſubflavæ. Alium bolum ex carne objectum citra *mercurij* inquinamentum odorobatur, attamen deguſtare noluit. Pedibus & ore ligatis, cane ad latus inclinato, abdomen in latere ſiniſtro incidi, prorupit ſtatim ventriculus admodum inflatus cum inteſtinorum portione: diu

intentus

intentus eram ad ventriculi contractionem : fiebat lentiſſime, incipiens ferè à pyloro, aut ejus antro : quandoque in medio à fibris circularibus corrugabatur : contractis fibris rectis ſulci ſuperficiarij ſecundum longitudinem, in fundo imprimis, exporrecti conſpiciebantur : preſſo ventriculo flatus per os elidebantur ; mox tamen rurſus flatibus impletus fuit : Injecta aqua calida per gulam in ventriculum iteratis vicibus ; ſemper illam cum muco & ſpuma rurſus evomuit : in hoc actu ventriculus non admodum contrahebatur ; at diaphragma valdè ſuccutiebatur ac ſi illud cum muſculis abdominis vomitum plurimum promoveret. Inteſtinorum motus periſtalticus itidem lentus fuit. Utcunque canis parum comederit diebus prægreſſis, nihilominus venæ lacteæ in conſpectum venerunt, quibus circa pancreas *Aſellij* preſſis, noduli prominuerunt: Receptaculi quoque chyli portio trans diaphragma cum ductu thoracico chylo plena apparuit : eâ ſauciata chylus promanavit, cujus ſuperficiei, oculi, ut loquuntur, pingues innatabant, ut juſculis carnis pingujuſculis. Inflatum ductum propè inſertionem bifurcatum inveni. Cane jam diu emortuo, repetitis inflationibus ductus thoracici, cor intumuit ac paulò pòſt auricula dextra aliquandiu verâ ſyſtole & diaſtole moveri incepit : ſimilem motum obſervavi in crure diaphragmatis, muſculo ſubclavio & in gula prope ſtomachum, qui nullo modo palpitans erat, ſed ex vera conſtrictione & relaxatione fibrarum compoſitus & alternans ; ac ſi ab inflatione ſanguis adhuc in vaſis ſtagnans per arterias huc propulſus fuiſſet, & ſpiritus animales ſimul ulterius urſiſſet, vel vegetaſſet : nam aër per ductum thoracicum inflatus non ſolum ad dextrum ventriculum, ſed etiam ad ſiniſtrum pertigit, unde totum cor intumuit, arteriæ coronariæ implebantur, imo pervenit ad cerebrum, cerebellum, meninges, ipſosque ſinus duræ meningis, quod apertè oculis uſurpare licuit. Ventriculum cum portione gulæ & duodeni totum exemi : illo à ſtomacho ad pylorum

inciſo inveni unicum bolum carnis & mucum ſpumeum copioſum: eo deterſo nihilominus ſuperficies mire anfractuoſa protinus novo muco pellucido oblinebatur: nullum ulcus obſervavi: ſtomachus amplus erat; pylorus multo anguſtior & conſtrictior, vix parvum digitum admiſit. Circa finem gulæ & circa ſtomachum aderant inſignes fibræ carnoſæ circulares, ſub limbo pylori in duodeno rubro & quaſi inflammato hæſit mucus croceus. Ventriculum ſuperne diviſum maceravi fervida: tunicam fibroſam à nervea unguibus facile ſeparare potui: nimirum fibras rectas & circulares ſe decuſſatim inter ſecantes; externæ rectæ, internæ circulares; utræque junctæ fibrillis obliquis & perpendicularibus: Circulares circa pylorum ejusque antrum & circa ſtomachum craſſæ & robuſtæ. A tunica fibroſa ad nerveam plurima vaſa ſanguifera & nervi emittebantur, vaſa ſanguifera inplexum reticularem dirimebantur, nervi in tunicam nerveam expandebantur. Ablata tunica fibroſa anfractus omnes obliterabantur. Abraſa tunica cruſtacea ſeu mucoſa cultri manubrio, aliquot oſcula rotunda apparuerunt, per quæ mucum tranſudaſſe arbitrabar; cæterum non ſimilia erant oſculis glandularum in ventriculo ſuillo repertarum. Inteſtinis à duodeno ad finem rectis ſecundum longitudinem inciſis in duodeno & principio jejuni continebatur mucus flavus concretus, hinc in toto jejuno & principio ilei mucus albus, in ileo mucus pellucidus concretus, ſimilis gelatinæ, quæ ex amylo in aqua cocta paratur, in fine ilei ſimilis mucus cum alio fluido & ſpumoſo: Rectum prorſus vacuum & anfractuoſum fuit. In toto inteſtinorum tractu arearum glanduloſarum triginta & unam inveni: erant rotundæ & oblongæ: foris preſſo inteſtino & oſculis glandularum rotundis prodiit liquor pellucidus viſcidiuſculus; erant quædam magnitudine ſeminis milij, per microſcopium conſpectæ transparebant ac inſtar margaritarum ſplendebant. Jejunum & portio ilei rubebant: in medio arearum glan-

dulo-

dulosarum manifeſte aderat ſuperficiaria eroſio. Venæ capillares intus conſpectiſſimæ erant, ut & valvulæ *Kerkeringianæ.* Mirum unde chylus in lacteis, cum inteſtina vacua eſſent tum obfamem perpeſſam, tum ob *mercurii* vim purgantem? Una muco à *mercurio* allecto? Inter tunicam fibroſam & nerveam in gula manifeſtæ conſpiciebantur glandulæ. In vena cava à capite deſcendente & ab hepate aſcendente ad cor ſanguis in tenacem grumum concretus & ſplendide innigreſcens erat, ut ceu culter ex vagina extrahi poſſet.

Hiſt. II.

CAnem majorem, pellem, Tigridis inſtar, pilis nigris guttatim conſperſam habentem, cum *Exc. D. D. Heinrico Screta* plurimis diebus quotidie bis unguento ex pinguedine ſuilla & *mercurio* vivo parato, in capite, per totum dorſum, ſub axillis & in inguinibus ubi depilis erat & ubi majora vaſa ſanguifera excurrunt, inungendum curavimus; ſc. à 3 dec. 1677 ad 25 dec. circa 11 dec. aliquantulum ſalivare cœpit, brevi tamen ſalivatio ſubſtitit: d. 15 dec. in occipite non procul à vertice, tumor nattæ ſimilis emerſit, ab attactu dolens. Ubicunque locum inunctum attingere valuit litum *mercurialem* lambendo abligurivit. Toto hoc tempore nunc in aëre aprico pluvio, nivoſo aut gelido, nunc in hypocauſto verſabatur: ſemper vegetus manſit, hinc inde cucurrit: comedit: non magis quam ante inunctionem purgabatur: ultimis diebus ligna & oſſa adhuc rodebat, non tamen tam diu ac antea conſueverat: ſubinde tamen dentibus ſtridebat; aliquando ceu baculo percuſſus vociferabatur ſubito: abdomen quandoque tumidius apparebat. A. 26. dec. ad 2. Januar. 1678. poſtquam inunctiones intermittebantur, ſymptomata hæc ceſſarunt niſi quod adhuc dentibus ſtrideret d. 2. Januar. mane

mercurij vivi libram dimidiam cum quatuor unciis pinguedinis ſuillæ devoravit, atque ita lambendo patinam exterſit, ut vix paucula granula *mercurij* ſupereſſent. Ab hac *mercurij vivi* portione devorata nulla actio vel minimum læſa fuit: nec quicquam in excrementis p.n. animadverſum fuit: imo inde magis famelicus reddebatur.

D. 3. Januar. 1678. mane hora 8. *Mercurij ſublimati* drachmam cum mica panis in bolum redactam dedimus, præſentibus *Exc. D.D. Screta*, *D.D. Joh. Conrado Brunnero & D. Lic. Scerpſio Durlaccenſi.* Vix quadrante horæ elapſo, magno nixu vomere cœpit, primum mucum craſſiſſimum tenaciſſimum, ſpumeum idque parvis intervallis novies. Prima vice fruſtulum panis cruſtaceum ſine bolo ejecit, nec in tot vicibus ullum boli veſtigium in vomitu rejectis animadvertere potuimus. Circa horam 9. decima vice mucum priori ſimilem primò cruore tinctum, poſtea adhuc ſexies, ſed longioribus intervallis & magis magisque cruentum & ultima vice atro rubeſcentem evomuit: vomitu rejecta ſemper copioſa erant. Poſt quemlibet Vomitum ſeceſſum, ubi ceu à magno labore feſſus quieſceret, quæſivit; inde non receſſit nec pedibus conculcatus locum mutavit, donec ipſum irritamen internum denuo ſollicitaret & quaſi experge faceret: tunc enim in pedes ſurrexit, unum alterumve angulum elegit, ubi ventriculum vomituriens exoneraret. Vomitum præceſſit aliquoties pulſus quidam ſonorus in hypochondriis, mox capite demiſſo, rictu amplo, os aperuit & tanta vi, quaſi omnibus nervis intenſis, mucum egeſſit ac ſi ventriculum & omnia inteſtina ejecturus eſſet. Aliquoties quoque antequam cruenta vomuit, alvum ſolvit; primæ fæces erant pinguedo ſuilla pridie comeſta, cui *mercurius vivus* permixtus conſpici poterat, poſtea pultaceæ, etiam craſſiores & in ſcibala coactæ, quibus quoque ☿ *vivus* & pili inerant. Circa 6. Veſpertinam excrevit fæces cruentas, poſtea nigras & piceas: bolus *mercurio ſublimato*

limato infarctus nuſpiam comparuit. Poſt 6. horam per ſcalam tractus ultro ſtabulum petiit, & pluribus paſſibus citra nutationem inceſſit: circa 9. placide decubuit ac ſi dormiret. Toto hoc temporis intervallo nunquam convellebatur. Dum pranſimus erupit, an è fonte biberit, reſcire non potuimus: repertus in ſtabulo ſtramini quietus incubuit & compulſus ad primam ſtationem rediit. Omnia oblata faſtidiit.

D. 4. Januar. mane hora 6. mortuum in ſtabulo adhuc calentem, artubus flaccidis, plane non rigidis, invenimus.

In cavitate pectoris nullum ſanguinem extravaſatum reperimus. Pulmones inflati erant, rubicundiores debito, maxime in latere dextro: in limbis illorum extremis ramuli ſanguine turgidi conſpicui: ibi quoque apparuit macula quædam nigra inæqualis, citra tumorem, aut duritiem, dimidio bazio anguſtior. Cordis dexter ventriculus & auricula, vena cava aſcendens, deſcendens, azygos & inter coſtales à ſanguine diſtentiſſimæ erant: in ſiniſtro quoque ventriculo & auricula multum ſanguinis aderat, minus tamen quam in dextro: in aorta paucus ſanguis occurrit. Sanguis neque in ventriculis neque in vaſis majoribus & minoribus neque ullibi coaluit nec vel minimus grumulus inventus fuit. Ductus thoracicus & chyli receptaculum lympha cruenta plena erant. Aperto abdomine plurimum ſanguinis extravaſati inter hepar & ventriculum in hypochondrio ſiniſtro, ut & intra duplicaturam omenti circa ventriculum invenimus. Ventriculus & inteſtina plena & diſtenta, non tamen valde inflata erant: foras atrorubeſcentia, in paucis locis minus rubicunda apparuerunt: cœcum ſolito non multum majus fuit: rectum verò valdè turgidum & nihilominus ſulcis rectis profundisque præditum. In reliquo cavo abdominis nullus cruor extravaſatus videbatur. Venæ meſentericæ & porta ſanguine admodum diſtentæ fuerunt. Veſica vacua & corrugata: Pancreas rubicundius ſolito: Lien atro, rubeſcens:

renes naturali colore tincti. Gula intus rubicunda & inflammata. Ventriculus, muco cruento ſpumeo viſcido plenus: ſimilis mucus in toto reliquo inteſtinorum ductu conſpiciebatur: in cœco fæces pultaceæ flavæ cum pilis: in recto fæces pice nigriores & tenaces, nulla ſcibala, nulla veſtigia *mercurij vivi aut ſublimati* apparebant. Contentis ſublatis ventriculus intus undique rubicundus & inflammatus, excepto antro pylori, videbatur: inteſtina à pyloro ad imum inteſtini recti itidem inflammata erant, minus tamen areolæ glandularum rubebant. Ablata tunica fibroſa gulæ & ventriculi: inter illam & tunicam nerveam, ſanguinem grumoſum, extravaſatum in plurimis locis reperi, ut & in plerisque inteſtinis inter has tunicas. In ventriculo & inteſtinis quoque cruſtacea rubebat, alicubi etiam abraſa, vel potius eroſa, ſed non penitus erat. Ventriculo & inteſtinis aliquandiu aqua maceratis cruſtacea facile abſcedebat: nervea, quamvis per totum ventriculum & in inteſtinis inflammata eſſet, nullibi tamen exulcerata, aut eroſa conſpici potuit. Antrum pylori & areolarum ambitus ab inflammatione immunes erant. Intra Cranium nihil p. n. aut inſuetum viſum fuit, niſi quod vaſa ſanguifera & ſinus quoque ſanguine turgerent.

Hiſtoria III.

Ex Communicatione *Exc. D. D. Sigmundi Königs Phyſici Bernenſis.*

NOn ita pridem Puer annos duos cum dimidio natus, hora quinta veſpertina clanculum officinam Aurifabri ſubintrans, *Mercurij ſublimati* grana circiter octo inglutiit, unde mox tormina ſæva, ventris inflatio & ſalivatio excitabantur. Mox

Exc.

Exc. D. D. König. vocatus protinus dedit ſyrup. Emeticum cum ſucc. cydon. paratum: vomitu peracto, large ipſi lac caprinum cui mucilaginem ſem. Pſyllij permiſcuit, potandum propinavit. Inflatio & tormina brevi ceſſarunt ac noctu dormivit. Poſt 14. dies, Phthiſis periculum imminens declinavit potu lactis caprini cum ſem. cydon. & malvæ cocti: nec hactenus quicquam adverſi paſſus eſt.

Hiſtoria IV.

CAtellæ nondum menſtruæ d. 27. dec. 1675. cum *Exc. D. D. Heinrico Screta* horâ 11. antimeridianâ dedi *mercurij dulcis* drachmam dimidiam: non diu poſtea fæces liquidas, pultaceas, pallide flaveſcentes excrevit. Horâ 1. pomeridianâ ſiticuloſa erat: lingebat manum admotam lingua propè exſucca; lac ori inſtillatum avide deglutiit: ſeu ſiticuloſa, ſeu à ☿ *dulci* dolens voce admodum ſubmiſſa vagiit: vegetior tamen perſtitit catella illâ cui nuper *magiſter. Gialappæ* intruſimus. Lac non evomuit. Poſt 2. horâ pomeridianâ thoracem in ſiniſtro latere incidi; pulmones ex amplo vulnere, etiam coſtis digito diductis, aëre pleni prorumpebant in inſpiratione, nullo vacui metu, cum vulnus admodum patulum eſſet. Vulnere in abdomine facto ventriculus diſtentiſſimus erupit, circa medium conſtringebatur, corrugabatur indeque anterius & in fundo inæqualis & quaſi anfractuoſus reddebatur ſenſimque parvus admodum evaſit: gula diſtendebatur, nunquam tamen vomuit. Inteſtina lentiſſime movebantur. Dum pectus in dextro latere adhuc integrum erat, ſubinde adhuc vagiit fortiterque reſpiravit: ablato ſterno nihilominus in inſpiratione adhuc ſurſum coſtæ tollebantur: ubi verò diaphragma coſtis annectebatur illæ adducebantur & pectus inferius fiebat anguſtius. Diaphragma in inſpiratione

ratione planum, in exſpiratione convexum reddebatur. Cor ſubinde in motu ſubſtitit: inflato ductu thoracico & hinc corde ventriculis, auriculis & vaſis coronariis valide rurſus cor movebatur, imò ante quartam exemptis ventriculo, inteſtinis, hepate, liene non ſine largiſſima hæmorrhagia & detruncato capite cordis totius motus perſtitit ad hor. 5. usque: auriculæ verò dextræ motus ſpontaneus fiebat adhuc hor. 8. noctis: ante 10. noctis irritata aliquoties rurſus movebatur. Ventriculus prope omino vacuus erat, nihilque præter ☿ *dulcem* grumulis involutum, aliosque grumulos lactis ſinceros continuit: nulla prorſus inflammatio apparuit. Inteſtina quoque fere vacua erant; ſubinde in illis mucus paucus flavus, condenſatus & aliquot vermes mortui occurrerunt: cœcum paucum humorem turbidum flavum, & rectum fæces atro flaveſcentes tenaciſſimas, quibus grumuli cum ☿ *dulci* permixtæ erant, continuerunt: Nullibi nec circa areolas inflammata apparuerunt. Ex quibus concluſimus *Mercurium dulcem* minus ventriculo & inteſtinis infeſtum eſſe, quam *Mag. Gialappæ*; minusque ferociiſſe quam illud in alia catella fecerat.

Scholia.

I.

MErcurius vivus in cane Hiſt. II. plurimis diebus illitus & ubi attingere ore poterat abliguritus, & tandem libræ dimidiæ pondere cum pinguedine ſuilla devoratus, nullam ſalivationem effecit, forte ob pororum cutis & oſculorum vaſorum lacteorum, aut glandularum ſalivalium diſpoſitonem aliam quam in hominibus exiſtit: novi quendam bis *inunctionem mercurialem* admittentem, primum leviorem, poſtea auctâ *mercurii* doſi fortiſſimam, citra ullam ſalivæ promotionem, aut dentium vacilla-

cillationem aut deglutiendi difficultatem ſuſtinuiſſe, imo à diuturna *Empl. de ſpermat. Ranar.* ☿ nec vel minimam immutationem in faucibus percepit, quamvis fronti & cubito impoſitum inveteratos dolores feliciter ſuſtulerit; quod adſcribebam glandularum ſubcutanearum aliarumque exſiccationi à ſæpius repetita diæta ſudorifera. Alias aliquot memorare poſſem quibus ſalivatio facilimè à ☿ *ſublimato* in lixivio contra ſcabiem decocto poſt unam alteramve artuum lotionem, aut poſt inunctionem pauco ☿ *vivo pinguibus permixto* factam brevi ſubſequebatur: nuper cuidam alium lue ♀ affectum illinenti aphthæ cum larga incipiente ſalivatione in faucibus obortæ ſunt: quibusdam etiam ☿ *dulcis* diutius detentus ſalivationem parat; unde à cautioribus non niſi cum ſtimulo exhibetur: Puello Hiſt. III. grana octo aſſumpta ☿ *ij ſublimati* paulò pòſt ſalivam moverunt. Admiratione non caret *dimidiam libram* ☿ *vivi devoratam* in cane Hiſt. II. nullum ſymptoma quod alicujus momenti eſſet excitaſſe, cum apud *Schenkium* ille Pharmacopeum & apud *Höchſtetterum*, Paraſitum ingurgitatus male mulctarit.

II.

Mercurius ſublimatus quantum irritando ventriculum & inteſtina valeat, apparuit ex vomitu & alvi dejectione citâ poſt aſſumptionem in Hiſt. I. & II. & licet forte in Hiſt. I. frequens vomitus ſectioni abdominis, ventriculi denudationi & frequenti tepidæ injectioni per gulam in ventriculum attribui poſſet, attamen ſoli ☿ adſcribendum vehementiſſimum vomitum Hiſtoria II. docuit, cum brevi tempore novies mucum & poſtea ſexies cruenta evomuerit: & ipſa muci copia qualibetuice ejecta irritationem acerrimam ac ut *Cl. Kunkel.* loquitur l. c. gradu & quidem inſigni *Arſenico* acriorem probat: quod etiam vomitus & dejectiones cruentæ & magna muci cruenti in

ventriculo & inteſtinis reſtans abundantia evincunt. Imo ſpicula *mercurij ſublimati* prorſus ignea fuiſſe patet ex inflammatione & gangræna ventriculi & inteſtinorum canis in Hiſt. I I. & inteſtinorum canis in Hiſt. I. quam quoque procul dubio in ventriculo feciſſet, niſi aqua ſæpius in ventriculum injecta mitigatus fuiſſet: cujuſmodi particulis acribus, calidis & tantum non igneis & penetrantibus veſicantia prædita optime ſtatuit *Exc. D. D. Georg. Balthaſ. Metzger P.P. Celeberrimus in Syllogo Theſ. Chiriatric.* V I I. θ. 6. Hæ particulæ propè igneæ per cruſtaceam tunicam ventriculi & inteſtinorum penetrantes primum extrema venarum capillamenta aduſſerunt, unde refluxu impedito inflammatio; poſtea quoque arteriarum combuſſerunt, unde affluxu vivifici ſucci prohibito gangræna ſubſecuta fuit: & procul dubio niſi cruſtacea tam poroſa fuiſſet, & muco copioſe tranſudanti aſſueta, facilem tranſitum conceſſiſſet, in veſiculas ſublata fuiſſet, non ſecus ac cutis veſicatoriis impoſitis. Iisdem particulis portionem cruſtaceæ ſuſtulit in ventriculo canis Hiſt. I I. quibus obſtitit nervea ubique compage denſiore prædita, unde neque in canibus Hiſt. I. & I I. exulcerata inventa fuit: neutiquam verò cruſtaceam inflammarunt, cum nulla vaſa ſanguifera ad illam pertingant & rubor potius vel ſanguinis extravaſati tincturæ vel transparentis nerveæ colori deferendus ſit. Sanguis inter tunicam fibroſam & nerveam, ut & inter ventriculum & hepar & in duplicatura omenti extravaſatus fuit, non tam eroſis vaſis ſanguiferis, quam ruptis ob violentiſſimos vomitus in Hiſt. I I. Quamvis in hoc cane vomitum præceſſerit pulſus ſonorus in hypochondriis, & procul dubio diaphragma in nixu violentiſſimo cum pulmonibus vehementiſſime ſuccuſſum fuerit, nullum tamen vas in pectore ruptum fuit: at pulmones præcipue in dextro latere rubicundiores, in extremis limbis vaſa ſanguifera conſpectiora & macula rubra apparuit; niſi ſanguinis circulationi interceptæ hæc adſcribere velimus.

III. Ea-

III.

Faſtidium canum in Hiſt. I. & II. ſoli muco, non bili deferendum eſt, cum nulla ad ventriculum aſcenderit, & cum carnes objectas faſtidirent nihil niſi mucum evomuerint. Inflatio abdominis & ventriculi in Hiſt. I. & III. evenit ob copiam flatuum in ventriculo detentam utroque ejus orificio arcte clauſo, unde in cane Hiſt. I. exprimendus erat: Flatus producti tum à calore & fermento ventriculi, tum à ſale ſylveſtri *mercurii*, ex copioſiſſimo muco denuo ob ☿ ij irritationem continuam prolecto: unde exploſis aut expreſſis flatibus, ſtatim novi renaſcebantur. Cur nullæ convulſiones tantopere irritata membrana nervea ventriculi & intestinorum ſupervenerint? explicatu perdifficile mihi videtur, cum mitius his partibus afflictis aliquando præſes ſyſtematis nervoſi excandeſcat & hac ratione opitulari conetur. Puellus quidem convulſiones evitavit maturo auxilio ab *Exc. D. D. König.* propinato ſc. ſyr. Emetic. cum ſucc. cydon. parato, cujusmodi antimoniato quendam à veneni ſævitia liberatum tradit *Cl. Fabrit. Hildan. c. 4. Obſ. 37.* & lacte cum mucil. ſem. pſyll. quæ ambo aculeos ignitos ☿ *ij ſublimati* obtundunt & extinguunt. In cane Hiſt. I. injectiones aquæ calidæ in ventriculum forte convulſiones averterunt. At quomodo convulſiones canis Hiſt. II. penitus derelictus effugerit perobſcurum eſt: certe toto die nihil convulſivi præter vomitum & pulſationem ſonoram illum præcedentem ad horam 9. noctis in illo obſervatum fuit; num nocte ipſum afflixerint nullo indicio cognoſcere potuimus & mane prorſus artubus flaccidis, non rigidis mortuus repertus fuit. Forte præſes ſyſtematis nervoſi non in auxilium raptus fuit, quia ventriculus validus hoſtem ſolum in principio excutere conatus eſt atque id plurimis nixibus auſus eſt; poſtea à tot laboribus diſſipatis ſpiritibus animalibus præſes ventriculo non amplius ſuccurrere valuit: unde quoque

circa veſperam vomere deſiit. Verùm his nec mihi ſatis facio: res ardua repetita experimenta poſtulabit.

IV.

Canis Hiſt. II. Mortuus eſt non ob coagulationem ſanguinis, cum nihil grumoſa ullibi in ventriculis, auriculis & vaſis inventum fuerit: nec ob defectum ſanguinis cum ventriculi cordis, auriculæ, vaſa, etiam in meſenterio & pectore plena adhuc fuerint; ſed ob ſpirituum vitalium & animalium diſſipationem à tot laboribus, quos vomitus crearunt, eorumque corruptionem à gangræna ventriculi & inteſtinorum, particulis pravis ſanguini permixtis, nam receptaculum chyli & ductus thoracicus lympha cruenta implebantur. In cane quidam Hiſt. I. ſanguis coagulatus in ventriculis & vaſis repertus fuit, at tum demum poſtquam perfriguit: forte ſi citius ſauciata fuiſſent vaſa ſanguinem fluidum ſtillaſſent.

V.

Mercurius dulcis in Hiſt. IV. quoque irritavit, at blande, unde ſolummodo per alvum egeſſit, lac avide deglutiit & procul dubio mortem evitaſſet, niſi aliter noſtræ curioſitati inſervire catella coacta fuiſſet. Et omnino poſt mortem patuit *Mercurium dulcem* mitius irritare ventriculum, quam *Magiſterium Gialappæ*, cum non tam pertinaciter ventriculi & inteſtinorum tunicis adhæreat, nec inflammet ut hoc efficere ſolet & ſæpe propterea torminum & Hypercatharſis autor exiſtit, maximè ſi vis ejus non probe dilatetur.

Cap. XXII.

CAPVT XXII.

De Cicutæ Utilitate.

HActenus *Cicutæ* maleficia memorata fuerunt, accuſata fuit veneficii, quia duos pueros brevi interfecit & ſex puellas graviſſime afflixit & pene neci dedit: infamis fuit propter Socratis mortem, quam illa intuliſſe traditur: aliis hiſtoriis virulentia ejus narrata fuit: oſtenſum fuit affinitatem aliquam habere cum aliis venenatis vegetabilibus & mineralibus, cum prope eadem ſymptomata excitarit: ſc. cum *napello*, *cocculis nuce vomica* &c. Item *Antimonio*, *Arſenico* & *Mercurio*, & licet ad illorum vim deleteriam non pertigerit, ſed aliquot gradibus inferior fuerit, nihilominus tamen ventriculum vehementer laceſſiſſe ac principes partes in conſenſum rapuiſſe non ſine detrimento totius, verum etſi *Cicuta*, Napellus venena ſint, tamen ut ſcribit *Exc. Sennert. Pract. l.6.p.5. c. 2.* ſunt rerum natalium ſpecies & à Deo creatæ, per ſe bonæ & ad Mundi perfectionem abſolvendam & complendam pertinent, habentque ipſæ proculdubio etiam utiles nobis vires, ſed quæ in hac mentis humanæ imbecillitate nobis ignotæ ſunt. Occultas vires detegere in animo habuit *Exc. D. Georg. Hieronym. Welſch Curat. & obſerv. Exoteric. chil. 1. obſ. 828.* ubi pollicetur arcana quorundam in graviſſimis affectibus, multis experimentis nobilitata *in Ephemeridibus* ſuis aliquando, cum Deo, ſe patefacturum: Verùm cum fatum *Virum optime de re Medica merentem* nobis eripuerit & triſte ſui deſiderium poſt ſe apud omnes bonos reliquerit, verendum Arcana hæc recondita manſura, niſi Nobiles Hæredes aliquando manuſcriptis ipſius ſuperſtitibus poſteritatem beent. In monumentis tum Veterum tum Recentorium occurrunt

currunt Medicamenta aſſumenda & foris applicanda, quorum quædam *Cicutæ* folia, radices, ſemina, ſuccus aut decocta ingrediuntur. *Hippocr. de Natur. Muliebr. Sect. 28. §. 71. Edit. Lindan.* Inter potiones ſubdititias & purgatorias ponit *Cicutæ* pugillum in aqua decoctum. Plures in illo loco enumerat, quæ nimium fluxum menſium vel lochiorum coërcent; adeo ut conjectura *Bodæi* non multum valeat qui *in Theophraſt. Hiſt. Plantar. l. 9. c. 17. p. m. 1146.* locum corruptum opinatur ac Venerandum ſenem κύμινον pro κώνειον ſcripſiſſe autumat: quamvis ipſe hæſitare in l. c. videatur, dum *cicutam* diureticam atque ita purgatoriam, & cum *Dioſcor.* refrigerantem atque ita nimium fluxum coërcentem innuit.

Galenum cicutæ decocto uti ad confectionem pilularum ex opio. ſem. hyoſcyam. myrrh. contra deſtillationes ejusque ſemine tribus medicamentis permixto contra deſtillationes, vocem interceptam, hæmorrhagiam pulmonum aliarumve partium, item lancinationes ex *l. 7. de Comp. Medic. ſec. Loc.* ſupra recenſitum fuit: It. ex *l. 10. de Comp. Med. ſec. Loc.* paſtillis contra ulcera veſicæ. Id. *l. 3. de ſimpl. Med. Fac. c. 18.* Anum Athenienſem ἧς ἅπαντες μνημονεύουσιν, in ſcenam producit, quæ ab exigua cicutæ portione auſpicata, ad permagnam progreſſa eſt copiam, nullo detrimento. Hæc poſtmodum multis anſam dedit, ut crediderint venenis quempiam aſſue fieri poſſe: quod etiam non tamen ſine limitatione defendere auſus eſt *Zacut. Luſitan. Hiſtor. Med. Princ. l. 5. p. m. 371.* qui propterea à *Caſpar de Reyes* vapulat in *Campo Elyſ. Jucund. Quæſt. l. 63. p. 816.* Quam bene, hoc loco non diſceptabo. *Plin. H. N. l. 25. c. 13.* conciſa ſententia ſcribit *Cicutæ* caulis & viridis eſtur à plerisque & in patinis; Cum in prægreſſis venenum pronunties & *Dalechamb. in notis* ſe quendam noviſſe eſu cicutæ, apii hortenſis ſpecie incautum deluſum ad extremum usque vitæ dementem factum, addat, locus iſte ceu falſus, aut obſcurus fuit præteritus. *Scaliger Exercitat. 152.*

refert

refert in Liguribus Taurinis Anſerculos *cicutæ* foliis devoratis illico exſpiraſſe: Qua tamen in provincia vulgò ejus radices pro delicijs habeantur acetariis: addito etiam ſalubritatis elogio: urinas enim ciere valide admodum: addit quoque ſe eſitaſſe ſæpe, ſiſari ſapore; quæ loco *Pliniano* authoritatem & lucem afferre videntur; cum alias per errorem folia comeſta non ſolum ex *dalechampij*, ſed etiam ex ipſius *Scaligeri* aliorumque plurimorum narratione, ut jam ſupra nemini, aut mortem, aut peſſima ſymptomata effecerint. *Cl. Srobelbergerus in Deſcript. Galliæ Polica. Med.* ſ. 5. p. m. 267. In Languedocia reliquaque Gallia Provinciali & Narbonenſi *cicutas* etiam duorum pedum longitudinem habentes ſæpius è ſaxorum criptis erumpere vidit, humano generi noxam non inferentes; quoque Batavam *Cl. Bodeus* l.c. decantat: unde forte minore damno apud *Cl. Nic. Fontan. l. 1. obſ. 55.* Fœmina Batava felicius cicuta in acetariis ſibi ſomnum conciliavit. *Renealm. Obſ. 3. p. m. 4. cicutæ* in umbra ſiccatæ ſcrupulos duos in vino horis duodecim infuſos dedit, nulla ſequente appetitus dejectione, nulla cardialgia: plus vero minxit meliusque habuit ab obſtructione in gibba hepatis parte. Idem in ſimili morbo *rad. cicutæ* drachmas duas in decocto dedit: cujus beneficio in ſudorem ſolutus melius habuit. *Matthiolus in Dioſc. l. 4. c. 74.* ſcribit conſtare *cicutam* in Italia non adeo exitialem eſſe unde forte *Cl. Paulus Zachias Quæſt. Med. Legat. l. 2. Ter. 2. Quæſt. 3. §. 14.* illam refert inter ea venena, quæ cum minore certitudine interimunt, annumeratque croco, lactucæ atque ad necem inferendam unciam non ſufficere opinatur, indeque ſuſpicari non immerito licet veneficas, de quibus ſupra, *Aquettam* non ex *Cicuta* concinnaſſe. An Myrrhidem pro *cicuta* agnoverint neſcio: videatur *Exc. Rhod.* in *nota 179. in Scribon. larg. Exc. D.* Welſch. *l. c.* Hæc quomodocunque ſe habeant, non excutio; at *Cicutæ veræ ſive terreſtri ſive aquaticæ* nunquam fiderem, neque author eſſem ut intra corpus humanum admitteretur, cum plurima

rima ſecuriora exſtent ad ſatis faciendum quibuslibet ſcopis in medendo præ *cicuta*. Et omnino *Cicutam terreſtrem* in Italia quoque virulentam eſſe, præter recenſita, hæc Hiſtoria docet, quam *ab Exc. D.D. Heinrico Köfferlin Prof. Med. in Acad. Friburg. Briſgojæ optime merito* nuper accepi:

Anno 1657. Patavij ubi ſtudiorum cauſa tunc commorabar, Uxor Bajuli cujusdam aliquot menſibus prægnans noctu ædes noſtras acceſſit, rogavitque ut ſuppeditaretur remediolum aliquod contra tormina, quæ pateretur: Jubebatur, ut ſem. carvi in juſculo decoctum epotaret: aliud remedii genus exſpectare noluit, ſed illa adhuc nocte convulſa obiit. Maritus mox adiit tribunal, quod publicæ ſanitati præeſt, obtinuitque ſepeliendi licentiam: cadaver propriis humeris imponit, ſolus ad templum S. Catharinæ deportat, tumulo injicit ac obruit ſive quia noluit Uxoris cadaver inſervire Anatomicis demonſtrationibus, quæ tum publice fiebant, ſive quia formidavit cauſam repentinæ necis detectam iri à cultro Anatomico.

Poſtquam ex tribunali dicto Curatoribus Anatomiæ innotuit cadaver prægnantis ſepultum fuiſſe, ſtudioſi armata manu, ſpreta loci ſanctitate, cadaver ex templo & ſepulchro eripuerunt ac Theatro Anatomico intulerunt. Aperto abdomine ſtatim proſiliit ventriculus admodum turgens & extenſus, variis ſtriis & maculis ex flavo liveſcentibus depictus; quo colore quoque duodenum apparuit: Inciſus ventriculus ſpiravit flatum olidum: continuit ſaburram ex viridi nigricanten, in qua obſervabantur particulæ quædam herbaceæ *cicutam* referentes. Interni parietes ventriculi ferme lividi erant. Patavii demonſtrationes Anatomicæ fieri ſolent adhuc menſe Februario imo etiam Martio, quo tempore pauperculi, maxime tempore quadrageſimæ varii generis herbas convaſare iisque veſci ſolent, atque facile contingere potuit ut hæc miſella cum aliis quoque *cicutam* abripuerit ac ferculis cœnæ deſtinatis immiſcuerit, non ſecus ac

in l. ſæ-

in l. ſæpius c. *ex quadripart. Exc Sim. Paul.* factum fuit, quæ paulò poſt ingeſtionem tormina, & cùm auxilia ſpreviſſet, convulſiones & mortem attulerit. Ventriculi ingens diſtenſio à flatibus utroque orificio arctè clauſo fuiſſe teſtantur erumpentes olidi flatus: unde fortè torminum & convulſionum ſævities: parietes intus lividi & foris ſtriæ & maculæ ex flavo liveſcentes gangrænam produnt, quam procul dubio accerſiverunt ſpicula *cicutæ* membranæ nerveæ ventriculi infeſtiſſima. *Exc. D. D. Frideric. Hoffmann. in Clave Pharmacop. Schröder. l. 4. ſ. 1. c. 109. cicutam* inter venena numerat: de *cicutaria* tamen, quæ innoxia creditur, refert; Hujus radices ſive in cibis coctas ſive crudas comeſtas, tanquam maximum arcanum, commendant in ſcorbuto: Verùm & hiſce quosdam è medio fuiſſe ſublatos, teſtatur experientia. Et hæc quoque monent ſobriè & prudentiſſimè *cicutam* eique affines herbas, ceu medicamentum intus aſſumendum, ſuadendas eſſe. Non tamen negarim, tum ex his tum ex aliis venenatis creditis ſalutaria medicamenta parari poſſe, & male nobiſcum actum fuiſſet, ſi non licuiſſet nobis, Febri malignâ ultra ſeptennium his in oris graſſante, medicamenta ex ♄ & ☿ parata exhibere; imò quàm plurimis hæc, præ aliis ex herbis & radicibus concinnatis, ſalutifera & ſæpe citam opem tuliſſe, omnes qui hic medicinam facimus, experti ſumus. Verùm non nego, tum hæc tum alia, quæ virulenta creduntur, in præparando peritam & ſtrenuam manum poſtulare: deinde aſſenſum præbeo *Exc. Sennert. Prax. lib. 6. p. 5. c. 2.* quosdam qui medicamenta per ſe venenata nimis incautè & temerè exhibent, eo non ſatis firmiter probare, quòd talia medicamenta innoxia ſint, quia eo, quo exhibita fuerunt, die, vel ſequentibus aliquot diebus nihil noceant; cùm ab iis vitioſa diſpoſitio corpori imprimi poſſit, quæ longo demum tempore ſe exſerat.

Externus *Cicutæ* uſus à multis Veteribus & Recentioribus traditur in variis affectibus. *Dioſcorid. de Mat. Med. l. 4. c. 79.* ſcri-

bit ſuccum ex ſummitatibus & comis *Cicutæ* expreſſum, prius-quam ſemina ſiccеſcant, & ſole condenſatum multiplicis eſſe in medicina uſus; miſceri collyriis anodynis & illitu herpetas & Eryſipelata reſtinguere: Herbam cum coma tritam teſtibus cataplaſmatis modo impoſitam opem ferre ὀνειρώττουσι; genitalia effœta reddere, lac extinguere, mammarum incrementa in virginibus prohibere, teſtes ἀτρόφους in pueris facere. Similia apud *Galen.* occurrunt: *de Remed. Facile Parabil.* ſemen cui vim adſtringendi & repellendi tribuit, frontalibus in ophthalmia dolorifica admiſcet. Utrumque alij Græci imitantur. *Plinius H.N. l. 25. c. 13.* Ad reſolvenda medicamenta *ſucco cicutæ* pro aqua uti tradit: ſc. ad exſolvendam medicamentorum acrium vim uſus eſt ejus aqua diſſoluti, ut opij, prout *Dalec.* explicat. Inſuper *Plin. l c.* addit: Fit ex eo ad refrigerandum ſtomachum malagma: Præcipuus tamen ad cohibendas epiphoras æſtivas, oculorum que dolores ſedandos circumlitus: miſcetur collyriis & alios omnes Rheumatiſmos cohibet: Folia quoque omnem tumorem doloremque & epiphoras ſedant. Anaxilaus auctor eſt mammas à virginitate illitas, ſemper ſtaturas. Quod certum eſt, lac puerperarum mammis impoſita exſtinguit, Veneremque teſtibus circa pubertatem illita. *Cicuta* in his affectibus opem ferre, aut generandi potentiam extinguere, creditur refrigerando repellando & ſpiritus ſuffocando: Verùm ſi attentiùs omnia expendantur, in iisdem affectibus vim ſuam reſolvendo, attenuando & conſumendo potius exſeret, cùm particulis calidis prædita ſit, ut ſupra c. 3. & ſeq. probatam fuit: Et in ſimilibus quotidie experimur, reſolventia tutiùs foris adhiberi, nimium refrigerantibus & incraſſantibus: Collyriis in ophthalmia camphora permiſcetur, plurimorum calculo calida, utpote ſoboles, ſeu ſal volatile cinamomi, inflammabilis & acris. Eryſipelati topica incraſſantia & impensè refrigerantia non ſemel partibus gangrænam impreſſerunt, aut repulſo humore mortem accele-

rarunt,

rarunt, ut non ita pridem epithemata in Eryſipelate faciei cuidam phrenitidem, ſubſequente inevitabili moriendi neceſſitate: attulerunt. Certè ſi tantopere refrigeraret, non omni tumori & dolori, ut *Plinius* tradit, folia contuſa Cicutæ conveniret. Noſtrates matres Lac exſtinguunt foliis petroſelini contuſis, mammis impoſitis, quòd ſine noxa ſit, nec tam malè cedit ut Fœminæ apud *Cl. Borell. Cent. 2. obſ. 3.* à Cicuta. Atrophiam teſticulorum in tenera ætate à *Cicuta* effectam potius adſcriberem nimiæ filamentorum perviorum, ut & vaſorum ſanguiferorum in illis exſiccationi, quàm ſanguinis & ſpirituum congelationi, quam conſecuta potius fuiſſet harum partium ſphacelus quàm atrophia, aut ſi omnino ſanguis aliusve humor tunc congelatus manſiſſet, creſcente ætate & totius calore, gelu hoc ſenſim, ut poſt hyemem ab æſtivo calore etiam in hyperboreis regionibus nix, colliquatum fuiſſet. Herpetica ulcera ſcimus feliciùs coërceri aqua phagadænica ex calce viva & ☿ ſublim. parata, quàm neſcio quibus ingroſſantibus. Inter illa, quæ venerem exſtinguant, numerantur quoque calida, ſc. ruta & ſimilia, ut tali vi præditum non neceſſariò frigidum ſtatuendum ſit. Frontali ſuo *Galen.* addidit ſem. cicutæ, verùm neſcitur, an huic potius, quàm cæteræ mixturæ, interceptionis effectus adſcribendus ſit: facultas ſimplicis medicamenti optimè cognoſcetur, ſi ſolum adhibebitur. Certè *Celſ. l. 5. c. 6.* ſem. *Cicutæ* inter med. ſimpl. rodentia numerat, ut in plurimis Exemplaribus legitur: etiam inter *Medicos Principes ex Heinr. Stephan. editione: Exc. D. J. Anton. van der Linden*, *Galeni* fortè miſertus, in ſua recognitione *Celſi* loco ſem. cicutæ hîc ſem. rutæ repoſuit: num ex M. S. fide digno, an ex conjectura? certò ſtatuere nequeo; hoc tamen mihi probabilius videtur, alias *Nic. Rorar. in Comment. hujus loci & E. D. Joh. Rhod. in not. 179. ad ſcribon. Larg.* non tantopere ad ſalvandam *Celſi* authoritatem ſe torſiſſent. Quilibet ſeminis *Cicutæ* acrimoniam vel ſolo guſtu explorare poſſet, ut non neceſſum foret conjectu-

ris indulgere variasque lectiones fingere. Quomodocunque verò *Cicuta* in prædictis affectibus vim ſuam exſerat, an unquam hoc nomine à Recentioribus in uſum vocata fuerit ignoro, nec ſollicitè inquiſivi, cùm plerique Practici aliis medicamentis *Cicuta* non imbecillioribus, at minùs ſuſpectis aut dubiis utantur. *Cl. Heinr. à Bra in Epiſt. ad Foreſt. l. 20. ſub finem p. 308.* ſcribit in Affectu quibusdam familiis in Geldria & Weſtphaliæ familiari, Varen dicto, qui arthridis vaga eſſe nunc creditur, ſi unam aliquam in partem virus procumbat & abſceſſum excitet, is ut aperiatur, plantaginem cum ſale in mortario contuſam applicare, & abſceſſu rupto unguentum imponere, quod conficiunt ex *rad. Cicutæ Aquaticæ* lino vel ſtuppa madida involutis, ſub cineribus coctis, contuſis & cum melle mixtis, ut à mellis dulcedine Vermes, qui cauſa doloris creduntur, alliciantur & à cicuta enecentur. Eodem cataplaſmate chirurgos Ditmarſenſes in ſimili caſu uti legitur apud *Smet. Miſcell. Med. l. 4. p. m. 240. In Epiſt. 10. Heinr.* W*ieri* ſeu potius *Fr. Joh.* W*ieri.* Ditmarſenſes *cicutam aq.* vocant Waden=dunck: Germani Waſſer=ſchirling: Ib. *Exc. D. Valent. Andr. de Varis ſeu de Arthritide vaga ſcorbutica c. 14.* eadem memorat, ſimulque optimè monet, medicamenta externa cum cautione adhibenda eſſe: non tamen exiſtimo, *cicutam* hîc omittendam ceu repellens, cùm calida ſit, & ut ſuprâ ex *Dodon. Pempt. 2. l. 3. c. 12.* narratum, fiſtula ex caule *cicutæ* diu ore denta os & labia ſuâ acrimoniâ inflet. *Cl. Heurn. Meth. ad Prax. l. 2. cap. 10. de affect. Lienis calidis* obſcurè mentionem facit *Empl. ex ſucc. cicut.* & Gum̃. ammon. adeò ut mirum non ſit ipſius nomen *à Londinenſibus in pharmacopœa* præteriri, qui explicatius tale tradunt ex ſucc. Cicutæ ℥iiij. & Gum̃. Ammon. Acet. ſquill. an̄. ℥iiij. confectum. Elegans quoque *Empl. de cicut.* in morbis ſpleneticis utile communicavit *Cl. Fabr. Hildan. in Epiſt. ad Croquerum* cum cautelis in parando non ubivis obviis. Huic non-diſſimile eſt *Exc. Schröderi Francofurti uſuale Pharmacop. l. 2. cap. 53.*

cap.53.n.14. Utcunque *Heurn. l.5.* Empl.ſuum *de Cicuta* in aff. calidis lienis commendet, non tamen illud ſolius refrigerationis cauſa adhibere me perſuadet Gum̃. Ammoniacum additum: imò *D.Schroderus* apertè ſcribit F. F. obſtructum aperire, durum emollire & ruborem inducere, qui effectus *cicutæ* potius cujus pulo ℥ix & ſucc. ℥iiij, quàm Gumm. ℥is. ceræ & oleis tribuendi videntur, cùm alia Empl. ex gumm. Ammon. cer. & ol. confecta hoc non faciant. & apertè ſuccum *cicutæ* inter ſplenetica calida recenſet *Exc. Rolfink Ord. & Meth. ſpec. l.9. ſ.3. cap. 8.*

Cap. XXIII. & Ultimum.

De Curatione poſt Cicutam aſſumptam.

PRolixus fui inquirendo in vires *Cicutæ tum aquaticæ tum terreſtris*, ut invenirem indicationes certas & utiles ad debellandum hoſtem intra corpus admiſſum prope internecinum, niſi maturo auxilio ſuccurratur. Rationibus & experimentis exiſtimo me deprehendiſſe, *Cicutam calidam* & acrem eſſe, ſuisque aculeis membranam nerveam potiſſimùm ventriculi feriiſſe, ac fibras ejus circulares, membranæ arctiſſimè fibrillis nerveis conjunctas, ad violentam conſtrictionem irritaſſe; tum ob vellicationis vehementiam, tum ob conſtrictionis atrocitatem, maximè circa orificia ventriculi, ubi nervi inſigniores apparent, & Præſidem ſyſtematis nervoſi in furorem actum, unde convulſiones; & cor in conſenſum raptum fuiſſe; unde plurima mortis imago apparuerit, imò Pueri enecati fuerint, & Puellæ expulſo hoſte imminentem mortem vix evaſerint. Ut hac de re certius, aut ſaltem veriſimilius aliquid ſtatuere poſ-

ſem aliorum venenorum tum vegetabilium experimenta & obſervationes, tum Amicorum, tum proprias adjunxi,& quaſi in ſubſidium vocavi,ex quibus didici propè eadem ratione ventriculum afflixiſſe,ac ferè eodem ordine ſymptomata produxiſſe. Retinui generale nomen acrimoniæ, cùm ſcirem & Alkalina,ut vocant,& acida tam volatitia quàm fixa,irritandi & vellicandi membranam nerveam vi valere, ac hos tumultus inſtituere poſſe, atque ſufficere ratus ſim, obtusâ cujuslibet veneni acrimoniâ & ſublato hoſte ſymptomata ceſſatura,ac hominem è præſenti vitæ periculo vindicatum iri. Tum *cicuta* tum alia ipſi ſimilia rubificantibus,veſicatoriis, erodentibus & putrefacientibus affinia per me dici poſſunt,à quibus quoque non multum differre puto,quamvis in ventriculo & inteſtinis nunquam veſicas,rarò ulcera & cruſtas,rariſſimè integrum ſphacelum, ut in cute, producant; nam ita cum tunica cruſtacea comparatum eſt,ut non facilè,utcunque nervea impensè vellicetur, ab illa abſcedat atque in veſicam attollatur; deinde ſemper humida eſt, ut etiam ferociſſimorum venenorum aculeos aliquo modo obtundat,& continuè magna copia, maximè nervea valde irritata,novum humorem è maſſa ſanguinea recipit, ut non rarò illa, imprimis ſi in minore quantitate aſſumpta fuerint, aut imbecilliora ſint, ſuperet.

Indicationes igitur erunt *cicutam* quantocyus ex ventriculo educendam, ejus acrimoniam infringendam,ſpiritus vitales conſumptos à vehementia ſymptomatum inſtaurandos, aut ob motum ſanguinis varium, vel interceptum oppreſſos excitandos, labem ventriculo vel inteſtinis impreſſam ſive inflammatio, ſive denudatio membranæ nerveæ, ſive exulceratio ſit emendandam & vires laudabili victus ratione reſtituendas & conſervandas eſſe. His ſequenti methodo ſatis faciendum eſſe videtur.

Cicuta breviore, tutiore & certiore via exturbabitur è ventri-

ventriculo, Vomitu concitato: per ambages longas purgantibus educeretur non ſine periculo, dum afflicto ægro ob ventriculi cruciatus jam ſævientes, nova afflictio adderetur, hoſte ad inteſtina pulſo, quibus non minùs infeſtus eſſet quàm ventriculo atque illorum quædam minùs ejus præſentiam tolerarent, utpote teneriora & ipſamet exquiſitiſſimo ſenſu prædita. Idque ante omnium aliorum medicamentorum uſum faciendum eſt, ne virulentia *cicutæ* acuatur, ventriculus irritatus exaſperetur, *cicuta*, aut fermentum ſtomachi illius ſucco imbutum ad inteſtina, & chylo perm xtum ad maſſam ſanguineam perveniat. Hoc ſuadere videtur *Dioſc. de Alexipharm. cap. 11.* Καταρχὰς, ὡς καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, διὰ τῶν ἐμέτων αὐτὸ χοιμιζόμεθα. Inter initia, uti in reliquis ſc. Venenis, illam ſc. *Cicutam* vomitu excutiemus. Cui aſſentitur quoque *Aet. Tetrab. 4. Serm. 1. cap. 63.* Optimum quod occurrit in *Ardoyn. Sant. Tr. 3. cap. 62.* de curatione *cicutæ* aſſumptæ, eſt, quod ex *Albucaſi* exſcripſit, feſtinanter vomitum movendum eſſe: cætera confuſa ſunt & fortè minùs tuta, maximè intempeſtivè in uſum ductù. *Cl. Sennert. Pr. l. 6. p. 7. c. 6.* Alexipharmacis vomitorium præmittere jubet. *Fr. Joel. Oper. t. 2. l. 2. ſ. 1.* curationem ſymptomatum à *cicuta* factorum eſſe ſubitam revomitionem ſcribit.

Verùm cùm cicuta intra ventriculum admiſſa Epilepſiam producat, ut Pueris & Puellis evenit, atque aliis quoque contingere poſſet, vomitoria ex ſententia *Nob. Ludov. Septal. Animadv. & Caut. Medic. l. 6. §. 50.* non tuta forent: Ita namque ille: *Cave ne in paroxysmo Epileptico vomitum provoces; vidi enim aliquos in invaſione hoc tentantes, ſcriptorum quorundam authoritate ductos, præcipitem in mortem duxiſſe: ex violento enim illo motu, magis repleto capite, ac concitatâ materiâ in capite exiſtente, ad perfectam obſtructionem faciendam, deducunt, unde apoplexia ſequi ſolet.* *Cl. D. Frid. Hoffmann. Meth. Med. l. 1. c. 9.* quoque illa impro-

improbat, etiamſi epilepſia per conſenſum ventriculi fiat: & licet extra paroxysmum concedere videatur, vix tamen ex illorum mente exhiberi poterunt, cum, ut in his Pueris fiebat, paroxysmi vel continui ſint, vel breviſſimis intervallis invadant. Verùm hæc tanti non ſunt, ut Vomitoria prohibere poſſint; nam *Septalii* ſententia quamlibet Epilepſiam periodicam reſpicere videtur, etiam illam cujus fomes intra cranium abſconditus eſt; deinde niti videtur falsâ & jam à plurimis explosâ opinione, illam ſc. oriri obſtructis cerebri ventriculis, commotisque humoribus à violenta agitatione, etiam capitis, à vomitoriis facta, ventriculos cerebri penitùs facilè obſtrui, & apoplexiam accerſiri: Præterea dum vomitioria ad *cicutam* ex ventriculo excutiendam exhibentur, non inveteratæ epilepſiæ, aut quæ altas radices egit, ac jam plurimis paroxysmis ægros defatigavit, ſed recenti opponuntur: denique cauſam proximam & primariam è ventriculo eliminant, quâ ſublatâ epileptici inſultus protinus, aut paulò pòſt imminuuntur, ac brevi penitùs ceſſant. Atque hanc vomitoriorum in hoc caſu neceſſitatem & fructum non ſolùm ratio ſuadet, ſed quoque experientia probat: *Catharinam* enim & *Mariam Maderin*, *Chriſtinam Gräfin*, *Filiam Martini Mülleri & duas Filias Georgii Mureri* vomitus tum à præſente morte, tum ab inſultibus epilepticis protinus vindicavit: dum Pueri, quibus vomitus, quamvis ad illum ſtimulabantur, non promotus fuit, ob vehementiam & diuturnitatem paroxysmorum epilepticorum extincti fuerunt, qui pocul dubio liberari potuiſſent à morte, ſi radicum *cicutæ* excretio, quam natura moliebatur, vomitoriis facilitata ab artis medicæ perito tempeſtivè fuiſſet. Ipſe *Santorellus AntiPrax. l. XXI. c. 10.* quem pro ſe *D. Hoffman. l. c.* allegat, huic ſententiæ favet, ac ſumpto per os veneno vomendum ſuadet, & paulò inferiùs tutiorem illorum uſum dicit & magis commodum, quia promptius venenum extrudatur. Vomitus tempeſtivi *Arſenico* inglutito profuerunt duabus Puellis

Hiſt. I.

Hiſt. I. Puero Hiſt. II. duabus Puellis Hiſt. III. & IV. Puero Hiſt. VI. Puero & Puello Hiſt. X. Juveni ex *Fabr. Lync.* Hiſt. XII. It. *Mercurio ſublimato* ingeſto Hiſt. III. ſupra recenſitis : & nemo non Practicorum ſusque deque habitis convulſionibus vomitoria commendat & ſi caſus ferat, illa propinat poſt aſſumpta venena : atque uſus docuit quo citius dabantur celeriorem & firmiorem valetudinem reſtituiſſe : Si verò properatum fuit ad alexipharmaca, accelerabatur mors, ut Puello evenit Hiſt. VI. de *Arſenico* : aut morbus cum ſymptomatibus prolongabatur ut cuidam contigit apud *Nob. Timæum de* Güldenklee *Lib. 7. Med. Cas. 4.* qui poſt comeſtas rad. *Cicutæ*, loco petroſelini, cum bubula coctas, vinum abſinthites bibit, unde cordis anguſtia, dyſpnœa, vertigo tenebricoſa, ſingultus aliquandiu mitigata, recruduerunt, accedentibus ſtrangulationis metu & virium exſolutione : cui poſtea mox vomitum movit & alexipharmaca dedit, at non efficere potuit, quin ad tertium menſem cordis anguſtia & dyſpnœa perdurarent. Caute legendi & imitandi omnino videntur illi, qui promiſcue alexipharmaca contra *cicutæ* virulentiam coacervant atque ante evacuantium uſum, ſeu nondum expulſa è ventriculo *cicuta*, exhibent : Vinum generoſum plures ſuadent, inter quos eſt etiam *Scribon. Larg. c. 47. Santes Ardoyn. & alii*, ex quibus ſua compilavit, cum tamen etiam ipſo *Galen. l. 3. de Simpl. Med. Fac. c. 20.* & *Plin. Hiſt. Nat. l. 25. c. 13.* teſtibus cum vino pota citius enecet, & ut *Plinius* loquitur irremediabilis exiſtimetur : putant quidem id fieri propterea quod *cicutæ* virus citius ad vitalia cum vino abripiatur ; potius *cicutæ* acrimoniam à vino generoſo intendi, ut magis poſtea in membranam nerveam ventriculi ferociat, exiſtimo ; quamvis non negem quoque celerius particulas, maxime ſi ſuccus ejus in vino ſolvatur, quod veteres facere ſolebant, aut ſi radix vino maceretur, aut ſi jam radix in ventriculo emollita ſit, cum vino ad maſſam ſanguineam pervenire ac graviſſima ſymptomata, præter con-

ter conſueta, excitare. Agyrtæ ventriculo ſuo quæſtum facientes, devoraturi turpis lucri cauſa venenum, non ſolum antequam illud ingerant, ventriculum & inteſtina contra ejus ſpicula muniunt unctuoſis largiter epotis, ſed quoque diverticula quærunt ac ventriculum vomitoriis exonerant, præmiſſis munimentis non fidentes. Non ita pridem audivi à fide dignis hujusmodi τοξικόφαγον, cum præter morem vomitum differre cogeretur, inutili Orvietano ſuo, cum abominabili & deteſtanda arte miſere periiſſe ac meritam pœnam temeritatis fuiſſe. Vomitoria ventriculum ad *cicutæ* expulſionem adjuvantia, non neceſſum eſt, ut fortiter irritent & ſtimulent, cum jam alias ad conſtrictionem à *cicuta* pellectus ſit. *Aet. & Albucaſ. l. c.* Aquam & oleum ſuadent: ſi tepida & larga manu, iteratis hauſtibus, plenis buccis ingerantur, viæ magis laxantur, vomitus citius minoreque nixu ſequitur, ſimulque quicquid *cicutæ* in ventriculo ſupereſt quaſi ejaculatur, nam pleno ventriculo, laxato ſtomacho, conſtrictis etiam in medio ventriculi fibris circularibus levicule, absque labore facilimeque vomitum in canibus & ranis fieri non ſemel vidi; nec ſemper ad hanc actionem abſolvendam neceſſarium eſt, ut conſtrictionis exordium à pyloro ejusque antro, motu inteſtinorum periſtaltico ſimili, fiat ac ſenſim progrediatur; quod non raro ventriculo prope vacuo vel ab humore, vel pharmaco irritato non niſi magno conatu, diaphragmatis vibratione in ſubſidium veniente, evenire ſolet. Ad vomitum ciendum in hoc caſu valent juſcula pinguia, decoctum hordei cum oleo ſimplici, ut non opus ſit oleum irinum permiſcere, aqua tepida cum butyro, lac cum oleo & butyro, ſincerum aut aqua dilutum: Cereviſia cum ol. & butyro. Oleum amygd. d. rec. ſine igne expreſſum hauſtus ſuaviores reddit: ol. lini & nucis per ſe nauſeabunda ſunt, commodius ad vomitum facilitandum aquæ tepidæ, lacti decocto hordei, cereviſiæ aut juſculis ejus

cunque

cunque generis permiſcentur: quæ una opera *cicutæ* acrimoniam demulcent & obtundunt.

Hauſtibus iſtis tam diu pergendam donec omnis *cicuta* è ventriculo pulſa ſit: admiſceri poſſunt ſc. ſingulis libris oxym. ſ. ℥ij. Oxymell. ſquill. ℥iſ: aut El. Diaſar. Fern. ʒij vel ʒiij. ſi tempus concedatur, nec ob ſymptomatum ferociam feſtinandum ſit, cum aqua aut cereviſia coqui poſſunt rad. aſar. beton. cucumer. ſummitat. aut cortic. virides ſambuc. aneth. Fl. geniſt. perſicor. ſem. aneth. atripl. aliaque hujus generis. Fortiora non neceſſaria quoque ſunt propterea, quia vomitus prompte ſequitur, ſi modo opera detur, ut fibræ circulares gulæ & ſtomachi motui fibrarum circularium ventriculi inverſo non reſiſtant: quod facilè impetratur, ſi ſolummodo aliquid deglutiendum infundatur, unde theriaca aceto ſoluta, quinque puellis vomitum movit, quæ alias enormem vomitum compeſcere ſolet: idem feciſſent quævis alia potulenta, dum fibras gulæ & ſtomachi aliquo modo relaxant, lubentiusque impulſui motuique ventriculi inverſo cedunt, adeo ut non neceſſum fuerit Patri Chriſtinæ Infuſum tabacci arripere: ea tamen laus tabacco debetur quod appetitum huic puellæ, repararit omnesque moleſtias ſuſtulerit, tota nocte dormiverit & mane læta ſanaque ſurrexerit. Si verò ventriculus his in expellendo adjutus voto non reſpondeat, & vomitus tardetur, ad fortiora vomitoria recurrendum eſſet ac præmiſſis liquoribus ſupra dictis tunc demum ſtimulari poſſet ulterius, Oxymell. Helleborat. Geſn. ℥j vel ℥iſ Oxyſachar. Emet. ℥ſ vel ʒvj. Gilla Theoph. ℈j aut ſimili cum juſculo aut alio liquore. *Exc. D. König. in Hiſt. 3. de* ☿ Oxyſach. emet. puello cum fructu dedit, cum alias ☿ ſublim. per ſe fortiſſimum irritans ſit: *Fabr. Hild.* ♄ niata profuiſſe memorat. *Cl. Beverovic. in Theſaur: de Sanit. conſerv. l. 3. c. 20.* ſcribit Feli à devorato arſenico peſſime habenti fruſtulum tabacci cum cibo intruſum fuiſſe, unde vomitu excitato viva manſerit.

Si verò propter Epilepſiam à *cicuta* excitatam diutius continuantem, aut breviſſimis intervallis paroxyſmis increbeſcentibus evacuationem ſeu expulſionem ex ventriculo moliri non liceat, Præſes ſyſtematis nervoſi à tumultibus iſtis avertendus & aberrans in viam reducendus erit, illis quæ in paroxysmis epilepticis & hyſterica ſuffocatione vulgò dicta adhiberi ſolent: qualia ſunt quæ ſenſus veluti ſopitos expergefaciunt. Naribus admoveantur acrimoniam aliquam ſpirantia, ex herb. ſaturejæ, puleg. ruta, majoran, hyſſop. flor. lavend. ruta, ſem. angelic. leviſtic. ſinap. bacc. Laur. Juniper. piper. caryophill. Aſſa fœtid. caſtor. & ſimilibus parata, in nodulum ligata ac aceto aut vino madefacta: Balſam. & ol. ſuccin. rut. Præſtans ad hanc expergefactionem eſt ſpir. ſalis Armon. Urinoſ. quem *Exc. D. D. Sylv.* ſemper ſecum geſtaſſe ajunt, ut in repentinis hujusmodi caſibus ad manum eſſet. Hujusmodi topica naribus quidem propè admoveo, neutiquam verò illis nares inungo, aut profundius indo, cum ceſſante paroxyſmo illita, aut intruſa diu poſtea illis moleſtiſſima didicerim. Ancilla quædam ante aliquot annos ab hyſterica convulſione rigida inſtar ſchidij humi proſtrata jacuit, absque ullo reſpirationis ſuperſtitis indicio, arctiſſime dentibus conſtrictis, artubus prorſus inflexibilibus: fruſtra pila hiſtorica in pharmacopolio noſtro proſtans ex aſſa fæt. caſtor. ſem. rut. angel. ol. ſuccin. & tereb. pomp. confecta, naribus admovebatur; fruſtra corij & ſuccini fumus naribus immittebatur; à frictionibus, vellicationibus, compreſſione digitorum fortiſſima non magis movebatur, quàm ſine vita truncus: tandem incendi cremias ſulphuratas, & dum fumum in nares adigo atque levicule labium ardente cremia attingo, ſuſpirium edidit ac paulò pòſt reſpirationem ac mentem recuperavit, & congruis medicamentis aſſumptis plene convaluit. Alias quoque comperi paroxyſmos epilepticos brevi finiri vel mitigari, ut aquæ anti-epilepticæ infundi poſſent, explicatis digitis, imprimis pollicibus, à

robuſto

robuſto & cordato, ſive Præſes ſua ſponte ad ſaniora conſilia jam proclivis, ſive hac ratione invitatus fuerit. Dum hæc tentantur, ano ſuppoſitoria acria intrudantur ex ſale gemmæ, alumine fuſo, ſapone, aut ſi tantum temporis concedatur ex ſpec. Logad.el.Hier.picr.Galen. ſale cum mell. coct. Paretur quoque Clyſter acris, quales *Scribon. Larg. de compoſ. Med. cap. 47.* adhibendos *cicuta* comeſta monet; properè parari poſſent ex aqua, melle, pauxillo olei vel butyri & ſale copioſiore quam vulgaribus clyſteribus immiſceri ſolet: non ſemel experientia didici, ſal, citra ullum purgans, liquoribus permixtum tam potenter alvum moviſſe, quam ullum aliud purgans, exceptis colocynthide, quæ tormina ſæva, & croco metallorum, qui diras convulſiones ſimul pepererunt. Si *cicutæ* virulentia moram permittat, in aqua herb. cephalicæ cum herb. & ſem. flatus diſcutientibus coqui ac colaturæ Bened. laxat. pro Clyſtere addi poſſet, cum aliis, quæ utilia cenſebuntur. Suppoſitoria & clyſteres motum periſtalticum inteſtinorum ſurſum vergentem, deorſum proliciunt, unaque opera efficiunt ut minus arcte ventriculi fibræ circulares conſtringantur: non ſemel obſervavi in vivorum ſectione & in fœmina cui ab annis inteſtini portio extra abdomen nuda propendebat, inteſtinorum motum ſurſum deorſumque tendiſſe, prout vel in parte ſuperna, vel inferna, etiam levicule illa pupugi ſtilo quodam, citra vulneris inflictionem. Dum hæc peraguntur opera danda quoque eſt, ut dentes à ſe invicem diducantur, tum ut facilius ſpirent, tum ne ſuffocentur ab illis quæ à ventriculo ad fauces truſa fuerunt, quod ebrioſo cuidam eveniſſe novi, qui in rheda mortuus repertus fuit ore & faucibus ſordium pleniſſimis. Id manibus facilè paroxyſmo declinante fieri poteſt, ut non opus ſit clavibus, aliisve ferramentis os effringere: apertum teneatur dentibus ligno tenaci, aut bacillo glycyrrhizæ inter poſito, aut inſtrumento dilatatorio cum cochlea *Cl. D. D. Joh. Scultet.* de picto *in Armament. Chirurg. Tab. 9.*

Fig.9. aut ſpeculo oris delineato *Tab.11. Fig.4.* Utriusque utendi modum ante oculos ponit *Tab.36. Fig. 6. & 7.* Specillo lingua & & maxilla inferior deprimuntur infurioſis & attonitis, donec cibum & potum faucibus inditum ſufficienter deglutiverint. Si itaque vomituriant, ut *Jacobus Maderus*, nihil tamen ejiciant, aut ſi deglutire nequeant, ut *Matthias* Graff/ propter arctiſſimam gulæ conſtrictionem dilatato ore *Cl. Sculteti* inſtrumento, aut depreſſa lingua & maxilla inferiore Hydrelæum tepidum ſiphone, cui cannula incurva adaptata ſit, quæque ultra epiglottidem intrudi poſſit, injiciatur; quod hoc impulſu gulam, fibris circularibus laxatis, & ſtomachum perrumpet, ac *cicutæ* exitum quem jam ventriculus molitur, parabit & facilitabit. Ad hoc opus commodum deprehendi ſiphonem æneum à *Cl. D. D. Graef* poſt *l. de Pancreate* depictum: ſtannei & argentei, maximè ſi lamina tenuior ſit, facile atteruntur à dentibus, remotis inſtrumentis dilatatoriis, ut poſtea inutiles ſint, ut evenit injectionibus iſtis in canibus tentatis. Vomitoriis ſupradictis pergendum, donec cicuta omnis aut maximam partem ejecta ſit, nullaque ejus in ventriculo ſuperſtitis ſigna ſuperſint: ſi nullos ructus allii tetrum fœtorem ſpirent, non angantur circa præcordia, nec valdè doleant; ſi eſuriant ut *Chriſtina* Graffin/ ad Alexipharmaca à Veteribus laudata progrediendum erit. Antequam tamen hoc fiat *Dioſcor. de Alexipharm. cap. 11.* dejectiones faciendas monet, ut & illa quæ ad inteſtina deſcenderint, excernantur. Idem repetit *Aet. Tetr. 4. Serm. 1. cap. 23.* Verùm Puellæ ſex non opus habebant amplius purgantibus poſtquam vomuerunt; nec forte neceſſarium eſt, cum aut pylorus cicutæ tranſitum non concedat, aut ſi forte aliquid cicutæ elapſum ſit, clyſteribus & ſuppoſitoriis ſupra dictis ad excretionem maturam diſpoſitum ſit: Si verò ex torminibus, ardore & inflatione ventris aliquid in inteſtinis de *cicuta* hæſitet, iisdem ſuppoſitoriis & Clyſteribus mitioribus & potius emollientibus ad excluſionem alliciendum erit. Si

omnino

omnino purgantia exigantur, ſolummodo mitiora convenient ſc. ſyr.roſ.ſ.ſ. ſyr. viol. ſ.ſ. ſyr. de cichor. cum Rh. Elect. lenit. El. cathol. El. de tamarind. nullo modo autem danda potentius ſtimulantia ex Gialapp. ſcammon.& ſimilibus, neque uſque adeo bene fiderem aloeticis.

Educta è ventriculo & inteſtinis *Cicuta* omni vel maximam partem, *Dioſcorid. de Alexipharm. cap. 11.* tum demum ὡς ἐπὶ μέγιςον βοήθημα ἐπὶ τὴν ἀκρατοποσίαν ceu ad maximum & præſentiſſimum auxilium vini generoſi potum deveniendum eſſe monet. Eadem verbotenus *Aetius l. c.* in ſua tranſtulit. *Plinius H. N. l. 25. c. 13.* Vini naturam excalefactoriam, priusquam perveniatur aut, ut alia M.S. habent perveniat ad vitalia, remedio eſſe dicit, præteritis evacuantibus. *Scribonius Larg. de Compoſ. Med. c. 34.* quoque vult adjuvari debere in initiis vino mero, ſubinde quam plurimo, caldo & perſe & cum pipere & cum ſtyrace poto ac clyſteres demum vini meri & lactis inter poſiti potui ſubjungit. *Plinius* vinum excalfactorium commendat procul dubio, quia *Cicutam* cum plurimis aliis frigefacientem credidit, idque non obſcure dum ſanguinem ſpiſſando ſuccum ex ſemine paratum necare aſſerit. In eodem errore magna turba huc usque verſata eſt, quæ calida eo ſolo nomine cum vino ſumenda deprædicat. Verum cum multis rationibus & experimentis demonſtratum ſit *Cicutam* calidam eſſe, vinum alio modo quam calefaciendo juvabit: & credibilius mihi videtur vinum eliminata cicuta ex ventriculo ideo auxilium præſtantiſſimum eſſe, quia citiſsime ſpiritus ex afflictione vehementiſſima deperditos reparat, oppreſſos ob circulationem ſanguinis, nunc impeditam, nunc confuſiſſimam, ſuſcitat atque hac ratione præ aliis vires inſtaurat. Vinum hæc efficacius præſtabit admixtis ex *Dioſcorid.* traditione l. c. abſinthio, pipere item caſtoreo, ruta, mentha, amomo, ſtyrace, ſem. urticæ rutæ, foliis lauri, ſucc. laſerpitij: & ſi quæ alia ſint hujus ſortis à *Dioſcoridis* ſequacibus ſuper

ſuper addita. Antidoti magnæ Theriaca, Mithridatium, El. Orvietanum proderunt quatenus diſſolvunt ſanguinem & lympham ob conflictum poſt cicutam ſumptam, circulari motu intercepto, alicubi ſtagnantes, ac propterea virium aliquam oppreſſionem & laſſitudinem aliasve moleſtias poſt ſe relinquentes. Huc pertinent aquæ cordiales ex aq. borrag. bugloſſ. ſcabioſ. card. ben. angelic. cinam aliisque paratæ, add. conſ. alk. conſ. de hyacinth. ol. citr. d. lap. bez. margarit. oculis cancr. tab. man. Chr. perlat. ſimilibusque paratæ. Item Tincturæ Bezoard. *Cl. Joh. Dan. Ludov. Cl. Joh. Michael.* aliæque ſic duas Viduas comeſta in cœna *Cicutaria*, altero die juvit circa meridiem hæc potio propinata ℞ Aq. chærefol. card. bened. añ. ℥iß Aq. Antid. Math. ℥ß Theriac. Andr. vet. ℈ij ſal. C. C. volat. ℈ß. Mixt. ſimpl. ʒß. ſyr. de ſcord. q. ſ. ad dulced. *in Digreſſione Febr. Exc. D. Sim. Paul. Cl. Fr. Joel.* Aq. juniper per deſcenſ. ℥v. commendat & poſtea Antidotos, aut pulv. gentian. ʒj: aut ol. angelic. d. gr. vij cum vino.

Hic non prætereundum videtur Conſilium *Santorell. Antiprax. l. 21. c. 10.* qui poſtquam in prægreſſis ſudorifera non improbavit, ſi venenum ad partes penitiores ſe ſe inſinuavit; & prætulit veneno recenter ſumpto pinguia lac, oleum, butyrum & pinguia quæque aſſumpta, ſubjungit demum *juvare aquam calidam potam & lac, quia habeant vim exſtinguendi calorem, quem ut plurimum venena ſolent inferre.* Et huc quoque *Dioſcorid. l. c. de Alexiph.* collimare videtur, nam Vinum, ceu præſtantiſſimum auxilium, μεταξὺ διαστημάτα per intervalla dare jubet ac inter hæc interſtitia lac Aſininum aut vaccinum quod *Cl. Saracen. in not. ex Paulo* addit, potui datum profuturum ait. Eadem *Aet. l. c.* ſuis inſeruit. *Scribon. l. c.* verba æque conſideratu digna ſunt; poſtquam enim in initiis ſubinde vino mero quam plurimum caldo adjuvandos dixit, protinus huic ſententiæ hæc adjungit *Atqui maxime prodeſt lac Aſininum datum: ſi minus,* ſc. in promptu ſit.

vaccinum,

vaccinum, aut quodlibet.Dioſcoridi alii quoque conſentiunt, quos omnes his inſerere non libet: quicunque demum ſint, ſi *Dioſcoridis & Scribonij* ſententiæ ipſique veritati accedere velint, ſi unquam *cicutæ* virus probe expenderint, aut ſi unquam ægro qui *cicutam* inglutierit, adſtiterint, deprehendent illâ vomitu rejectâ, & viribus à vino mero ſolo, aut aliis admixtis potentiore reddito, vel ab aquis cordialibus reſtauratis, labem ſeu ardorem quandoque inflammatorium ventriculi demulcendum & emendandum eſſe, quod lac optime præſtat, quod ratione ſubſtantiæ butyroſæ demulcet, ratione ſeri abſtergit & ratione caſeoſæ refrigerat & roborat. Lactis ulteriores laudes ad hos effectus præſtandos accomodas, ejusque differentias ex *Gal. Dioſcor. Ariſt.* aliisque collectas atque rationibus confirmatas ſi quis plenius noſcere aveat, conſulat *Nob. D. Melch. Sebiz. de Aliment. Facult. l.3.c.7.p.751.& ſeq.*

Illud tamen diligenter obſervandum puto, Lac non ſtatim poſt vinum hauſtum bibendum, nec lacti poto protinus vinum ſuper ingerendum, tum hunc ob errorem protinus lac grumeſceret, unde novæ turbæ metuendæ forent, quas experiuntur illi, qui lactis potu podagram exſtirpare, aut mitigare annituntur. Ad ardorem ventriculi à *cicuta* impreſſa prodeſſent quoque juſcula alterata herbis recentibus borrag. bugloſſ. portulac. endiv. flor. bellid. min. acetoſ. hiſpan. & ſimilib. Bibant mane & veſperi duabus horis ante cœnam hauſtum ℥iiij vel ℥v. calide. Commode addi poſſent crem. hordei, quo nunc contra aff. hypochondriacam utuntur: paratur ex hordei mundati M. iiij cum ſufficiente quantitate aquæ fontanæ lento calore, donec in pultem hordeum prorſus diſſolvatur: colatur & exprimitur fortiter: quantum v. vel vj. cochlearia capiunt, juſculi alterati doſi permiſcentur: quandoque butyri recentis drachmæ duæ vel tres admiſcentur. Alia attemperantia & demulcentia ad ardorem &

ſuperficiariam inflammationem ventriculi aufferendam ſuaderi poſſent, ſc. decocta, julepi, electuaria, pulveres, tabellæ, aut ſi alia forma placeret aliter confecta medicamenta: Verum quoniam præcipue hic ventriculus à *cicuta* male mulctatus tractandus ſit, atque omnia fere medicamenta ſtomachum lædant & mali, certè ſtomacho non usque adeo grati ſucci ſint, ut *Aſclepiades* apud *Celſ. in Præfat. l. v. de medic.* loquitur, mallem potius omnem curam ad victus rationem, ſeu ad alimenta medicamentoſa, ut nunc vocant, curam transferre quam medicamentis labem hanc emaculare, maximè apud illos quorum valetudinem antea neque deſidia neque luxuria vitiavit, eoque magis quia multiplex iſta medicina neque olim neque apud alias gentes neceſſaria, vix aliquot ſenectutis principia perducit, ut idem *Celſ. in præfat l. 1. de Medic.* bene judicat. Certe poſtquam ſex iſtæ Puellæ omnem radicis *cicutæ* ſaburram evomuerunt, de medicamentis nec quidem cogitatum fuit: convaluerunt autem integre poſtquam ad conſuetam victus rationem redierunt, veſcebantur nimirum juſculis & pultibus ex lacte juſculis avenaceis, hordeaceis piſorum, ex pane primum in butyro frixo & aqua cocta; paſtis farinaceis, raro pane aut ovis admixtis & in aqua elixis, rarius butyro conditis; braſſica capitata & radicibus raparum muria conditis: Vix ſemel in ſeptimana carnibus illisque ſuillis ſale conditis & fumo conditis potiebantur: Potus erat aqua: vinum ab illarum menſis exulavit: delitias enim iſtas ſibi Patres & ſubinde matres ſervabant. Cupedias æſtimaſſent poma & pyra ſiccata, præ omnibus ſacharatis, ſi illorum compotes aliquando fieri potuiſſent. Poſt demulcentia & attemperantia ſi ardor ventriculi permaneret, ægri una atque altera hora à paſtu angerentur, neque ab anxietate ullæ induciæ darentur donec aſſumpta evomuiſſent, vix dubitandum eſſet de denudatione nimia antri pylori, imo non levis ſuſpicio oboriretur exulcerationis alicujus, quæ neglecta in peſſimæ

ſimæ notæ ulcus degeneraret, ut plerunque fit partibus nervoſis exeſis, maxime ſi continue ab humore ſuperfluo madeſiant. In hoc caſu ſine acrimonia ſiccantia ſalutaria præ aliis comperi: Ante aliquot annos Amicus quidam aphthis faucium, gulæ ipſiusque ventriculi aliquandiu affligebatur: vix alimenta mitiſſima ore ferebat, ægerrime deglutiebat, videbaturque bolo inglutito quaſi ferrum candens per gulam traduci, atque cibo intra ventriculum admiſſo ardor quem alias continue ſentiebat, ſummopere augebatur. Suaſeram tunc pulverem ex bolo armen. terr. ſig. unic. foſſ. C. C. uſt. ſem. portulac. cum æquali pondere ſachar. penid. mixtum, de quo ſæpiſſime lingebat: portionem hujus pulveris cum duabus partibus butyri permiſcuit, & ſubinde fruſtulum nucis avellanæ magnitudine in ore liquatam deglutiit: quibus aliquandiu continuatis, ab aphthis liberatus fuit. Similia quoque ita afflicto ventriculo prodeſſent: addi illis inſuper poſſet Pulv. Antihectic. Poterii probe à nitro mundatus. In magno ardore ſubinde lambere poſſet mucilaginem ſem. cydon. malv. arboreſc. rad. alth. conſolid. major, cum aq. nympheæ, lactuc. borrag. aut ſimili extractam, addito paux. ſachar. alb. Victus ratio ſit ex cibis boni ſucci & facilis digeſtionis, quibus cum coqui poſſent herbæ recentes æſtum attemperantes, quales ſunt borrago, bugloſſa, acetoſa Hiſp. portulaca, ſemper vivum maj. fl. nympheæ, aut ſanguinem depurantes quales ſunt chærefolium pimpinell. fl. bellid. min. nollem dum ſuſpicio ulceris addeſſet cibos condire aromatibus, multò minus aceto, ſucc. citr. aut ſimilibus acidioribus. Neque etiam vinum concederem: magis prodeſſent D^m. hord. cum paſſul. ſem. aniſ. aut D^m. rad. Chin. ſaſſafr. lign. viſc. quern. Poſt comeſtam cicutam quidam motum commendant, verum quia hoc conſilium falſa hypotheſi nititur, nempe à *cicuta* ſanguinem congelatum motu incaleſcere ac diſſolvi, unde *Crito Socratem* à loquutione fortiore prohibuit, ne

mortem tardaret motum non imperarem, eoque minus quia dum *cicuta* adhuc intra ventriculum hoſpitatur ita plerunque affliguntur, ut vix admotum perſuaderi poſſint; quia denique manifeſte vires optime reparantur quiete, hoc præceptum diæteticum non magni faciendum, nec ægros etiam à ſomno arcendos exiſtimo; eoque magis quia omnibus puellis profuit: ſola *Catharina Maderin* 24. horis in magno vitæ diſcrimine verſabatur, quod tamen ipſum non plene ſomno adſcribendum eſt, ſed forte aliquibus radicis reliquiis in ventriculo tribuendum videtur, nam illis elapſis, *cicuta* ſubacta, poſtea optime habuit, nulla vigiliarum aut motus habita ratione.

Quomodo dyſpnæa diuturna *cicutæ* virulentia producta, prout ab *Exc. D. Timæo l. 7. caſ. 4.* aut dementia itidem chronica *à Dalechampij not. ad Plin. H. N. l. 25. c. 13.* obſervata, aliive morbi diuturni curandi ſint nolui his inſerere, quia animus erat ſubitaneis affectibus à *cicuta* illatis medelam oſtendere. Et affectus illi chronici peculiarem inquiſitionem diſpoſitionum præviarum, cauſæ proximæ & locorum affectorum poſtulant atque plerunque nullum commercium cum *cicuta* amplius habent. Morbi diuturnitas Medico Practico tempus & otium ſuppeditabunt accuratius omnia penſitandi, auxiliumque opportunum inveniendi. Curationum methodicarum propriarum exempla his generalibus ſubjicere decuiſſet & lubenter id feciſſem, ſi, præter memoratos caſus, ullus unquam hactenus obveniſſet: nullæ his in oris ſunt Anus Athenienſes, aut Fœminæ Batavæ quas libido cicutâ veſcendi titillaret, ſive famis compeſcendæ, ſive ſomni conciliandi cauſa. Rariſſime & non niſi per errorem cicuta ingeritur & plerunque non niſi à prole ruſtica, adhuc rarius his in caſibus opem medicam poſtulante, maxime in locis ab urbibus diſſitis, cujusmodi ſunt ubi *cicutæ* aliquis proventus eſt. Jam ab aliquo tempore captavi occaſionem in brutis periculum faciendi:

di : prout auſus ſum ipſis cicutam , virulentiæ ejus indagandæ cauſa, ingerere, verum hactenus votis meis excidi : interea commodam non negligam & ſiquid memorabile comperero illud publico non invidebo. Interea hæc de *Cicuta Aquatica* ſcripta ſufficiant.

DEO TRIUNO

Soli Optimo, Potentiſſimo & Sapientiſſimo ſit Laus & Gloria in æternum.

Viri Clariſs.

D. Joh. Jacobi Harderi, Medici & Philoſophi Baſileenſis.

Experimenta *Succi cicutæ terreſtris.*

C*Uniculis Braſilienſibus* duobus præterito menſ. Majo. anni hujus 1679. de radice & foliis cicutæ ſub meridiem comedendum tradidi, quæ primâ vice famelici avidè arripuerunt, mox autem acredine fortè hujus plantæ territi, ab eâdem deſtiterunt, hinc illam braſſicæ involutam aliisq; herbis, quibus aliâs delectantur, obtuli, atq; ita haud parum foliorum cicutæ intruſi, id tamen obſervavi quod quoties vel tantillum eorum ſubolfecerunt, vel guſtu deprehenderunt, rurſum inter maſticandum ejecerint: Unde ſuccum recenter ex radice & foliis expreſſum, illis infudi, ſatis magnâ quantitate: Et quidem *ille* ſucco bibito, noluit comedere, ſub veſperam ſe corrugavit, die inſequente vertiginoſus evaſit, hinque vivere deſiit: Poſtquam ipſum cultro ſubieciſſem, deprehendi ventriculũ & inteſtina aliquomodo inflata, intus tamen nullo modo gangrænata vel corroſa: Viſcera cœtera nullâ labe notabili erant affecta: Sanguis verò in cordis penetrabilibus fluidus extitit: Hic verò ſoſpes manſit, dieque poſt exhibitum ſuccum, gemellos peperit, quorum alter mox periit: Num aliqua à ſucco cicutæ etiam in hoc facta fuerit fibrarum nervoſarum irritatio, quæ utero communicata, ipſum ad excretionem ſtimularit, cum fœtus non omnimodo viſi fuerint abſoluti, vel etiam, num miaſmata quædam ſanguini confuſa, fœtus hauſerit, hic non litigabo? donec ulterioribus experimentis plura edocear.

D. 23.

D. 23. Julij præſentibus Clariſſ. & Præſtantiſſimis Viris. D. *Cand. Hardero* Scafuſ. D. *Chriſtophoro Burckardo* L.L. Studioſo, D. Dan. *Zollikofero Sangallenſi* : φιλιάτρῳ Vulpeculis duabus, alteri octodecim, alteri duodecim circiter ſeptimanarum ſucci *Cicutæ*, ab ℥vj ad ℥viij infudi, quarum illa quieta perſtitit, nullo dato doloris vel nauſeæ indicio, hæc verò junior, primùm valdè ſe concutiebat, vomituriebat, oculis torvis adſtantes aſpiciebat, omnia rodebat, & celeriter crebroque reſpirabat, nunquam tamen vel mingebat, vel alvum exonerabat, quin imò exantlato hoc paroxyſmo, ſibi rurſum reſtituebatur, undè cum nullum alium viderem inſequi effectum, licet per horam & ultra expectarim moræ impatiens, priori, quæ tranquilla plane jacuit, ℈ß circiter ☿ ij ſublimati in liquore exhibui, quò aſſumpto mox vivere deſiit, utrum aliquid de hoc per aſperam arteriam ad pulmones penetrârit, cum nulla ſigna convulſionum vel alia ſymptomata increbuerint, ignoro: Id vidimus, quod pulmones maculis atrolivescentibus valdè fuerint conſpurcati: Contrà in ventriculo & inteſtinis præter ſuccum cicutæ prius exhibitum, ne cri quidem reperimus: hinc alteri ℈j præter propter ejusd. ☿ ij. ſublimati cum carne commiſti propinavimus quem avidè ſatis deglutiit; Ab initio quidem quaſi hujus vim eſſet eluſura videbatur, mox autem agitari & angi adque vomitum ſtimulari incepit, nullâ tamen ſubſequente materiâ vel liquidâ vel ſolidâ, diaphragma mirè concutiebatur, venter imus ſummopere inflabatur, & ſpuma præ ore fluctuabat multa: non tamen dejecit nec minxit, fortè quia minori copiam ☿ ium deglutierat, ſed horâ circiter poſt exſpiravit: In diſſectâ notavimus ventriculum & inteſtina ſummopere diſtenta, bile hinc inde conſperſa: Veſicula fellis cum vaſculis ſuis tenuiſſimè inflata comparuit, omni ferè bile orba. Hepar plurimis maculis lividis dotatum: Ventriculus quo ad internam faciem intensè rubebat, tunicaque mucoſa aliquantum abſcedere incipiebat: Pulmones itidem valdè maculati:

culati: Sanguis in corde grumoſus plurimus: Adhuc evidentius noxiæ ſuæ ἐνεργείας τεκμήριον ☿ ius idem minori doſi exhibitus, edidit in Cuniculo Braſilienſi, cujus inteſtina tenuia ex atro rubebant: Tunicaque ventriculi mucoſa, ferè omnino deterſa erat: Hepar cum pulmonibus inſigniter maculatum, & veſicula fellis itidem diſtentiſſima: Et quidem de ☿ ij in membranas nerveas & nervos activitate, non puto eſſe quenquam, qui amplius dubitet: de Cicutæ verò terreſtris virulentiâ adhuc quiſpiam hærere poſſit: Quicquid ſit licet concedatur, eam acrimoniam, idque virus ei non ineſſe, quod aquaticæ, negari tamen non poterit, & hanc particulis acribus & vellicantibus præditam eſſe, quod vel dicta ſymptomata evincunt, in cuniculo altero, cujus tunica mucoſa haud dubie non ita fortis erat, uti vulpeculæ quæ tamen omnem ſtimulum effugere non potuit. Fortè etiam, ſufficienti ſi exhibeatur quantitate, ſi non lethalia, ſaltem graviora ſymptomata parere potis erit, quod in aliis adhuc animalibus, datâ occaſione explorabimus.

F I N I S.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A.

Acidulæ Sylvæ hercyniæ, p.14.
Aër in inſpiratione ad cavitatem pectoris penetrat. p.175
Alexipharmaca contra cicutam proſunt. 30.31
Alexipharmaca poſt cicutam hauſtam ab initio exhibere non adeo tutum 321.
Amygdalarum amararum effectus in ciconiâ femellâ. 235
In columbo adultiori. 287
In columba. 239
In fele bimeſtri. 241
In Gallo gallinaceo. 242
In fele bimulâ. 243
Grandiori effœtâ ibid
item juniori. 244
In vulpeculâ novem ſeptimanarum. ib.
Amygdalæ amaræ, convulſiones univerſales non minus quàm cicuta aquatica excitare poſſunt. 246
Amygdalæ an excorticatæ mitius & tardius noceant quàm non excorticatæ. 248
Vitam quoq; eripuerunt non ob ſanguinis coagulationem vel profuſionem ſed ob fibrarum cordis motum abolitum. 248
Antimonij effectus in cane robuſtiore. 249.
Ejusdem diſſectio. 250
In catello projectitio. 253
In fœminâ cachexia laborante. 254
Vitri Antimonii —— effectus in viro 29 annorum. 256
Symptomatum ſubſequentium deſcriptio. 258
Illorum Cauſæ. 259
Prognoſis & cura 261
Reſponſio Authoris & Cl. Harderi ad præcedentem hiſtoriam & curam. 264
Antimonii crudi natura & effectus. 271
Antimonii utilitates variæ. 272
Aquæ phagadenicæ deſcriptio. 315
Aquilæ Anatome 171 usq; ad 384
Archæus cur in cane vetulo non in furorem actus. 152
num ſemper conſilio motus imperet. 106 & 107.
Architectus in cicutâ protrudit radices, caules, &c. 73
Architectus in plantis non eſt accidēs 76
Arſenicum non eſt minerale imperfectius. 289
ex quibus conſletur. 290
Salinum eſt. 291
Periculoſi uſus eſt. 292

(Vv) Vene-

Venenum eſt. 293
Qui virulentiam ſuam exerat ib. & 244
Ejus particulæ ſanguini permiſcetur 295
Lac ejus vim obtundit. ibid.
Arſenici contuſi effectus in puello duorum annorum. 274, & ſeq.
In puellâ adultiore & media. 276
Puelli diſſectio. Ibidem
An puellus duorum annorum ab Arſenico pulticulæ permixto, antea valetudinarius enecatus fuerit. 277
Arſenici Cryſtallini cum mixtura farinæ avenaceæ effectus in puero vegeto & obeſo. 280
In duabus puellis. 281
In cane. 287 & 88
in puellâ phtiriaſi laborante 289
Avium carnivorarum tunica cruſtacea, denſior eſt quàm in homine 174
cur facilè vomant. 175.

B.

Brutorum anatomiæ utiliſſimæ ſunt. 131
Butyrum ♀ij commendatur. 292

C.

Caloris extremorum cauſa. 51
Caſtratorum Hiſtoria. 100 & 101
Cicutæ aquaticæ locus natalis. pag. 1
Cicuta aquat. alia facie eſt vere, alia æſtate &c. 2.
Ejus deſcriptio. 2. & ſeq.
Radic. caules flores. ibid. & ſeq.
Ejusd. noxii effectus. 5. & ſeq.
Cicutâ Athenienſes uſi. 15
Cicutæ aquat. ſpec. ibid.
Cicut. aquat. Geſneri cum noſtrâ congruit. ibid.
Cicutæ qualitas ſecund. vet. 17
frigiditas ejus, non apud omnes in confeſſo. 18. 19. calida eſt. 21. conſtat partibus ſalinis ſulphureis ſpirituoſis ibid. & 22.
Cicutæ odor monſtrat calorem. ibid.
Cicuta, quî in fœminis cœcitatem induxerit. 31. 32
Cicutæ ſummum frigus rationibus & experientiâ refutatur. 35 36
Cicutæ ſuccus tunicam membranoſam vellicando cardialgiam parit. 81
Cicutæ utilitas ſec. varios. 84
Cicuta aquat. qualitatibus tangibilibus egit. 107
Variorum hujus effectuum in 7. ſubjectis ratio. 108. usq; ad 113
Cicutæ terreſtris virulentia. 312
in Italia.
Externus cicutæ uſus. 314
à quibus qualitatibus procedat. ib. & 315
Cura poſt cicutam aſſumptam quî inſtituenda. 317 & ſeq.
Vomitu è ventriculo educenda. 319
Coagulum quod fit in febribus non agnoſcit frigus. 53. à calidiſſimis efficitur. 54
In lupo non coagulátio aliqua ſanguinis ſed cordis enervatio mortis cauſa exſtitit. 183
Cocculorum in fele effectus 184. 85. & 96
ætiologia ſymptom. p. 187. & ſeq.
vim habent vellicantem & rodentem. ibid.
ſpaſmos cient. ibid.
earum effectus in cane venatico. 190

In canicula. 191
ineſt cocculis vis Helleboro albo ſimilis.
In alio cane noxæ. 202. 203
Conſenſus fibrarum & membranarum nervoſarum cum aliis aliarum partium. 194
Cordis ceſſatio à motu non ſemper ad ſanguinis aliquod vitium referenda. 217.
Coronæ imperialis virulentia. 33
hircum olet. ibid.
Coronæ Imperialis effectus in cane. 225
Illius Bulbus cicutæ virulentiæ non impar. 226
Croci metallorum, florum alborum & vitri ♄ij noxæ. 272
Cicutæ effectus in cane moloſſo. 134
In cane juvenculo. 135. 136
Symptomatum in utroq; ratio. 135. 137.
Ejus effectus in cane vetulo. 140. 141. 142.
Anatome ibid. uſq; ad p. 147
Aetiologia. 148. 149. 150.
De manifeſtis cicut. qualitatibus teſtatur. 151
Cicutæ aquat. effectus in lupo. 153
Symptomatum cauſæ. 56
Cicut. terreſtr. effectus in lupâ. 157
aquat. noxæ in eâd. 158. ad 161
Anatom. hujus deſcriptio, ib. ad p. 165
Anſeres in gyrum agit. 165
Cicuta terreſtris calida eſt. 166
Cicutæ particulæ maſſam ſanguineam & cerebrum ſubintrant. 168
Non tamen ſemper nervos circa originem irritant. ibid.
Aquat. effectus in aquilâ. 170
Cicutæ varia utilitas. 310. & ſeq.

D.

Danubij origo. 1.
Danubius non ab extremâ Hiſpaniâ derivandus. 10
Dolores ſæpè acutiſſimi abſq; convulſionibus ſunt. 103. 104

E.

Effectus cicutæ noxij, ferociæ & caloris ejus ſigna ſunt. 23. & ſeq.
Empl. de cicutâ contra lienem magnum. 84
Epilepſia excitari poteſt cerebro & cerebello incolumi. 97
Extremorum frigus oritur ob ſanguinem exhauſtum. 55
Extrema frigent, ob motum cordis languidiorem. 56
à variis cauſis oriundum. ibid.

F.

Febres acutas non rarò extremorum frigus comitatur. 45
Exemplis confirmatur. 46. 47
In febribus malignis non ſemper coagulum ſanguinis accuſandum. 52
Fibræ ventriculi & inteſtinorum nervi ſunt. 87
Vim ſe movendi retinent etiam mortuo animali. 89
Cordis fibræ etiam poſt mortem vim ſe movendi non rarò retinent. 89

Fibræ contractæ breviores evadunt. 91
Diſſectæ rurſum coaleſcunt. ibid.
Modus quo fibræ partium coaffi- ciuntur. 96
Frigus extremorum. 40. *non tollit particulas cicutæ calidas & acres.* 44.
Frigus enorme magis obſtupefacit, quam ſpaſmum inducit. 38.

G.

Gialappæ Magiſterii effectus in catello. 221. *in cane ſemeſtri.* 222
Gialappa non tantùm irritandi ſed & inflammandi vim habet. 224. *lumbricos latos expellit.* ibid.
Glandulæ inteſtinales. 206.207
Guttæ ſerenæ curatio. 127

H.

Hellebori albi effectus in catello. 219
Helmontij duo principia ad nutritionem num ſufficiant. 74
Herbarum variarum cum cicutâ prodeuntium hiſtoria. 13
Hiſtoriæ variorum, quibus ſuſpicio fuit venenum fuiſſe ſuggeſtum. 284.285. 286.287.
Hiſtor. Nicol. Fontan. 38.39. *non patrocinatur cicutæ frigori.* ib. & *ſeq.*
Humoribus facilis ad cerebrum via per ramos arterioſos. 126
Hyoſcyami noxæ. 230.
Illius natura vulgo frigida creditur, calidam tamen eſſe ex hiſtoriâ patet. 233.

I.

Indicationes circa cicutæ eliminationem obſervandæ. 318
Fœminæ infanticidæ hiſtoria Anat. 113. *uſq; ad* 125.
Obturato collo veſiculæ bilariæ non ſtatim ſequitur icterus. 176.

L.

Lac acrimoniam ſucci cicutæ infringit. 167.
Lapides rubedine cinnabarinâ. 13
Litus mercurialis in cane tigride effectus. 299.
Lupi interiorum luſtratio 154.155
Lupi ſectio anatomica. 179 & 180.
Lympha intra anfractus cerebri contenta cephalalgiæ cauſa. 175
Vaſis lymphatici D.D.Brunneri deſcriptio. 201

M.

Maculæ lividæ in pulmonibus non ſemper ſunt malignitatis indicia. 128.
Aliorum mechanica fibrarum explicatio minus congrua, 92
Mentis ab alienatio cicutæ calorem probat. 37
Mercurij ſublimat. noxæ in cane, 296 97.98. *cum iis quæ in ſectione obſervata ſunt.*
☿ij vivi effectus. 300
Subimati in cane eodem. ib. & *ſeq.*
In puero bimulo. 302
☿ij dulcis effectus in catello. 303, & *ſeq.*
☿ius dulcis mitior eſt magiſt.gial. 308
Mineralia ſylvæ nigræ. 14
Cordis motus, animalis à variis pathematis

matis pervertitur. 57.58.

Mortis Socratis anatomica deſcriptio 63.64,65. ad finem. cap.

N.

Napellus calidiſsimus, extremorum frigus efficit. 49.50

Napelli in catello noxæ. 176.177. *in lupo.* 178.179.

Napellus calidus eſt, & acris. 182 *ejus virulentia.* ibid.

Nervi alicubi ganglia adſciſcunt. 88. *in anſeribus in lamellam oſſeam degenerant.* ibid.

Nucis vomicæ effectus in catello. 194. 195 *in canicula.* 196.197

Quæ poſt mortem inventa. 198.199. *in cane effectus.* 203,204. *in fele.* 209

Nucis vomicæ qualitates. 210. *convulſivorum motuum cauſa eſt.* 211. *non per exploſionem vel per quintam eſſentiam ſanguini permixtam, ſed per irritationem.* 213

Pororum aptitudo ad nutritionem requiritur. 74.75

O.

Oenantes Lobel. quæ. 15

P.

Ductus pancreatici abſciſsio citra nutritionis labem. 202. 205

Pancreatis ſuccus ad Chylificationem & ſanguificationem tantopere non neceſſarius: chylum tamen diſtribuere & perficere adjuvat. 218

Particulæ, generi nervoſo inimicæ, à cerebro abreptæ, non ſemper epilepſiam efficiunt. 99

Plantarum Virtutes non prorſus occultæ ſunt. 77

Phellandrium non omninò cum cicutâ aquat. convenit. 15

Polypi cordis ſanguinis diſtributionem impediunt. 55

Præſes ſyſtemati nervoſo præfixus 101 *non eſt voluntas.* ibid.

Nec appetitus ſenſitivus. ibid.

Interdum univerſales convulſiones imperat. 104

Præſidis nervoſi, exiſtentia confirmatur. 105.

Q.

Non omnia occultis qualitatibus adſcribenda. 71.72

R.

Radicum pori non nutriuntur purâ aquâ. 73

Reſpiratiò ceſſare poteſt, quandoq; ſuperſtite vitâ. 169.

S.

Salia acida coagulant. 54

Salivationis poſt illitionem ☿ij impeditæ cauſa. 304

Sandarachæ ac glaſti indici noxij effectus. 283

Sanguis indifferenter ad exteriora propellitur. 51

Sanguis admodum fluxilis hæmorrhagiæ enormioris cauſa fuit. 52

Sapor cicutæ acris. 22. *caloris indicium.* ibid. & 23.

Sarcoceles hiſtoria. 101.102

Senſus contriſtatio in ventriculo non de

cicutæ ſummo frigore teſtatur. 36
Serum à calore febrili ſpiſſius redditum ſanguinem vix remorari poteſt. 5
Singultus nunc à diaphragmate, nunc à ventriculo circa ſtomachum affecto oritur. 82.83
Siphones qui in inſultibus epilepticis commodiſſimi. 326
Socratis mors non fuit naturalis. 62.63
Solani vulgaris noxæ occaſione baccarum à pueris deglutitarum, illorumque curatio. 226. 227
Solani furioſi effectus in puero decem annorum. 227
Solanum vulgare calidum eſſe patet, ex particulis ejus calidis & pungentibus. 229
Sopor profundus de cicutæ frigore teſtatur. 38
Spicula ☿ij ſublimati vehementia ſunt. 305.306. flatuum cauſa eſt. 307
Spiritus theriacalis, D. D. Meyeri. 30
Spiritus vini extremorum frigus parit. 50.
Spiritus Sal. armon. commendatur. 324
Stomachus & pylorus, quare acutioris ſenſus quàm reliquus ventriculus. 85
Succus Cicutæ ſpiritus animales torpidos reddit. 30
Suffocatio uterina vulgò dicta non ſemper uteri vitio oboritur, 24

T.

Tendines conſui poſſunt. 92.93
Tumor in præcordiis ab orificio ventriculi utroq; conſtricto. 82
Tumor continens ſubſtantiam polypoſam. 208
Tunicæ mucoſæ ventriculi uſus. 85
Tunica glanduloſa ventriculi glanduloſa non eſt. 129

V.

Vapores ab utero aſcendentes ſatis obſcuri. 98
Venena ante necem in extremis frigus excitant. 48
Venenum Socrati propinatum num cicuta fuerit, dubium eſt. 60
Venenorum actio. 79
Veneni varij ſec. varios afficiendi modi 130 &c. 216.
Vermium cucurbitinorum deſcriptio 223
Vertigo cicutam calidam & acrem evincit. 37
Liquor ventriculi unde ſuppeditetur. 80
Ventriculus movendi vi præditus. 86.87 adjuvatur ab influxu cerebri & cerebelli. 90
Ventriculi interna ſuperficies ſummè ſenſilis. 83. magis ſenſilis quàm cutis ibid.
Ventriculi & inteſtinorum motus emortuo corde ac cerebro nullos ſpiritus ſuppeditante aliquandiu ſuperſtes manere poteſt. 218
Vinum quî eliminatâ cicutâ juvet. 327
Num tutum ſit vomitoria in epilepſiâ à cicutâ inductâ exhibere. 319 & 320 lenia conveniunt. 322

F I N I S.

D. O. M. B.

DISSERTATIO MEDICA

De

THEE HELVETICO,

Vom

Schweitzer-Thee.

§. 1.

HUmanæ quædam eſt mentis imbecillitas, ut quæ rara ſunt, aut è diſſitis advehuntur angulis terræ, pluris ſemper æſtimet, utcunque minus forſan utilia, quàm quæ ante pedes exiſtunt, ac ſine difficultate haberi poſſunt, prærogativâ quoque utilitatis ſeſe magis commendantia. Adamanti, Saphyro, Rubino, Margaritis, ſimilibusque aliis rebus minus obviis, tantum apud homines pretium nonniſi raritas ſola conciliavit, ut alia prætercam. Sed utinam hæc æſtimandi conſuetudo in civili tantùm vitâ locum inveniſſet, neque in forum quoque Medicum tranſiiſſet! in quo nunc Plebeji aut Ruſtici Ruſticæve interdum haud vulgaria amplius, & vili pretio venientia, utcunque aliàs magis efficacia, ſed pretioſa potius & cara deſiderant, poſtulantque ſibi in morbis, quibus affliguntur, ordinanda atque exhibenda remedia, quibus ſi fortè præſcriberes quindecim obolorum purgans, ſalubre illud,

Quæ rara cara ſunt.

illud, bonum, & feliciter operans, ſuccenſerent tibi facilè, credentes te ipſorum ſanitatem prorſus vilipendere, neque curam illius tanti æſtimare. Nimirum infixæ plurimorum animis iſta hæret planè ſuperſtitioſa opinio, virtutem & efficaciam medicaminum pretii magnitudine æſtimari debere, hincque effectu potentiora & excellentiora ſemper ea exiſtere, quæ raritate non minus quàm caritate cætera antecellunt. Atque hæc cauſa eſt procul dubio potiſſima, ob quam remedia communia, euporiſta, domeſtica vili pretio venientia, apud multos à longo tempore vileſcere cœperint: cùm enim v. gr. corpus eſſet purgandum, non ſufficiebant amplius, quæ ex *Acaciæ*, *Violarum*, *Perſicorum*, aut *Roſarum floribus*, non quæ ex *Hellebori nigr. Aſari*, *Bryoniæ*, *vel Ebuli radicibus*, non quæ ex *Violarum ſeminibus*, aliisve inquilinis parabantur uſûs tutiſſimi pharmaca, exiguo venalia; ſed arceſſenda fuerunt è diſſitis oris longè pretioſiora, *Radices* v. gr. *Rhabarbari*, *Turpethi*, *Ipecacuanhæ*, vel ſimilia alia. Si fuit alterandum, quæ pulchrè & efficaciter operantur, jam inde à vetuſtiſſimâ ætate commendata, Remedia inquilina, nihilòminus planè viluerunt, cùm eorum loco alia monſtrarentur, ac afferrentur, ex orientalibus vel occidentalibus Indiis in Europam devecta nova planè Medicamina, prius incognita; hæc enim, utcunque ſæpius adulterata, ſtatim magnâ cùm aviditate, quia recentia erant ac rara, nec minus pretioſa, acceptabantur, inque uſum multiplicem trahebantur.

Inquilina & euporiſta deſpiciuntur.

Exotica extolluntur.

Exemplis id illuſtratur.

Thé Indorum commemoratur.

II. Eminent autem inter hæc præter *Radices Ipecacuanhæ*, *Niſi*, *Pareiræ bravæ*, *Grana Coffée*, *Succolatam è granis Cacao*, *Cinamomo*, *Pipere* & *Saccharo* fabricatam, plurimaque alia, etiam exoticæ Fruticis Folia, *Thé* nomine apud *Sinenſes* venientia, *Japonenſibus* autem *Cha* vel *Teha*, & *Tartaris Tai* vel *Tizai* nuncupata, quorum Fruticem Pluckenetius in *Phytographiâ* vocavit *Evonymo affinem Arborem orientalem nuciferam flore roſeo*, Jacobus Breynius autem *Exotic. Centur.* 1. *cap.* 52. *Thé Sinenſium, ſive Tsiam Japonenſium*; ac uterque Bauhinus *Chaa Herbam Japoniæ* nuncupârunt. Equidem plures jam exiſtunt Medico-Botanici, qui Fruticis hujus deſcriptionem nobis plus minus exactam dederunt, è quibus hinc colligere haud difficulter potuimus, illam multis denſiſque *Ramis* eſſe inſtru-

ſtructam, Corticem albicantem habentibus; *Folia* portare obſcurè viridia plus minus exigua, oblonga, acuminata, in ambitu nonnihil ſerrata, ſaporis cum leviuſculâ quadam amaritudine exiccantis, vel ſubadſtringentis; *Flores* inſuper ferre uberrimos, quinque petalis albicantibus vel pallidis conſtantes, multa in medio ſtamina luteola habentes; quibus ſuccedant *Fructus* ſive *Baccæ*, recentes quidem virides, ſiccatæ autem, cortice magis rugoſo, ex ſpadiceo fuſco veſtitæ, atque *Semen* continentes ſive *Nuculam* tenui putamine indutam, ac *Nucleo* ſubalbido, valdè rugoſo, ſaporis primùm dulcis, poſtmodum amari ac nauſeabundi, tandem verò calidi valideque exiccantis, conſtantem.

III. Juxta Obſervationes autem *Wilhelmi ten Ryne*, Magni Imperatoris Japoniæ Medici, Semina Fruticis hujus menſe Februario à Japonibus telluri bonæ, dulci, non ſalſæ, neque limoſæ, neque arenoſæ nimis, ſed temperatæ confertim mandantur, unde Frutices propullulant, è quibus tertio demum germinationis anno, Aprili, Majove menſibus Folia decerpunt quacunque diei horâ, domumque circa veſperam deportant, ubi ea fuſæ è ferro Patellæ Sinicæ planè nitidæ atque candenti injiciunt, manibus aſſiduè vertunt, usque dum flacceſcant, mundæ tunc ſtoreæ, vel papyro imponunt, ac flabello perflant, ut frigeſcant: poſtea in planis ex Arundine Indica factis corbibus conterunt, donec compactè criſpentur; hinc verò iterum in purâ, & modicè candefactâ patellâ, uti prius, manibus continuè verſant, usq; dum mediocriter induruerint; dein patellâ eximunt, flabello frigefaciunt, atque in tertia quartâve patellis per gradus minus calefactis revolvunt, ut majorem ſiccitatem ac duritiem adipiſcantur; tandem ollis intrinſecè vitreatis, probè incluſa ſervant, ac in Urbes, Pagosve venalia deportant. Hâc autem ſcrupuloſâ deſiccatione an non melior ſit, quæ in umbrâ inter papyrum ſub æſtivi aëris calore producitur, haud ſine ratione dubitamus.

Quemadmodum Thée Indorum plantetur, ac præparetur.

A Nobilioribus.

IV. Ruſtici hinc atque tenuioris conditionis Homines, in Indiis Orientalibus Folia iſta promiscuè in æneo cacabo aquâ mundâ repleto ſuper lenem ignem blandiſſimè decoquunt, atque ſic totâ die pro communi potu in foco ſuſpen-

Thée uſus.

 ſum

ſum tenent, donec iteratis tincturis inde extractis, folia viribus planè exuta rejiciantur, novaque denuo ingerantur. Primates autem & locupletiores Incolæ nullum in re domeſticâ opus majore cum ſedulitate, faſtu, nitore ac artificio curant, quàm *Theé* præparationem in Japoniâ; folia nimirum in pollinem ſive pulverem tenuiſſimum molendo redigunt,pulveremq; hunc cum ſuperfusâ aquâ fervidâ ſorbillant. Sinenſes autem noſtro more fervefactam in cacabo Aquam fontanam, ſiccis atque integris Foliis *Theé*, ſingulari Ollæ figulinæ prius injectis, ſuperfundunt, tincturam inde extrahunt, eamque limpidâ aquâ ad gratam amaritudinem temperatam, ac ſi lubet tantillo *Sacchari* edulcoratam, ſorbillant.

Exploratio BonitatisThée.

V. Si bonitatem *Foliorum Theé* ſcire deſideres, eam quærendam unicè habebis ſecundùm Obſervationes *Ten Ryne*, in gratâ quadam fragrantiâ, quæ proximè ad Fœni recentis odorem nonnihil aromaticum accedat, ut & colore viridi, atque ſapore ſubamarè dulci, ubi parum maſticata fricta que vividum ex ſeſe virorem emittere debent.

Virtutes & Operationes TheæIndorum in Oeconomiam corporis humani.

VI. Vis tandem horum exoticæ Fruticis uſitatiſſimæ Foliorum, ex obſervatione Pauli Hermanni in *Cynoſurâ Materiæ Medicæ*, ab *Excellentiſſimo Argentoratenſis Univerſitatis Profeſſore Medico*, Johanne Sigiſmundo Henningero in lucem editâ, conſiſtit in ſale volatili blando, potius quàm fixo, quod acida quævis diſſolvit, ac per Urinam educit, unde in Cruditatibus Mali hypochondriaci, Podagrâ & Nephritide mirè conducit, ſpiritus valdè auget, & confortat, eosque in continuâ agitatione conſervat: proin etiam Folia cephalica audiunt, atque in confortanda Memoriâ, arcendo Somno nimio, ac inducendis Vigiliis elegans remedium ſunt, à *Chinenſibus* in Comate, tam vigili quàm ſomnolento, promiscuè commendatum; qui ipſi porrò Foliis iſtis facultatem attribuerunt Sanguinis impuritates quascunque,præcipuè ſalſas, acidas, ſcorbuticas corrigendi, horrenda inſomnia pellendi, vapores à cerebro malignos arcendi, Vertiginem profligandi, Capitis dolores quoscunque, præſertim etiam à crapulâ oriundos mitigandi, diureſin egregiè promovendi, Hemicraniam diſſipandi, ſabulum & mucum Renum ac Veſicæ abſtergendi; hinc incipientem Hydro-

Hydropem, Anaſarcam, Cachexiam ſanandi, Capitis Rheumata exiccandi, Ingenium acuendi, acrimoniam humorum corrigendi, obſtructiones Cerebri ac Viſcerum reſerandi, Viſionis ſenſum inſtaurandi, aduſtos ac efferveſcentes humores temperandi, Lienem induratum emolliendi, corpora vegetiora agilioraque torpore excuſſo reddendi, Cor exhilarandi, Timorem propulſandi, Inteſtinorum Tormina ac Flatus diſcutiendi, vires Artuum debilitatas, tonumque membranarum ac tendinum roborandi, à Nephritide tandem, Renum & Veſicæ Calculis, ipſâque Arthritide Homines præſervandi; quamobrem in Japoniâ rariſſimè, aut nunquam reperiuntur, qui talibus Affectibus laborant. Has autem virtutes Folia illa felicius in Orientalibus quàm in Europæis noſtris Regionibus, exequuntur, quoniam, illi Populi quotidie hunc potum Thée ingurgitant, atque præterea temperatiore Victûs ratione utuntur, quàm Europæi.

VII. Hinc non æquè omnibus in Europâ Hominibus Thée potum, præprimis largiorem, conducere deprehendimus; quibusdam enim Vertiginem, aliis Tremorem Artuum, pluribus in Fœminino ſexu hyſtericas Paſſiones, aliquibus frigora internarum partium, in aliis alia ſymptomata morboſa excitâſſe, infallibiles quorundam Medicorum hiſtoriæ tradunt. Equidem veritati conſentaneum arbitror, non tam uſûi Infuſi Foliorum Thée rectè accommodati, quàm verò ejusdem abuſui quoad quantitatem & qualitatem, tales Affectus morboſos eſſe adſcribendos. Ita enim ex relatione Viri fide digniſſimi habeo, ipſum in Illuſtri quadam Helvetiorum Civitate ad Virginem, 25. annos natam, vocatum eſſe, quæ mortuæ inſtar, tota pallida, imbecillis ac enervis jacuerat, ſine *Febri* ullâ, aut alio conſpicuo certo morbo, ſi *Anonexiam* excipias; dum autem in occaſionem extraordinariarum debilitatum inquireret diligentius atque exactius, compertum tandem eſt, paucos ante dies Virginem hanc cum duabus aliis Virginibus, ſimiliter malè habentibus, uno eodemque mane ſeptem *Infuſi Foliorum Thée* menſuras, tribus *Sacchari* metis (mit 3. Zucker-Stöcken) ſex ad minimum libras pendentibus, edulcoratas exhauſiſſe. Novimus alios, quibus Infuſi ejusdem largior potus Chylificationem quoque turbaverat.

Nocumenta quibusdam à potu Thée illata.

Tres Virgines 7. menſuras potûs Thée cum 6. libris Sacchari capiunt.

 VIII.

Helvetii meritò de analogo quodam ſalutis præſidio cogitarunt.

VIII. Cùm autem nihilominus iſta *Folia Theé*, ſi genuina fuerint, neque vetuſtate exoleta, inſignem effectum tam præſervando, quàm ſanando præſtitiſſe hactenus deprehenſum ſit, atque interea ſæpius eadem vel inveterata, vel jam infuſa, iterumque ſiccata, ac viribus eapropter orbata, vel aliarum quoque Fruticum foliis adulterata ad noſtras Regiones deferri notatum ſit, haud immeritò ab Incolis Helveticarum Alpium, ſaluberrimis Herbis ac Fruticibus quotannis obſitarum ac ſuperbientium, à longo jam tempore cogitatum fuit de ſubſtituendis, in *Foliorum exoticorum Theé* locum, Stirpibus aliquibus alpinis ſummè ſalubribus, neque adeo ingratis, aut injucundis. Atq; hinc modò hujus modò illius Plantæ Folia, inſtar *Foliorum Theé*, ſufficienti Aquæ fervidæ infuſa & uſurpata ſimilem propemodum effectum habere deprehenſa ſunt. In ſcenam autem heic producta maximè fuerunt *traumatica*, atque *cephalico-ſtomachica Folia*, & quidem nunc *Betonicæ*, nunc *Veronicæ* (unde emerſit *Tractatus* ille *Joh. Franci*, de *Veronicâ Theézante*) nunc *Saniculæ*, *Alchymillæ*, *Pyrolæ*, *Chamædryos*, *Salviæ*, *Meliſſæ*, *Virgæ aureæ*, *Urticæ urentis*, *Trifolii fibrini*, *Hederæ terreſtris*, *Vincæ pervincæ*, *Anſerinæ*, &c. *Flores* item 4. *cordiales*, *Betonicæ*, *Salviæ*, *Tuſſilaginis*, *Tunicæ*, *Primulæ veris*, *Tiliæ*, *Pœon. Aquileg. Croci*, plurimaque alia, quæ ſive ſolitaria, ſivè invicem mixta ferventi Aquæ immitti conſueverunt, atque hinc in uſum plus minus frequentem trahi, juxta illud recentis *Poëtæ*:

Nam ſimul ac calidis noſtra eſt Thia indita Lymphis
Continuò his viridem inducit permiſta colorem,
Illaque tam tenuis gliſcit Tinctura liquori,
Nulla hunc vel minimâ ut ſucci caligine turbet.

Admonitio circa ſpecies Thée Helvetici,

IX. Ubi tamen monendum ſtatim, non omnia talia *Vegetabilia* in *infuſo* jucundum adeo ſaporem, quemadmodum genuina *Theé folia* exhibere, hincque citò quoddam faſtidium Hominibus parere, ſi abſque *Sacchari* admixtione bibere velint, noxas verò producere in corpore varias, ubi *Saccharo* quis nimio ſemper edulcorare voluerit, cùm *Saccharum* ſenſim *Obſtructiones* atque *Infarctus* in *Glandulis Inteſtinorum* gignere ſoleat. Ut proin meritò ſelectum quendam faciendum eſſe exiſtimârint Helvetiorum Medici, atque factis hunc in finem plurimis experi-

mentis

mentis,tandem ſequentes *miſcelas Vegetabilium Foliorum Theé* loco magnâ cùm ſalubritate ab Hominibus uſurpatas eſſe deprehenderint. Tametſi verò hæ Plantæ inſtar remediorum univerſalium in pluribus morbis feliciter operentur,æquè tamen effectu ſuo nonnunquam carent,ſi vel quantitate nimiâ,vel ſine adcurato Diatæ regimine, vel cum magnâ quoque *Sacchari* copiâ uſurpes,adeoque extra moderationis limites excurrere quotidie velis. Modum enim qui tenere ſcivit, is demum apprimè utilem hunc potum animadvertet, ſive in curandis, ſive in præcavendis morbis occupatus fuerit.

X. Qui proin univerſales quasdam *Theé Helvetici* formulas deſiderat, ſive *Species Herbarum*, ad depurationem Maſſæ ſanguineæ, ſecretionum omnium promotionem, acrimoniæ humorum acido- vel auſtero-ſalinæ edulcorationem, viſciditatum omnium attenuationem, ac reſolutionem, ſicque Morborum variorum præſervationem facientium, is pro lubitu unam alteramve ſequentium Miſcelarum ſeligere, atque diligenter in uſum trahere poterit: *Apparatus ſpecierum pro Theé Helvetico.*

℞. *Folior. Alchymill.*
Beton.
Pyrol.
Sanicul. aa. mij.
Florum Tunic.
Borrag. aa. mj.
Inciſa parum dent. ad ſcatulam.

Vel ℞. *Folior. Alchymill.*
Sanicul.
Beton.
Vincæ pervincæ aa. miij.
Meliſſ.
Numular.
Anſerin.
Scabioſ. aa. mij.
Flor. Beton.
Roſar. rubr. aa. mj.
Inciſa dentur ad ſcatulam.

Vel

Vel ℞. *Fol. Agrimon.*
Veronic. aa. miij.
Heder. terreſt.
Rutæ murar. aa. miß.
Scolopendr.
Sanicul. aa. mj.
Flor. Bellid. min.
Tuſſilag.
Tunicæ aa. mß.
Inciſ. tenuiter d. ad ſcatulam.

Vel ℞. *Folior. Hepatic. nobil.*
Alchymill.
Virgæ aur. aa. miij.
Succiſ.
Ulmar.
Urtic. urent. aa. mij.
Flor. Bellid. min.
Beton.
Borrag.
Primul. Ver. aa. mj.
Roſar. rubr. mß.
Rad. Caryophyllat. ℥iiß.
Calam. arom. ℥iß.
Sem. Anis.
Fœnicul. aa. ℥ß.
Inciſa tenuiter miſce, d. ad ſcat.

Vel ℞. *Folior. Cynosbat.*
Hepatic. nobil.
Bellid. min. aa. miij.
Origani mij.
Inciſa m. dentur ad ſcat.

Olaus Borrichius, *Medicinæ Profeſſor in Univerſitate Hafnienſi celeberrimus*, ſequentem *Thée* loco Herbarum miſcelam ſuis Hypochondriacis diligenter uſurpandam non ſine fructu commendavit; ℞.

Vel ℞. *Rad. Tormentill.*
Herb. Virg. aur.
Numular.
Heder. terr.
Sem. Lini.
Hyperic.
Papaver. errat. aa. ℥iij.
Inciſ. & cont. dentur ad chart. S. Theé antihypochondriacum.

Vel ℞. *Folior. Agrimon.*
Gram. Parnaß.
Pinguicul. Geſner.
Tuſſilag.
Pimpinell. ſanguiſorb.
Urtic. urent.
Millefol.
Piloſell.
Beton.
Sanicul. aa. mj.
Chamædr.
Artemis.
Flor. Calendul.
Tunic.
Cheiri.
Beton. aa. mß.
Inciſa tenuiter d. ad ſcatulam.

Atque hæ ſunt miſcelæ Plantarum, quæ inſtar *Foliorum Thée* cum Aquâ fontanâ fervente accomodari, hinc *Sacchari* tantillo edulcorari, ac ita calidè ſorbillari poſſunt, potumque non adeo injucundum, ac cœterà ad ſanitatem conſervandam multum efficacem reddunt. Si quis autem tantam ingredientium farraginem horreat, is pro lubitu ſuo quædam tantùm ex illis ſeligere,atque pro *Theé Helvetico* uſurpare poterit. Ita enim modò *Betonicam* ſolam, vel cum *Veronicâ* & *Saniculâ*; modò *Alchymil-* *Formulæ conciſiores.*

B lam

lam cum *Pyrolâ*, *Meliſſâ*, & *Hepaticâ nobili*; modò *Virgam auream* cum *Millefolio*, *Agrimoniâ*, *Vincâ pervincâ*; modò *Scabioſam*, *Anſerinam*, *Chamœdrym*, & *Flores* aliquos ſupra dictos invicem miſcere ſolent. Mart. Rulandus quid ejusmodi ſimplicium Decoctis præſtiterit, docent ejus Curationes, & quomodo iis periculoſos morbos, Pleuritidem aliosque abegerit, v. gr. *Flor. Cent. min.* *mij.* & *Rad. Aſari* ℥iß. *in Menſ. Aqu. ad dimid. coctis*, inde patet.

Ingratiora vegetabilia rariùs in Theé helvet. aſſumuntur

XI. Minùs autem gratam potionem Theé Helvetici noſtri reddunt alia adhuc Vegetabilia amara permiſta, v. gr. *Folia Trifolii fibrini*, *Chamædryos*, *Hyſſopi*, *Marrubii albi*, *Majoran. Abſynth. Centaur. min.* aliaque præſtantia ſatis Remedia, ſed quæ propter ſaporem amarum, ac ſubinde nauſeabundum melius ad *Vina medicata*, aut alias formulas aſſumuntur, quàm verò ad *Infuſa* loco *Theé* conſueti ſorbillanda.

Formula Theé helvetici exaltati.

XII. Novimus tamen, qui ad virtutem iſtius *Theé Helvetici* magis exaltandam alia adhuc penetrantia magis permiſcent, imò *Folia* ſimul *Theé* Indorum adjiciunt, quemadmodum ſequens Formula mecum communicata eſt non ingrati profectò ſaporis.

℞. *Rad. Tuſſilag.* ℥ij.
Irid. Florent. ℥iß.
Calam. arom. ℥ß.
Herb. Beton.
Sanicul.
Veron. aa. mij.
Fol. Thée Opt. ℥iiij.
Lign. Saſſafr. ℥iß.
Rad. Chin.
Cinam. opt. aa. ℥ß.
Croc. Oriental. ʒiß.
Incis. & contus. d. ad ſcatulam.

Vel ℞. *Rad. Caryophyllat.* ℥ij.
Ireos Florent. ℥j.
Chinæ. ʒvj.

Raſur.

Raſur. Lign. Saſſafr. ℥j.
Cinam. opt. ʒiij.
Fol. Thée opt. ℥iij.
Alchymill.
Beton.
Hepatic. nob. aa. ℥iiij.
Sanicul.
Veron. aa. ℥iiß.
Flor. Tunic.
Borrag. aa. ʒvj.
Inciſa tenuiter dent. ad ſcatulam.

XIII. Utimur autem hoc *Theé Helvetico* quotidie, ſi volumus, illudq; planè eodem modo paramus, quo veri *Theé folia* aliàs ſolent. Nimirum quantitas ſufficiens *ſpecierum* imittitur urceolo fictili, ei dein Aqua fontana optima in lebete, vel cantharo cupreo ſive aurichalceo, melius ſtanneo aut figulino, ſuper ignem fervefacta affunditur, atq; ita vaſe clauſo tantiſper relinquitur, donec tinctura quædam ex Herbis ſit extracta; tum verò liquor hic adhuc penè fervens in patellas ſive caliculos porcellanicos fictiles effunditur, ſicq; cum vel ſine *Saccharo* potatur; exhauriri autem debent nonniſi duo vel tres caliculi, ne quantitate nimiâ potûs obrutus Stomachus noxam quandam adipiſcatur, vix poſtea amplius extirpabilem. Dum autem abſorbetur *Infuſum*, nova iterum *Aqua fervida* iisdem ſpeciebus affunditur, atque poſt extractam ſimilem tincturam abſorbetur. Equidem hoc modo paratum *Infuſum*, ſive *genuini* ſive *Helvetici Theé*, *Saccharo* plus minus copioſo edulcoratum, calidè admodum ſorberi ſolet; quem morem, utut ſolennem, ac paſſim receptum minus tamen probamus, cùm ſi quotidie bibatur & copioſior fortè ſimul hauriatur *Sacchari* quantitas, hæc minimè ſalubris eſſe queat, ſed *ſcorbuticam* vel *viſcido-acido-acrem Intemperiem ſanguinis* poſt ſe trahat, tandemq; variis Affectibus anſam præbeat. Melius certè atque ſalubrius longè eſt, ſi *Infuſum* iſtud absque *Saccharo* bibatur, atque Aquæ fervidæ affuſæ non adeo intenſam tincturam, neque adeo fortem ſaporem ex-

Vſus Theé helvetici.

Potus absque Saccharo magis quadrat.

 tra-

trahere permittatur; ſi nihil prorſus extrahat, non plus valebit, quàm Aqua fervida ſimplex; ſi verò nimium extrahat, tum noxam vel Stomacho, vel aliis internis Viſceribus afferet, conſtitutionem forſan præternaturalem quandam inducendo, aut *Liquorem gaſtricum* ſupprimendo, vel enervando: medium hinc tenendum ſemper, atq; ut nauſeam omnem rejecto Saccharo præcaveamus, vel aliquid *Radicis Liquiritiæ* cum *ſpeciebus Theé* permiſcebimus, vel tantillum fruſtum *Sacchari cand. alb.* aut *rubr.* in ore tenebimus, cùm Infuſum ſorbetur; ſic enim omnem, ſi quis forſan adeſſet, ingratum ſaporem evitabimus aut fallemus.

Vires Theé Indorum & helveticorum analogæ. XIV. De *genuino Theé* vulgò perhibetur, quòd omni tempore diei & anni hauriri queat, ſed quòd matutinis horis potum nihilominus felicius operetur, atque Torporem artuum diſſipet, Capitis dolorem mitiget, Cruditates Stomachi digerat, & Humorum circulationem, non ſecus ac ſecretiones omnes promoveat, Spiritus reſtauret, elàterem membranarum reſtituat, ſuperfluos ac impuros Humores per urinæ ac ſudoris vias depellat, Appetitum augeat, vigilem agilemque Hominem reddat, ſitim extinguat, & plures alios in corpore noſtro effectus laudabiles edat. Eandem prorſus operationem *Theé* noſtri *Helvetici* Infuſum præſtat, viribus ingredientium moderatè ſaturatum, quemadmodum experientia iſtud quotidiana clarè docet; ita tamen, ut ſicuti *genuinum* aliquando *Theé* his aut illis Hominibus adverſum occurrit, ſimiliter etiam *Helveticum Theé* non à quolibet promiſcuè Stomacho ferri commodè queat.

XV. Equidem heîc noſtrarum partium foret, Species *Theé inquilini* omnes ſigillatim exponere atque deſcribere, verùm cùm inſtituti noſtri ratio non ſit, prolixum quendam *Tractatum Botanicum* conſcribere, ſufficere credidimus, effectus duntaxat ejusmodi Herbarum, *Theé Helveticum* componentium, ſalutares, atque *genuino Theé* maximè reſpondentes, explanare, eademque ſimul operâ demonſtrare, ſine ullâ neceſſitate Homines exotica ejusmodi Medicamina, è diſſitis ad nos oris delata, tantopere æſtimare, cùm in noſtris regionibus ſi non meliora, æqualia certè viribus habeamus, quibus eodem

cum

cum fructu uti queamus. Quod animo volvens *Laudatiſſimus* olim *Princeps* atque *Elector Palatinus Sereniſſimus*, à ſuis Medicis ſeriò poſtulavit, ne ſibi interdum ægrotanti quidpiam ordinarent, quod intra ſuas regiones atque dominia non creſcat & proveniat. Illud tamen heîc non prætereundum, in noſtris quoque Plantis, ſi juſto quælibet tempore fuerint collectæ, atque debito modo ſiccatæ, tales particulas reperiri, quales aliàs in *Theé genuini* foliis deprehenduntur ac ſtatuuntur, nimirum *ſalino-volatiles blandas*, *alcalinas*, parumque *ſulphureo-oleoſas*, quæ minus copioſè in ſubtiliſſimis eorum tubulis abſconditæ jacent, atque affuſæ Aquæ ferventis ope reſolvuntur, & extrahuntur, tincturamque exhibent fortiorem aut leniorem, prout Aqua calens diutius aut brevius affuſa manſerit. An autem præciſè quoad omnes circumſtantias ſimiles in his illisve *Plantis Helveticis* hæreant particulæ, quales in *Sinenſibus* illis *foliis Theé* exiſtunt, definire non licet; dubitandi verò anſam præbet communis obſervatio, quâ vix unquam duas reperire Herbas datur, particularum inſenſibilium figurâ, magnitudine, numero, ſitu, & craſi exactiſſimè inter ſe convenientes, quamvis aliàs ſimilem in corporibus humanis effectum præſtent; ut adeo nihil impediat, quò minùs has illasve *Plantas Helveticas*, *Foliis Theé veri* ſubſtituamus, tanquam ſimili virtute gaudentes, licèt non per omnia momenta exactè ſimilibus moleculis conſtent; id quod præter rationem deſideravit *Stephanus* ille *Blancardus*, in Hollandiæ Metropoli Praxin Medicam exercens, quando nullam prorſus aliam Plantam *Theé foliis* æquiparandam eſſe voluit, ex eo quòd particulas planè ſimiles in ſuâ texturâ non habeat. Equidem novimus, *Clariſſ.* Joh. Francum *Theé Foliis* noſtratem *Veronicam*, in *Tract.* de *Veronica Theezante*; alios verò *Betonicam*, *Pyrolam*, *Saniculam*, &c. ſubſtituiſſe, *Celeberrimum quoq́ Acad. Baſil. Lumen*, *Dn. D.* Em. König, *Med. Theor. Prof. meritiſſ.* in *Regno Veget. Quadripartito*, *p. m.* 1053. ſæpius inſigni cum fructu *Folia Cynosbati*, ſive *Roſæ ſylveſtris* (ceu cui flores Theé magnitudine, figurâ & colore ſimillimi ſunt, ſec. *Bontium Hiſt. Natural. & Med. Indor. L. VI. p.* 88.) foliis *Origani onitis* ſeu *Majoranæ majoris Angl.* vel *Hyſſopi genuinæ Græcorum* mixta pro *ſuccedaneo Theé* uſurpâſſe: prout & ex Anglis *Nobil. D.*

 Bowles,

Bowles, referente *Celeb.* Joh. Rajo *in Synopſ. Meth. Stirp. Britannic.* p. 127. Pſeudotheam è *fol. Beton. Scorodoniæ* & *Chamæpitheos* in Dolore Capitis & Artuum mirificè proficuam laudat. Neq; tantis Viris contradicendi anſam habemus, cùm experientiâ quotidianâ ſufficienter probaverint, quicquid hâc in re publico communicare dignati ſunt.

Morborum enumeratio in quibus Theé conveniat.

XVI. Ut autem tanto evidentius pateat, *Helvetici Theé* vires *genuini* virtutibus nihil cedere, imò forſan adhuc diverſis in caſibus illas ſuperare, operæ pretium erit, ſigillatim Morbos, in quibus *Theiſtæ*, ſive *Theé* illius *Orientalis* magni admiratores, *Infuſum* horum Foliorum adeo ſalubriter operari contendunt, omnes percurrere, hincque ſimul demonſtrare, *Helveticum Theé*, ſive *Plantas* in *Helvetiâ* vicinisque *Montibus* creſcentes non paucas, easdem facultates, ſi non meliores quandoque in ſimilibus morbis poſſidere. Primùm igitur commendare ſolent potum Theé frequentem ad extinguendam

Sitis.

Sitim, à viſciditate Seri ſanguinis, atque inde producto Salivæ defectu oriundam, quatenus iſte calidus Theé hauſtus, crebrò repetitus, viſciditatem ac lentorem illum ſeri reſolvere, & corrigere, ſicque reſeratis glandulis ſalivalibus, hujus liquoris proventum ſenſim priſtinum excitare valeat. Sed eundem planè effectum ab *Infuſo* foliorum *Agrimoniæ*, *Anſerinæ*, *Fragariæ*, *Numulariæ*, *Veronicæ*, *Hepaticæ nobilis* &c. obtinere ſolemus, modò *Sacchari* quantitas nimia non miſcebitur, ipſumque hoc *Infuſum* crebrò bibatur.

Porro Theé helveticum ſuccurrit Faucium affectibus.

XVII. Dein etiam laudant *Theé* potum in ipſâ *Faucium Inflammatione*, *Ardore*, *Siccitate* ac *Duritie Linguæ*, quatenus non ſolùm emollit, attenuat, incidit ac reſolvit, ſed inſimul abſtergit cruſtam Linguæ ſupernaſcentem, atque ita ſanguinis circulationem naturalem reſtituit. At verò eundem, ſi non præſtantiorem effectum in tali morbo producit Infuſum foliorum *Brunellæ*, *Rubi ſylveſtris*, *Numulariæ*, *Fragariæ*, *Scabioſæ*, *Plantaginis*, aut ſimilium, cùm *Floribus Borraginis*, *Bugloſſæ*, *Violarum*, mixtorum.

Gingivarum exulceratione.

XVIII. In *Scorbuticâ* partium *Oris corroſione*, aut *exulceratione* nihil potius, nihil ſalubrius eſſe volunt ipſo potu *Theé*, ſine *Sacchari* admixtione hauſto; utpote qui blandâ ſuâ vi adſtrin-

ſtringente, ac detergente Gingivàs mundificet, acrimoniam Salivæ corroſivam mitiget, ac planè invertat, ſicque tandem *Exulcerationes Oris, Aphthas, & Gingivas cruentantes* ſanet, *vacillantesque Dentes* firmet. Jam autem omnem hunc effectum non ſperare tantùm aut expectare, ſed videre prorſus atque experiri conſuevimus ex uſu *Infuſi* foliorum *Ulmariæ, Plantaginis, Brunellæ, Rutæ murar. Trifol. fibrin. Betonic. Agrimoniæ, Rubi ſylveſt. Urtic. urentis, Alchymill. Sanicul. Millefol. Pyrol. Vinc pervinc.* & ſimilium, decenter per plures dies quotidie bis hauſti.

XIX. Cruditates dein viſcido-acidas Stomachi ab uſu *Theé* diſſolvi, fibras hujus partis roborari, liquorem gaſtricum inertem aut ſupreſſum reſuſcitari, appetitum hinc dejectum revocari, atque chylificationem inſuper promoveri dicunt, idque non niſi per alcalinam blandè incidentem, attenuantem, ac volatiliſantem iſtius Herbæ virtutem. At verò ſimiles planè effectus edunt Helveticæ Plantæ modò commendatæ, ſi quis Infuſi earum non nimis fortis caliculos aliquot bis quotidie exhaurire voluerit. *Cruditatibus ſtomachi.*

XX. Ebrii plus minus frequenter in compotationibus facti, à crapulà liberantur, ſicubi *Infuſum Foliorum Theé* calidè hauſerint, quatenus hic potus calidus per urinam atque diaphoreſin egregiè pellit ſulphureo-ſeroſas Vini ingurgitati particulas, ſimulque motum ſanguinis circulatorium à Vino inebriante, atque nimis calefaciente tantiſper impeditum aut imminutum, ſuæ integritati reſtituit. Sed anne ex Indiis arceſſenda fuerunt *Folia Fruticis* cujusdam, quorum calente Infuſo ſobrii ſtatim reddi deberent Vino obruti? Quòd ſi enim *Aqua calefacta* affatim hauſta eundem effectum non producit ſufficienter, præſtabit tamen illum fervefacta, & Herbis *Veronicæ, Betonicæ, Urticæ, Anſerinæ,* ſimilibusque aliis affuſa. Ut taceam nunc Ebrioſorum quorundam morem obſcœnum, qui crapulas ſuas athletico hauſtu propriæ modò emiſſæ Urinæ adhuc calentis diſſipare conſueverunt. *Ebrietati.*

XXI. Porrò *Thée Helvetici* non minus, quàm *genuini Infuſum* calens ſæpiſſimè hauſtum, *Cruditates acres* Stomachi, vomitum perpetuum excitantes, potenter eluit, ipſiusque adeo *Vomitui.*

vomi-

vomitionis moleſtiam valdè minuit, dum materia peccans hoc modo diluta & attenuata facilius longè per vomitum ejicitur.

Bulimia. XXII. Diximus ſuprà, *Thée* ſive *noſtrum*, ſive *Orientale*, poſſe *languentem ciborum Appetitum* reſuſcitare, quòd ſi autem hic nimius ſit redditus, atque in *Bulimiam* ſive *Appetentiam caninam* mutatus, tum idem *potus Thée* acrimoniam nimiam gaſtrici liquoris temperat maximè ac diluit, ſicq; impedit, quo minus adeo potenter ſtimulare, & ad appetendum fibras Stomachi titillare queat; præprimis ſi ſubinde quædam *Tincturæ Mart. aperit.* guttulæ permiſceantur, atque interea Æger ab acidorum blandorum, ſive eſurinorum uſu abſtineat.

Inertia Liquoris gaſtrici. XXIII. Quorum itaque *Menſtruum ſtomachicum* ſive *Liquor* aut, ſi mavis, *Fermentum Ventriculi* redditum eſt nonnihil craſſum, atque viſcoſum, ita ut ex alimentis aſſumptis crudum Chylum, flatus admodum torquentes excitantem, producat, Potus *Thée* utriusque, & *Helvetici* & *Orientalis* cum ſemine *Aniſi* aut *Fœniculi* accommodatus, ante vel poſt paſtum egregiè confert ad *Flatuum* omnium diſcuſſionem, melioremq; *Chylificationem*. Ubi tamen pro diverſitate perſonarum ac ſtomachici menſtrui, diverſam, ſecundùm mechaniſmi certas in naturâ conſtitutas leges, operationem excitat, atque in nonnullis non ſolùm pituitam copioſam, ſed etiam quandoque bilem eructare facit, ſi videlicet in Ventriculo prius hæſerit.

Conſtipationi. XXIV. Quemadmodum autem *Infuſi* cujuscunque boni *Thée potus* in Hominibus ſanis, particularum ſuarum texturâ ſingulari, non ſolùm Chyloſin Ventriculi perfectam inducit, ſed inſuper Chylum in Inteſtinorum tenuium tractu ita diluit, ut ſub globuloſâ molecularum ſuarum figurâ atque dulcedine in & per vaſa Meſenterii lactea facilius & copioſius ad ſanguinem transmitti, inque circulante Sanguine ſimilem globuloſo-flexilem texturam, ad penetrandum per anguſtiſſimos canaliculos aptiſſimam conſervare queat; ita quoq; idem potus in variis Inteſtinorum Morbis opem affert egregiam, modò alia ſimul convenientia pauca Remedia in uſum trahantur. Qui enim *Alvi ſegnitie* vel *conſtipatione* laborant, ab excrementorum craſſitie, urgentibus in motu periſtaltico fibris inteſtinalibus validius reſiſtente, vel ab humorum excrementa diluentium,

luentium, aut in liquidiore ſtatu retinentium, penuriâ originem ducente, in illis *Infuſi foliorum Thée, genuini* aut *Helvetici, potus* diluendo, emolliendo, attenuando, egregiè conducere notatur, præprimis ſi pro tribus vel quatuor caliculis ejus conficiendis *Foliorum Senæ optimorum* dimidiam, aut ad ſummum integram drachmam, more *Viri Excell.* Dn. D. Theodori Zuingeri, *Practici in Univerſitate hac Inclyt. Profeſſ. atque Reipubl. Archiatr. meritiſſ. Patroni noſtri colend.* adjicere voluerimus; à quibus citra ulla tormina ventris alvus blandè ſubducitur, neque adverſus ſapor liquori conciliatur; dum interea gratus illiusdem calor talia excrementa magis reſolvit, atque à parietibus Inteſtinorum haud difficulter, ac ſine moleſtiâ abſcedere facit. Iſti tamen *Infuſo laxativo* etiam *Semen Fœniculi*, vel *Aniſi*, præcipuè *ſtellati*, aut tantillum *Croci orient. veri*, vel grana aliquot *Salis volatil. C. C. aut Eboris* ab omni empyreumate liberati, ad flatus præcavendos diſcutiendosve idem Vir non rarò permiſcere ſolet. Remedium certè egregium tum pro Infantibus aut Pueris, tum pro Adultis, qui purgantia omnia faſtidiunt, hoc enim modo quàm elegantiſſimè falli poſſunt, ſicubi Evacuatione tali indiguerint. *Folia Thée cum Fol. Senæ miſcenda.*

XXV. Quoties non occurrunt inſuper à Medicis ſubinde tractandi Ægroti *Fluxu ventris*, ſive ſimplici aquoſo aut pituitoſo-bilario, ſive cruento & dyſenterico laborantes, in quibus copia particularum ſalino-acrium, irregulari ſuâ figurâ partim globuloſam ſanguinis ac lymphæ texturam turbantium, partim fibras inteſtinales plus minus graviter ſtimulantium, fuit collecta & accumulata? In his ſanè etiam Potùm Theé largiorem Theiſtæ commendant, tanquam diluentem, abſtergentem, edulcorantem, per urinæ aut ſudoris vias pellentem, & balſamicum conſolidantem; atque has ipſas vires potiori jure, neutiquam adverſante experientiâ, Plantis noſtris, *Helveticum Theé* componentibus, præprimis autem *foliis Urticæ, Saniculæ, Virgæ aureæ, Piloſellæ, Hederæ terreſtris, Vincæ pervincæ, Flor. Roſar. rubr. Tunic.* &c. adſcribimus, utpote quæ effectum ſalutarem in talibus caſibus utique monſtraverunt, modò frequentioribus hauſtibus eorundem calens Infuſum, cum *Lacte* ſimul *Uſus Thée in Diarrhœâ.*

 & *Aquâ*

& *Aquâ* paratum aliquis ingurgitare, & ſingulis noctibus etiam dosin *Electuarii diaſcordii Frac.* vel *Mithridat. Dam.* vel *Theriac. Androm.* ad demulcendas nimiopere irritatas fibras deglutire dignetur.

In Colica. XXVI. In *Colicâ flatulentâ, humorosâ, ſpaſmodicâ* præferunt ſuum *Theé potum* largiorem omnibus *Clyſmatibus, Purgantibusq́*, aliàs uſitatis; nos verò *Clysmata* talia eluentia, emollientia, demulcentia maximi facimus, atque ſimul *Helvetici Theé* uſum commendamus, *Eſſentiæ* cujusdam *anodynæ* doſibus ſubinde jungendum, quemadmodum *Guttæ* in hunc finem, *Anglicæ* dictæ, aliave *Salia volatilia oleoſa*, aut *Pulveres abſorbentes anodyni* meritò laudantur.

In obſtructione Meſenterii. XXVII. Non infrequens eſt *Glandularum* tam *inteſtinalium*, quàm *meſaraicarum obſtructio, infarctus, induratio*, indeque proveniens Abdominis *intumeſcentia, Atrophia*; in his quoque caſibus *Theé potum* maximopere extollunt, tanquam inſigne remedium alcalinum deobſtruens, aperiens: longè verò certius iisdem in Morbis effectum ſalutarem promittere licebit ex potu crebro *Theé* noſtri *Helvetici*, compoſiti videlicet è *Foliis Hepaticæ nobilis, Rutæ murariæ, Lingu.cervin. Saniculæ, Trichomanes, Betonic.* &c. præprimis ſi loco *Sacchari Radices Liquirit.* & *Polypodii* addiderimus, ſimulque ℈j. vel ʒß. *Pulveris*, ex anaticâ portione *Foliorum Piloſellæ, Polytrichi nigr. Eboris phil. calcin. Radicis Polypod.* atque *Ireos Flor.* concinnati, ſemel quotidie exhibebimus.

In Febribus. XXVIII. Nihil communius eſt *Febribus continuis*, & *intermittentibus*, quàm ut in illis ob ſanguinis præternaturalem craſſitiem, ac viſciditatem, hincque imminutam ſpirituum animalium ſecretionem, plura ſymptomata Homines torqueant, verb. gr. *Laſſitudo, Sitis, Cephalalgia, Æſtus corporis, Cordis Palpitatio, Inquietudo, Horripilationes*, pluraque alia. Nullum vero antifebrile potentius Theiſtæ heîc offerunt, reliquis tantùm non omnibus anteponendum, quàm potum *Theé Orientalis*, cui tamen iterum ſuccedanei loco ſubſtituimus efficaciſſima *Infuſa* aut *Decocta Plantarum Helveticarum, Succiſæ, Scabioſæ, Agrimoniæ, Alchymillæ, Card. benedicti, Fragariæ, Numula-*

mulariæ, ac ſimilium, ſi identidem Pulveres antifebriles, *Antimonii diaph. Corn. Cerv. Ebor ppt.* &c. ſimul aſſumantur.

XXIX. In Morbis Thoracis omnibus, *Aſthmate*, *Raucedine*, *Tuſſi*, *Pththiſi*, *Peripneumoniâ*, *Pleuritide*, *Cordis Tremore*, ac *Palpitatione*, nihil potius, nihil ſalubrius eſſe dicunt crebris hauſtibus *Infuſi Fol. Theé*, ſive pituita craſſa ac viſcida ſit incidenda, & attenuanda, ſive acrimonia ſalſa humorum corrigenda, ſive infarctus, aut obſtructio reſeranda, ſive deniq; exulceratio extergenda & conſolidanda. Quis verò in his caſibus jam neſcit *Alpinas* Helvetiæ *Plantas traumaticas* eundem planè, ſi non meliorem effectum in Decocto vel Infuſo habuiſſe, v. gr. *Betonicam*, *Veronicam*, *Heder. terreſtr. Saniculam*, *Pyrolam* &c. dummodo quis *Crocum*, aut *Sal* quodam *oleoſum volatile* adjicere haud detrectaverit, & è contrario ab uſu *Syruporum*, *Electuariorum*, *Linctuum*, *Morſulorum*, *Rotularum* &c. abſtinuerit, à quibus aliàs circulantes humani corporis humores magis incraſſantur, obſtructiones pertinaciores redduntur, atque hinc Morbi vel augentur, vel certè diuturniores redduntur, ſi non graviores aliæ Ægritudines excitantur. *In affectibus Thoracis.*

XXX. Eadem porrò deobſtruendi, maſſam ſanguineam diluendi, acria edulcorandi, atque acidos viſcoſos ſuccos reſolvendi virtute, *Infuſum Helvetici* æquè ac *Orientalis Theé*, largiſſimè hauſtum, cùm *Croco* ac *Sale volatili Corn. Cerv. Viperar.* vel *Elixir. propr. Claud.* vel *Spirit. Cochlear. Eſſentiâ Trifolii fibr. Tinct. Antimonii l. Martis cæruleâ* egregiè confert in *Jctero flavo* ac *nigro*, adeoque *Scirrho Hepatis* & *Lienis*. *In Obſtructionibus. Hepatis & Lienis.*

XXXI. Præcipuè autem in Renum ac Veſicæ Ægritudinibus, *Inflammatione*, *Muco viſcidó acri*, *Arenâ*, ſive *Sabulo* & *Calculis* tam præcavendis, quàm ſi friabiles adhuc fuerint, diſſolvendis, mirandas *Thée Sinenſis frequens largusq; potus* virtutes exercere perhibetur, ſi pauca quædam alia diuretica unà quis aſſumere atque in uſum vocare voluerit; neque nos huic opinioni adverſamur hactenus, ne experientiæ quotidianæ refragari velle videamur: at verò ſtupendos etiam, uſus quarundam noſtrarum Plantarum, effectus in expurgandis ſenſim Renibus, Calculisque pellendis edere apud quamplurimos *In Renum affectibus.*

 conſue-

conſuevit, veluti hoc non ſemel in *Collegio practico* ſuprà laudati *Dn. D. Zuingeri* audire licuit, qui in talibus caſibus efficaciſſima deprehendit *Folia Hed. terr. Virg. aur. Betonic.* cum *Summit. Urtic. urent.* atque *Radicis. Liquirit.* quotidie mane ac veſperi in Infuſo calente uſurpata, cum nullo vel pauciſſimo *Saccharo*. Qui ſaporem injucundum non formidant, illi cum fructu addere quoque poterunt *Chamædrym*, aut *Flores Chamomillæ*, à quibus certè majorem longè effectum experiri datum eſt, quàm ab ipſis *Theé Orientalis* foliis, præprimis ſi interdum urgentibus nimium doloribus doſis *Anodyni* cujusdam ſemel exhibita fuerit. Hoc etiam dicere audemus, Nephriticos frequenter admodum à ſabulo, minoribus calculis, vel muco etiam acido-ſalino acri Renum, aut Veſicæ excruciatos, quotidiano Infuſi dictarum Herbarum potu paulatim ita per Urinam purgari, ut poſtliminiò liberi ferè à paroxysmis nephriticis maneant, & nunquam amplius tali malo affligantur, ſicut etiam de Sinenſibus atque Japonenſibus Incoli hiſtoriæ perhibent, quòd dictis Calculis nunquam laborare ſoleant, propter ſolum *Theé potum* quotidianum.

In Arthritide, Podagra, Scorbuto.

XXXII. Sed & in iisdem Americæ Orientalis Inſulis, ubi *Theé potus* eſt quotidianus, nullique exceſſus in Vini potu committuntur, rari vel nulli reperiuntur *Podagrici* & *Nephritici*, *Scorbutici* quoque pauci, *Theé liquore* ſanguineam Hominum maſſam continuè mundam, puram, atque dulcem conſervante. Simile quid de *noſtrarum Herbarum* potu effertur, à quo per longum ſat tempus continuato, obſervatis tamen ſimul Diætæ ſalubrioris regulis, Podagrici jam plures tantum accepere levamen, ut ab eo tempore & rariores & mitiores paroxysmos habuerint: cujus rei exempla, ſi brevitati nobis ſtudendum non eſſet, varia heic adducere poſſemus. Inprimis autem *Summitates Urticæ urent.* recens germinantes, primo vere collectæ ac inter chartam ſiccatæ, heîc pro euporiſto commendantur, additis ſi lubebit, *Gemmis* vel *Strobilis junioribus Pini*, *Foliis Hederæ terreſtr. Anſerinæ, Virgæ aureæ. Betonicæ*, aliisve, vel ad exemplum illius Theé artificialis *Celeb. Pechlini Obſerv. p. m.* 262. lacti incoquendi:

℞. *Herb.*

℞. *Herb. Trifol. Fibr.* miij.
Betonic.
Salv. Veronic.
Fl. Lavend. Roriſmar. aa. pij.
Theé Sinenſ. ℥j.
Lumbric. terr. mund. & ſiccat. ℥ij.
Raſur. Lign. Saſſafr.
Sem. Fœnic. aa. ℥ß.
Inciſ. & cont. d. ad Ch. Doſ. pugill. unus lacti incoquendus.

XXXIII. In *Inflammatione* verò, *Eryſipelate* aut *Oedematibus*, *Theé* tam *Orient.* quàm *Helvetici* uſus, non tantùm *internus*, hucusque tam vehementer laudatus, ſed etiam *externus* in formâ *Epithematis* calentis frequentiſſimè applicandi quadrat, multiplici experientia probatus. Quæſitum etiam ſubinde inter Medicos novimus, annon alio quoque modo externè *Folia Theé*, horumque ſuccedanea uſurpari poſſint? Tum verò ſæpius obſervatum eſt, Plantas has omnes poſt Infuſionem denuo ſiccatas, atque loco *Tabaci* fumigatas, non contemnendum effectum apud plures Ægrotantes edidiſſe, atque non ſolùm *Capitis*, ſed etiam *Dentium*, aliarumque partium *Dolores* mitigâſſe, imò perfectè etiam diſſipâſſe. Notabile in hanc rem exemplum eſt, quod à prælaudato *Zuingero* accepimus, *Mercatoris* cujusdam *Sangallenſis famigeratiſſimi*, quinquaginta circiter annos nati, qui ultra biennii ſpatium miro Nuchæ dolore, à ſpaſmo Muſculorum Cervicis oriundo, quotidie ſive interdiu ſive noctu ultra unius vel alterius horulæ ſpatium ita excruciatus fuit, ut loco moveri, caputq; flectere nullo modo valeret, usque dum ceſſare dolor inciperet; cumq; ſæpius in peregrinationibus vel in mediâ viâ eodem malo corriperetur, vel in campis, ſylvis, aut pratis tranquillus ſubſiſtere & quieſcere coactus fuit, donec crucians admodum dolor præterierit. In hac autem moleſtiſſimâ corporis infirmitudine quamplurima diverſiſſima remedia, ex conſilio plurium celeberrimorum ac peritiſſimorum Medicorum, in uſum diligenter ſatis traxit, ſed ſine ullo planè effectu, quin dolores nonnunquam ab iis acerbiores adhuc redditos ani-

Vſus Theé externus.

In formâ fumi.

Exemplum notabile Doloris ſpaſmodici.

animadvertit: tandem verò in tranſitu per Urbem hanc Baſileam auxilium quoque imploravit *Zuingeri* Archiatri, qui auditâ Morbi, & Remediorum in uſum vocatorum relatione, nil niſi *Fumum Theé Helvetici* cum *Succino flavo*, *Nuce moſch. Semine Fœniculi*, ac *Foliis Solani* permiſti, quotidie ad aliquot fiſtulas ſugendum conſuluit; quod conſilium etſi Vir *Tabaci fumum* naturaliter horrens, adeoque ei nunquam adſuetus, primo intuitu ſpreviſſet, ac planè rejeciſſet, ſuaſu tamen Amicorum poſtea ſecutus, ex primæ fiſtulæ ſuctione inſignem mox horrorem, totum corpus pervagantem ſenſit, nullo tamen alio ſubſequente incommodo: cùm autem ſecundam fiſtulam eadem die ſugere inciperet, inſignem admodum tenſionem, atque ſubitaneum fragorem quendam non ſine dolore ac impetu à nuchâ per totum ſpinæ dorſi tractum, inferiora verſus deſcendentem perſenſit, momento citius penetrantem ac finientem; à quo tempore poſtea Vir iſte cruciatum omnem perfectè amiſit, neque hactenus eundem amplius expertus eſt, utcunque ab eo tempore jam elapſi ſint tres integri anni, inque his plura itinera fecerit. Sicut præterea nonnulli Chirurgi in Ulceribus aut Vulneribus extergendis *Decoctum Foliorum Theé in Vino* factum adhibent, ita credimus feliciore adhuc cum ſucceſſu *Decoctum Herbarum traumaticar.* Helvetiæ uſurpari poſſe. Si denique *Pulverem fol. Theé* cum tantillis *Lilii Convallii floſculis* pro *Errhino* quis uſurpace contendit, quid impedit, quo minus noſtrarum *Plantarum*, v. gr. *Salviæ*, *Betonicæ*, *Majoranæ* &c. Pulverem eodem fine in uſum vocemus?

XXXIV. Si quis verò *Pulverem foliorum Theé* tanquam antathrophum nobis obtrudere velit, potiore jure & ſucceſſu *Folia Piloſellæ*, *Trichomanes*, aliaque nos adhibebimus. *Eſſentiæ* autem atque *Extracto foliorum Theé* meritò ſubſtituimus *Eſſentias* vel *Extracta Herbarum* noſtræ Regionis *vulnerariarum*, efficaciâ profectò ſuâ nullis aliis unquam cedentes, quemadmodum id multiplex Practicorum experientia docet atque confirmat.

Regula circa uſum Theé.

XXXV. Quod jam concernit quantitatem & modum aſſumendi, vel ingurgitandi noſtri *Potûs Theé Helvetici*, certum eſt, heîc abuſum æquè ac in vero Theé fieri poſſe. Itaque (1.)

1. conſu-

conſulimus ſtatim, ut ultra tres vel quatuor *caliculos* talis *Infuſi* quis unâ vice nunquam ſorbillet, ſicque nimium naturæ valdè inimicum ſemper ſtudiosè vitet. (2.) Authores ſumus, ut pa- 2.
rum vel nihil *Sacchari* infuſo tali permiſceatur, ſed inter ſorbillandum continuè fruſtulum *Sacchari candi* ore teneatur, ejusq; dulcedine ſapor *Theé* forſan ingratus evitetur. (3.) Sua- 3.
demus ut ferventem planè, nec tantùm calentem quis Aquam *Theé Helvetico* ſuperfundat. (4.) Nolumus, ut vel *Spiritum Ceras.nigr.* 4.
vel *Spiritum Vini*, vel ſimilem *ſpirituoſum*, etiam *ſaccharatum Liquorem*, vel *Vinum* qualecunque Infuſo Theé permiſceant, quemadmodum id aliqui non ſine manifeſto ſanitatis diſpendio facere cœperunt. (5.) Magnum eumque noxium abuſum 5.
eſſe contendimus, multa cum tali potu Theé comedenda offerre, veluti ſunt *Panes melliti* aut *ſaccharati*, aliaque hujus generis *bellaria*, quibus omnibus certè præferimus fruſtulum *Panis* nonnihil *toſti*, quale deglutiendum concedi poteſt, ſicubi Stomachus forſan efuriens aliquid exigeret. (6.) Theé 6.
potum aliquot horis ante vel poſt paſtum ſalubriorem eſſe credimus, quàm longiùs ante ipſum, quoniam ſic nulla *Cordis imbecillitas*, nulla *Nervorum debilitas*, *Artuum tremor* nullus, nec etiam *Vertigo* excitari poteſt, quale quid illi quandoque experiuntur, qui diu ante paſtum, & largâ quantitate, magnâ etiam vi *Sacchari* edulcoratum quotidie ingurgitare ſolent.

XXXVI. Atque hæc ſunt, quæ in gratiam *Plantarum* *Epilogus.* *Helveticarum* quàm ſaluberrimarum deproperare Speciminis loco voluimus, non ut *genuini* & *orientalis* illius Theé laudibus atque prærogativis quidquam detrahamus; ſed ut oſtendamus tantùm, in noſtris quoque Regionibus providam naturam talia quotannis ſuggerere, quorum vires Exoticorum illorum virtutes planè exæquent, ſi non antecellant Quòd ſi verò ſingularum, quas ſub *Theé Helvetici* nomine commendavimus, Herbarum ſtructuram atq; deſcriptionem per omnia momenta exactam tradere voluiſſemus, *Botanicum* ſanè *Tractatum*, eumq; prolixum conſcribere debuiſſemus, hoc verò cùm â noſtro inſtituto prorſus alienum fuerit, arbitramur, ea quæ protulimus,

tulimus vel ſufficientia exiſtere, vel à *benevolo Lectore* ex voto noſtro augeri, emendari, aut illuſtrari poſſe. DEO autem, qui ſuâ nobis gratiâ in hoc qualicunque labore adeſſe voluit, TER OPT. MAXIMO ſit laus, honor & gloria in æternum.

INTERPELLATIO
Ad
Nobiliſs. atque Experient.
DN. AUTHOREM.

NOndum perceptam qui Rem rigidâ excutit arte,
Zoilus an malus eſt? an Philaletha bonus?
Juſtus an injuſtus Judex? Qui prælia fingit,
Muſisque excelſis cenſet abeſſe fidem?
Hæc mihi ſi promptè clareque exponis Amice,
Omne feres punctum, judiciumque meum.

Amicus Amico propoſuit.

F I N I S.

DISSERTATIONIS
De
CYMBALARIA

PROOEMIUM.

ANtiquiſſimum eſt ſtudium Botanicum, ſed diverſo nihilominus fine à ſui amatoribus excultum; videas enim hos quidem ſimplici aſpectu vel intuitu ſtirpium, atque eapropter etiam illarum Iconibus ac denominationibus contentos; alios verò ulterius progredientes, earumque culturam ſuis in Hortis proſequentes. Videas iterum, qui non niſi earum uſui plus minus ſalutari examinando, explorandove ſunt intenti; alios præterea, qui cùm inſignem diverſitatem Herbarum obſervarent, in eo deſudârunt maximè, ut illas in certas Claſſes, Genera ac Species dividerent, hujusque digeſtionis fontes modò ex Foliis, modò ex Floribus, modò denique ex Fructificatione & Seminibus deducerent. Omnes procul dubio ſuas meruere laudes, ſed ii tamen nobis quidem videntur reliquis præferendi, qui ad publicam utilitatem Studium illud ſimul accommodârunt, quique eapropter non ſolùm externam

Botanices Studium diverſimodè excultum.

Plantarum diviſio in Claſſes.

Qui Botanicè reliquis præferendi.

qualiumcunque Plantarum ſtructuram, faciem, conformationem, magnitudinem, colorem, odorem, ſaporem, quoad omnes ſuas partes deſcribere, ſed & ad interiora magis earundem penetrare, Reſolutiones chymicas aut pharmaceuticas inſtituere, atque ſic tandem ipſarum ἐνέργειαν in corpore noſtro explorare, vel ad uſum qualemcunque humanum trahere laborârunt. Ac ſanè heic campum quis habet ampliſſimum inquirendi diligenter, ruſpandi atque detegendi mille milleque Plantarum vires nondum hucusque cognitas; etſi enim primo ſtatim intuitu magnas inveniat difficultates ad talem ſcopum attingendum, deſperare tamen neutiquam debet, dum media adhibet neceſſaria. Liceat hinc nobis talia mente attentâ conſiderantibus, ad eorum, qui huic laudabili hucusque propoſito inſtiterunt, imitationem ſpecimen quoddam commentationis de *Cymbalariâ*, Herbâ illâ in Officinis pharmaceuticis hactenus ignotâ atque inuſitatâ, in medium proferre, ac ejus, quantum fieri à nobis poterat, adcuratam, quoad externa & interna deſcriptionem, vires atque uſum in quibusdam morbis ſalutarem tradere. Præſtet DEUS Opt. Max. ſucceſſum felicem, Lector autem benevolus noſtros qualescunque conatus æqui bonique conſulat; ac errores hinc inde forſan commiſſos ſuâ benignitate haud gravatim corrigat.

Plura in Plantis detegenda reſtant.

CYMBA-

CYMBALARIA.



THESIS I.

C*Ymbalariam* à Cymbalo forſan ſed neſcio cur dictam, Tournefortius Hodierno- rum Botano-philorum facilè Princeps, ad Plantas retulit *Flore* gaudentes mo- nopetalo, anomalo, tubulato &c. at- *Cymbalariæ etymologia obſcura.*

que ſub *Linariarum* genere collocavit, characteriſticas ejus notas ſtatuens, *Florem* monopetalum, anomalum, perſonatum, poſterius in caudam deſinentem, anterius in duo labia, quorum ſuperius bifariam vel multifariam, inferius autem trifariam ſecatur, diviſum; è cujus Calyce ſurgat *Piſtillum*, poſticæ Floris parti adinſtar clavi infixum, quod deinde abeat in *Fructum* ſeu *Teſtam* ſubrotundam, ſepto intermedio, in duo loculamenta, diverſimodè rumpi conſueta, diviſam, *Seminibusque* fœtam, modò compreſſis & marginatis, modò angulatis & ſubrotundis, placentæ affixis. Robertus Moriſonus *Hiſtor. Plant. Univerſ. Part. II. Sect. V. cap.* 10. *p.* 503. ſimiliter ad Plantas monopetalas, bicapſulares, Floribus rictu anterius & calcari poſterius donatis, Semine exiguo rotundo, Folio glabro præditas retulit. *Excellentiſſ.* autem Rivinus, *Medicinæ Profeſſ. in Academ. Lipſiens. Celeberrimus*, ſub *Cymbalariæ* titulo eam jungit Plantis Flore irregulari, monopetalo, clauſo & labiato præditis, ac *Semina* ferentibus in pericarpio membranaceo bicapſulari. Atque hinc Planta hæc, ſi ſpectemus nunc *Synonyma*, eſt *Linaria hederaceo folio glabro ſeu Cymbalaria vulgaris*, Tournef. *Linaria folio glabro ſubrotundo, Hederæ folio Clematitis*, Moriſon. *Linaria Cymbalaria dicta*, Joh. Raii. *Cymbalaria*, Matth. Lugd. Cæſ. Rivin. Caſt. C. Bauh. *Cymbalaria vulgaris*, Lacun. *Cymbalaria Italica hederaceo folio*, ad Obſ. Icon. Lob. *Cymbalaria foliis hederaceis flore cæruleo*, Eyſt. *Cymbalaria floſculis purpuraſcentibus*, J. B. Chabr. *Cymbalaria Italica*, Gerard. *Italica hederacea*, Parkinſon. *Cymbalaria flore ex purpureo albicante & luteo variegato, Folio Hepaticæ repente*,

Nota characteriſtica ex Tournefortio. *Moriſono.* *Rivino.* *Synonyma.*

J. H.

J. H. Heucheri. *German.* Zymbal-Kraut / Kriechend Nabelkraut. Fabius Columna *Cotyledonem* 2. *Dioſcoridis* ſive *Telephium*, *Craſſulam* aut *Fabariam*, pro verâ *Cymbalariâ* adgnoſcit, quòd ejus Folia ſuâ figurâ oblongâ tantillumq; cavâ, veluti Cymbam navigatoriam ſive piſcatoriam referant magis quàm noſtræ Cymbalariæ hederacea folia; unde ab aliis Κυμβάλιον, *Cymbalium* quoque vocata fuit. Cur autem Lonicerus in ſuo *Herbario* hanc Plantam nuncupaverit *Umbilicum Veneris* & quidem *Officinarum*, profectò non aſſequimur, cùm in Officinis pharmaceuticis hactenus locum non habuerit.

II. E quibus patet, Herbam hanc ab hodiernis plerisque Botanicis, quos inter etiam Viri Celeb. *Paulus Hermannus* atque *Hermannus Boerhaave*, Botanici Lugduno-Bat. exiſtunt, ad *Linariæ* ſpeciem referri, *Clariß.* autem Joh. Henr. Heucherus, *Prof. Botan. Witteberg. exactiſſimus*, *in Horti Witteberg. Medici Novis Provent. p. m.* 57. aliam ſententiam fovet, dum ita inter alia ſcribit: *quoniam & modus creſcendi à Linariâ diverſus eſt*, in Cmybalariâ, *cùm* hæc *nunquam erigatur ſed procumbat penitus, & conceptaculum Seminis diverſum habeat, eſt enim quamvis bipartitum, tamen aliter conformatum, rotundum magis, quodque maturum non dehiſcit per modum Linariæ, idcirco à Clariſſimo* Rivino *jure optimo, evitandæ confuſionis gratiâ, à Linariâ diſtinguitur.* *Linariarum Claßi aſſeritur.*

III. Creſcit autem *Cymbalaria* in murorum rimis madefieri ſolitis ſive humidis è *Radicibus* copioſis, albicantibus, fibroſis, tenuibus, oblongis, lævibus, teneris atque ſucco turgidis. Ex his dein pendulas evibrat fibras, è viridi purpuraſcentes, te- *Creſcendi modus.* *Radices.*

Cauliculi. retes glabras, longas, nervo albicante, in quibuſdam locis pauliſper lignoſo, quem facilè ſtringendo linquit ſucculentus cortex, farctas, multiplici amplexu ſibi invicem inſtar Convolvuli intortas, diverſimodè varias emittendo fibrillas, è quibus *Folia* conſpiciuntur longis appenſa pediculis, hederacea, angulosa, unciam circiter longa, plus minusve lata, in tria quaſi ſegmenta diviſa, pinguia, tenera, ſucco aquoſo multo turgida, ſuperius lætè atro-virentia & ſplendentia, inferius tenui pellucidâ pelliculâ facilè ſeparabili ac purpuraſcente, nitenteq; Cyclaminis inſtar obducta, intus pallidè virentia, veſiculis aut cellulis pluribus, viridanti ſucco turgentibus, (armatis vel etiam ferè nudis oculis conſpicundis) prædita: ad exortum verò pediculorum, quibus folia hærent, tortiles exſurgunt alii pediculi, tenuiores, oblongi, teretes, quibus *Floſculi* inſident monopetali, anomali, perſonati, poſterius calcari exiguo purpureo donati, anterius purpuraſcentes, rictu pallido conſpicui, in duo labia diviſi, quorum ſuperius bifariam venulis intercurrentibus cæruleis diſtinctum, inferius autem introrſum in floris cavitate crocato villo conſpicuum trifariam ſecatur. Medium Floris occupant *Stamina* quaterna, oblonga, albicantia, tenera, apicibus pallidioribus polline digitos imbuentibus dotata. Flori verò ſubjicitur purpuraſcens *Calyx* in quinque exigua petala, quibus florem inferius amplectitur, pulchrè diſtinctus, è cujus medio aſſurgens albicans *Piſtillum* poſticæ Floris parti ad inſtar clavi infixum deſinit, floſculis evanidis, in *Fructum* ſeu *Teſtam* globoſam ex purpureo viridantem, verrucoſam, bicapſularem, in duo loculamen-

Marginal notes: *Folia.* — *Floſculi.* — *Stamina.* — *Calyx.* — *Piſtillum.* — *Fructus teſtaceus.*

ſamenta ſepto intermedio diſtinctam, in quibus *Semina* continentur parva, modò ſubrotunda, modò marginata anguloſa ac criſpa, hinc inde ad latera ſepti & membranæ exterius cingentis, tenuibus fibrillis adhærentia ac inde nutrita, quæ dein per maturitatem nigricantia evadunt, ac ultrò erumpere ſolent. Naſcitur in antiquis uliginoſisque ædificiorum muris, parietibus atque maceriis. Hic Baſileæ hinc inde copioſè reperitur, & præcipuè in ipſa Urbe, ubi muros foſſarum interiorum magna in quantitate coronat, ac per totam ferè Æſtatem & Autumnum usque in Hyemem floſculos profert. *Semina.* *Locus natalis*

IV. Circa ſingularum verò recenſitarum Herbæ noſtræ partium Colorem, Saporem & Odorem in ſpecie hæc tenenda ſunt: *Radix* nimirum ſucculenta alba eſt, & *ſaporem* habet blandum, guſtu primo ſubdulcem, relictâ tamen poſt ſe leni amaritudine herbaceâ. *Folia* ſupernè gaudent *colore* atro-virenti, inferius autem *Cyclaminis* inſtar purpuraſcente, & *ſapore* ſunt prædita obſcurè amaro cum adſtrictione aliquâ. *Caulis* ex viridi purpureus à Foliis ratione *ſaporis* nullo alio modo diſtinctus eſt, quàm quòd illum apertius adhuc amaricantem præbeat. *Flos* variegatis *coloribus* eſt ornatus, ut ex ejus deſcriptione ſuperius traditâ videre eſt, convenit autem quoad *ſaporem* cum Radice, niſi quòd adhuc blandius papillas guſtatorias afficiat. *Fructus* ex purpureo virideſcens ratione *ſaporis* Radici ſimiliter reſpondet. Denique *Semen* maturum nigricante præditum eſt colore, & ſapore gaudet amariuſculo adſtrictivo. *Odorem* omnes hæ partes eundem ſpirant, videlicet ſatis fortem herbaceum. *Color, Sapor & Odor partium*

V. At-

Cymbalariæ partes elementares. V. Atque hæ fuerunt *Cymbalariæ* partes viſibiles & organicæ, quas olim diſſimilares nuncupare conſueverunt; elementares nunc aut ſimilares, ſubinde inviſibiles quòd concernit, eæ partim per ſe, ac ſimplici præparatione, partim Reſolutione chymico-pharmaceuticâ cognoſcendæ præbentur. Exſiccatio certè recentis Herbæ, copia Aquæ ex eâ deſtillatæ, quantitas Succi expreſſi, ejusque inſpiſſatio apertè nobis demonſtrant, illam maximâ ex parte conſtare particulis *aqueis*, tantillum *mucilaginoſis* & *nitroſis*. Sapor dein parum amaricans, ac ejus vis qualiscunque traumatica particulas nonnullas alcalino-terreſtres; Sal verò, quod inde elicitur lixivioſum, ſalino-alcalinas; tandem ex eâ deſtillatâ prodiens Oleum empyreumaticum, non ſecus atque ejusdem ſiccatæ combuſtio præſentes quasdam ſulphureo-oleoſas Plantæ huic ineſſe; ſed aquoſas tamen reliquis omnibus maximè præponderare oſtendit. Hæc autem omnia è qualitatibus mox ordine narrandorum Præparatorum clarius eluceſcent.

Ejus Pulvis. VI. Itaque nunc perluſtrabimus ſigillatim ea omnia, quæ ex *Cymbalariâ* tam Galenicè quàm Chymicè pro poſſe & nôſſe elaborare ac præparare datâ operâ potuimus. Ubi ſeſe primùm offert *Pulvis*, ad quem conficiendum exſiccavimus Herbæ recentis uncias tres, indeque poſt exſiccationem nonniſi tres drachmas obtinuimus, quas dein pulveriſavimus, ſicque *Pulvis* evaſit colore quidem virente imbutus, ſapore autem ſalſo amaricante, non tamen ingrato, odoreque ut aliâs Herba recens habet proprio, ſed non adeo forti inſtructus: quæ omnia profectò ſufficienter & clarè præſentiam non tantùm copiæ parti-

particularum aquoſo-nitroſarum, ſed & quarundam ſulphureo-ſalino-terreſtrium indigitant.

VII. *Succum* ſi conſideramus *Cymbalariæ*, is adeo copioſus è ſucculentâ hâc Herbâ exprimi poteſt, ut ex illius optimè inciſæ & contuſæ libris duabus obtinuerimus libram integram *Succi* atro-viridiusculi, qui odore gaudebat herbaceo, atque ſapore amariuſculo leniter adſtrictivo præditus à nobis deprehendebatur. *Succus expreſſus.*

VIII. *Succum* deinceps eundem ex Herbâ recenti, expreſſum & *Albumine ovorum* clarificatum ſive depuratum, ad *Syrupum* inde conficiendum ſumpſimus, admiſtoque æquali pondere *Sacchari albi* ſuper lenem ignem Carbonum paulatim coximus, donec *Syrupi* conſiſtentiam ſolitam obtinebamus; ſic autem evaſit *Syrupus* coloris punicei, ſaporis planè dulcis aquoſi, ad traumaticos Syrupos accedentis, odoris herbacei fracti; qui cochleatim ad temperandam humorum acrimoniam hauriri poteſt. *Syrupus.*

IX. Cùm porrò crederemus, aliis etiam ſub formis non incommodè aut inutiliter aſſumi poſſe *Cymbalariam*, in *Conſervæ* formam ſimul ipſius Folia redegimus, utpote quam jam ante complures annos, notante *diligentiſſimo Britannorum Scriptore Botanico*, Johanne Rajo, Anglis ſuis Acetariorum loco, quibus aſſueti non eſſent, uſurpandam commendaverat Johannes Parkinſonus, *Londinenſis*, *Pharmacopœus Regius:* ℞. *Fol. Cymbalar. recent. opt. à ſtipitibus mundat. part. j. incidantur tenuiſſimè & conquaſſentur in mortario lapideo ad pultis formam, poſtea admiſce Sacch. alb. pulveriſ. part. ij. quibus optimè ſubactis evadit* Conſerva *pallidè virideſcens*, cæterum ab Herbâ *Conſerva.*

 recenti

recenti contuſâ quoad ſaporem non diverſa, niſi quòd ſit dulcificata.

Eſſentia. X. Paravimus etiam ex Cymbalariâ *Eſſentiam*, odoris haud injucundi, ſaporis ſalſi penetrantis, ſequenti modo: ℞. *Herb. Cymbalar. ſiccat.* ℥ij. *Inciſis minutim affunde Spirit. Vini rectif.* ℥viij, *ſimul admiſce ſalis Tartari* ʒij, *ſtent in loco calido per aliquot dies, dein expreſſa Eſſentia filtretur, cui filtratæ poſtea injiciatur Salis Cymbalar.* ℈j. *& ſic denuo in loco calido usque ad diſſolutionem Salis ſervetur, quæ ita circulata uſui reponatur.* Extemporanea autem conficitur *Eſſentia Cymbalariæ*, (priori ſi non prævalens, certè viribus non cedens) ex diſſolutione ipſius *Extracti v.g.* ʒj. *in Spir. Vin. rectificatiſſ.* ℥j. quæ ſolutio *Eſſentiæ* vicem egregiè præſtat, atque ad 30. pluresve guttas commodè propinari poteſt, efficaciter in Vulneribus & Ulceribus mundificandis, & ad conſolidationem promovendis operans.

Extractum. XI. Elegantiſſimum enim Cymbalaria præbet *Extractum*, coloris nigricantis, ſaporis amari non tamen ingrati; licet illud exiguâ quantitate obtineri poſſit, dum ex ℥ij. Succi depurati vix ʒj. *Extracti* impetratur. Modum autem ejus parandi obſervavimus ordinarium in hoc genere Remediorum, videlicet ſumpſimus Herbam recentem, quam incidimus, conquaſſavimus, expreſſioneque factâ in Succum redegimus; Succum dein hunc à craſſamentis terreſtribus per clarificationem, cum Albumine ovorum inſtitutam, probè mundavimus, ac deinceps ad Mellis conſiſtentiam in Cucurbitâ vitreâ, ſuperimpoſito alembico, in Balneo arenæ inſpiſſavimus, atque ſic habuimus *Extractum Cymbalariæ* ad Pilulas *Traumaticum.*

trauma-

traumaticas perquam utile. Succi illius depurationem alio quoque modo, quàm per Albumen ovorum aliâs inſtituere ſolemus; nimirum Succum expreſſum ollæ incruſtatæ infundimus, operculo arctè tegimus, juncturas probè lutamus, ne quid facilè exſpirare queat, dein ollam Clibano, poſt extractum Panem, adhuc calenti immittimus, per trihorium ibi relinquimus, hinc eximimus, refrigerari permittimus, ac demum remoto cautè operculo Succum probè depuratam decantamus, relicto in ollæ fundo craſſamento terreſtri atque impuro.

XII. Ex Cymbalariâ quoque *Pulverem* alium curiosè magis quàm utiliter præcipitationis ope Chymici parare docent, nomine *Magiſterii* venientem. Modum elaborandi hunc obſervare potes: Foliis *Cymbalariæ* recenter inciſis & optimè contuſis admiſce Cinerum clavellatorum vel Salis Tartari q. v. coque cum ſ. q. Aquæ ſimpl. per dimidiam horam, poſtea Mixturam filtra, & ſolutionem Aluminis infunde, ſic præcipitabitur in vaſis fundum *Pulvis*, Aquâ ſimplici calidâ edulcorandus, atque exſiccandus. Obtinebis ita ex Foliorum librâ medicâ duodecim unciarum vix duas drachmas Magiſterii pallido-virentis, ſaporis terrei, odoris nullius. *Magiſterium.*

XIII. Neque verò ſufficit nobis ſimpliciter quædam ex hac Plantâ elaboraſſe, quin placuit inſuper ad meliorem virium ejus indagationem, atque particularum elementalium meliorem adhuc detectionem ſpecialius eam examinare, Chymicamque analyſin inſtituere. Hunc itaque in finem recepimus Herb. recent. Cymbalariæ optimè inciſæ & contuſæ ℔viij, cucurbitæ vitreæ indidimus, ac ſine additione *Deſtillatio.*

Per Balneum Mar. ex Maris Balneo ſ. a. usque ad ſiccitatem deſtillavimus, donec videlicet nihil amplius planè efflueret, ſicque obtinuimus ferè ℔vj. Liquoris clariſſimi, limpidiſſimi, omnis odoris & ſaporis empyreumatici expertis, leniter tamen adſtringentis, cum juncto ſimul odore blandè penetrante.

Per Arenam. XIV. *Deſtillatione* autem ex *M. Balneo* exiſtente nimis laborioſâ, alteram, quæ per *Arenam* contingit, inſtituere voluimus, eâque experturi, num Cymbalaria contusa ac per multos dies fermentata ſpiritum exhiberet, nec ne? Verùm ſpe noſtrâ fruſtrati ſumus, dum Liquor ex deſtillatione fermentatæ Herbæ prodiens ab aquâ ex eâdem recenti deſtillatâ non multum differebat, ideoque Spiritûs appellationem minimè merebatur. Idem etiam experimentum ſpem nobis omnem eripuit acquirendi Sal aliquod volatile, etenim tales Spiritus communiter nihil aliud ſunt, quàm Sal volatile in Phlegmate diſſolutum; cùm igitur nullos Spiritus prolicere datum fuit, neque Sal volatile illos conficiens inde expectare licuit. *Per fermentationem nihil obtinetur.*

Tentamen Salis obtinendi volatilis. XV. Hoc tamen non obſtante tentare nihilominus voluimus, annon vel tantillum *Salis volatilis* ex Cymbalaria elicere poſſemus? Itaque Remanentiam illam ab Aquâ ex Maris Balneo deſtillatâ in Cucurbitæ fundo relictam aperto igne, ex Retortâ lutatâ deſtillavimus, usque ad omnis humiditatis expulſionem, ſicque obtinuimus, nullo planè nec ad latera nec in fundo apparente Sale volatili, Olei fœtidi ʒvj. & Liquoris empyreumatici ℥xij. ex flavo rubeſcentis, qui odore fœtido, nidoroſo & ſapore amaro nauſeabundo præditus erat. *Fruſtraneum.*

XVI. Nul-

XVI. Nullo proin ſic impetrato Sale volatili, *Sal fixum.* ad eliciendum è Cymbalariâ *Sal fixum* nos accinximus, viſuri, quanam in quantitate illud obtinere & colligere poſſemus: atque hunc in finem Remanentiam illam aduſtam, à Liquore & Oleo empyreumatico in Retortâ relictam, usque ad incinerationem calcinavimus, ſicque Cinerum ℥ij & ʒij. obtinuimus, è quibus poſt elixiviationem cum ſ. q. Aquæ fontanæ præſtitam, ſubſecutamque filtrationem & evaporationem, extraximus Salis fixi puriſſimi ℈vjß. Ad examinandam hinc illorum opinionem, qui putant ex Herba recenti plus hujus Salis elici poſſe, quàm ex Herba ſicca, inſtituimus utrumque experimentum; ad quorum prius recepimus Herbæ recentis *Ex Herbâ recenti.* ℔iv. quæ combuſtæ dederunt Cinerum ℥ij. atque ex his dein acquiſivimus ſalis fixi puriſſimi ℈ij. gran. v. Ad alterum exſiccavimus ℔iv. Herbæ recentis, quæ *Et ſiccatâ.* ſiccatæ non niſi ſex uncias denuo ponderârunt, ac dein combuſtæ Cinerum unciam unam cum dimidia exhibuerunt, è quibus poſtea Salis fixi puriſſimi ℈ij. extraximus. Unde manifeſtum redditur, parvi eſſe momenti hanc differentiam, minusque proin æſtimandam; cùm leviuſculum ac inſenſibile quoddam accidens in præparatione *Salis fixi* ex *Herbâ ſiccâ*, facilè deperdere potuerit illa quinque grana, quibus pondere ſuo prævaluit *Sal* ex *Herbâ recenti* paratum. Licèt, ſi calculum inſtituamus, in priore experimento Cinerum uncia dimidia exhibuerit Salis grana undecim cum quarta inſuper parte uniusgrani: in poſteriore autem experimento uncia dimidia Cinerum dederit Salis grana tredecim cum triente: ut hinc concludendum ſit, in priore experimento

per violentam forſan magis ignis torturam ſalis illius quædam grana deperdita eſſe. Quicquid verò horum ſit, *Sal* iſtud *lixivioſum* ritè præparatum, eleganti colore albo præditum evadit, atque ſapore gaudet blandè ſalſo; cujus particulæ per microſcopium viſæ & conſideratæ apparent poroſæ obtuſangulæ; ut proin ex hoc phænomeno rationem haud vanam deducere liceat, ob quam Sal iſtud uſum habeat maximè laudabilem, atque inſigni efficaciâ & virtute polleat incidendi, attenuandi, abſorbendi, invertendi, præcipitandi &c.

Salis iſtius figura. *Efficacia.*

XVII. His peractis etiam analyſin Plantæ hujus putrefactæ ſuſcipere voluimus, ſed quacunque adhibitâ arte & encheireſi putrefactionem obtinere debitam neſcivimus, qualis quidem deinceps ex voto noſtro ſub deſtillationis proceſſu Spiritum, Sal volatile aut Quintam Eſſentiam exhibuiſſet. Abiit enim hoc modo Planta non niſi in aquoſas maximè & terreſtres particulas, ſulphureo-ſpirituoſo-ſalinis nullis, vel pauciſſimis, quæ nares adſtantium ferirent, apparentibus: unde etiam deſtillationem ex totaliter putrefactâ Herbâ ſupervacaneam cenſuimus.

Analyſis Herbæ per putrefactionem. *Evanida.*

XVIII. Præmiſsâ ſic *Cymbalariæ* qualicunq; reſolutione, expoſitisque variis illius præparationibus, proximum nunc eſt, ut virtutes quoque ipſius ſpecialiores enarremus; hoc verò vel eapropter arduum ac difficile eſt, quòd in Uſum hæc Planta Medicum, hucusque rarius fuerit tracta, utcunque Lonicerus eam *Umbilicum Veneris officinarum*, quaſi in Officinis pharmaceuticis expetitam aut uſitatam nuncupaverit. Liceat tamen cogitata qualiacunque noſtra circa Plantæ hujus utilitatem non penitus

Cymbalariæ virtutes.

penitus contemnendam in apricum proferre. Primò itaque ex ſuperioribus jam patet, *Cymbalariam recentem* conſtare particulis copioſis aqueis, tantillum mucilaginoſis, quibus pleræque aliâs Herbæ emollientes gaudent; unde parùm à vero nos abluſuros credimus, ſi Vires ipſi, facultatemque tribuamus attenuandi & emolliendi, quæ videlicet moleculis ſive corpuſculis ſuis aquoſis fibras nimis ſtrictas laxare, & quicquid in corpore noſtro præternaturaliter induruit, mollius atque flexilius reddere valeat. *Attenuandi. emolliendi.* Sapor autem Herbæ ſiccatæ leniter amaricans ac blandè adſtrictivus, cùm indigitet, terreſtres particulas non ſine conſortio quarundam ſalino alcalinarum & ſulphurearum ei ineſſe, judicare vel ſuſpicari ſaltem facit, ipſam *Virtute* aliquâ pollere *traumaticâ*, quâ quidem corpuſcula heterogenea invertendo, abſorbendo, extergendo, tandemque leniter adſtringendo, Vulnera, Ulceraque mundificare & conſolidare apta ſit. *Detergendi. Conſolidandi.* Inſuper tamen etiam ratione ſalis alcalini, ſi velis, blandè volatilis, utut perpauci, inter Herbas *aperientes*, ac *incidentes* noſtram *Cymbalariam* referimus, quæ videlicet obſtructiones nondum ſcirrhoſas reſolvat, atque ſic in incipiente *Atrophiâ*, aliisque *Affectibus Meſenterii*, *Splenis*, *Hepatis* ac *Pulmonis* nondum deſperatis vel conſummatis utilis eſſe queat. *Aperiendi, incidendi. Deobſtruendi.* Inprimis autem Herbam *ſiccam* præ *recenti* tales effectus præſtare exiſtimamus, quoniam *ſiccata* particulis ſuis aqueis, ſalſarum ac incidentium molecularum vim infrigentibus, deſtituitur: à *recenti* autem maximeque ſucculentâ tali Herbâ ejusmodi aperientes ac deobſtruentes virtutes, tam promtè, tamque certò & feliciter expectari minimè poſſunt. *Herba ſicca efficacia.*

XIX.

Ejus Vſus. XIX. Ad iſtos autem effectus variis in Morbis expediendos, diverſas quoque *Cymbalaria* ſubit Medicaminum formas aut ſpecies. Ante omnia igi-

In Balneis. tur *externè* quidem cum fructu *Balneis Aquæ dulcis* *Ad Nephritidem.* *Partum difficilem.* *Hæmorrhoides.* imiſſam audivimus in *Nephritide, Calculo, Sabulo Mucove Renum* aut *Veſicæ* extergendo, *Partu* facilitando, *Hæmorrhoidibus cœcis*, atque dolorem ardentem excitantibus, demulcendis, v. gr.

℞. *Herb. recent. Cymbalar.* mx.
Malv.
Parietar.
Flor. Chamom. aa. mij.
Inciſa includantur ſacco, qui Aquæ fluviatili incoquitur pro Balneo, cui per unam alteramve horam Æger inſidebit quotidie.

In Clyſmatibus. Pari modo *Clysmata* ingredi poteſt emollientia, extergentia, paregorica, ſequenti vel ſimili modo: v. gr.

℞. *Herb. rec. aut ſicc. Cymbalar.* mij.
Malv.
Parietar.
Flor. Melilot.
Verbaſc. aa. mj.
Sem. Cumin.
Lini aa. ℥ß.
Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aqu. fontan. In colatur. ℔j. *diſſolve*
Mell. mercurial. ℥j.
Ol. Lilior. alb. ℥ij.
Salis commun. ʒj.
M. F. Clyſma tepidè injiciendum.

Ad

Ad *Hæmorrhoides cœcas* ardentes ac dolentes Herba recens, cum vel ſine *Foliis* recentibus Quercûs contuſa & applicata ſæpius anodynam vim egregiè exercet. Idem præſtat, ſi *Succus* ex eadem *expreſſus* cum *Aqu. Roſar. albar.* & *Tutiâ* vel *Antimonio diaph.* permiſtus tepidè ſæpius cum linteis applicetur, inprimis ubi *Albumen ovorum* adhuc ſociatum fuerit. Porrò *Herba recens* parum ſiccata, dein contuſa, ac Fronti vel Capitis vertici ſæpius appoſita *Cephalalgiam*, à causa calida vel humore acri oriundam, compeſcere vel diſſipare valet. Si quis etiam *Herbæ* hujus *folia* recentia contuſa, atque in *Cataplaſmatis* formam redacta cum *Rubricæ fabrilis*, aut *Boli communis* & *Malicorii Pulvere*, addito ſimiliter *ovorum Albumine* miſceat, hinc *Stupæ* craſſius imponat, partibusque ſanguinem nimium fundentibus, verb. gr. *Hæmorrhoidibus* copiosè admodum *fluentibus* imponat, *Hæmorrhagiam* feliciter ſedari notabit. *Hæmorrhagiam* *In Epithematibus.* *Ad Cephalalgiam.* *In Cataplasmate.* *Ad Hæmorrhagias.*

XX. Neque tamen *externè* tantùm ſalutarem effectum præſtare valet hæc Planta, ſed *intus* quoque in variis Morbis debellandis utilitatem non contemnendam habere experientia docet, utpote quæ virtute ſuâ diluente atque extergente blandè ſalia Maſſæ ſanguineæ copioſiora, acida & auſtera, multum infringere, atque per varias ſecretionum vias abducere valet. Hinc *recens* quidem in *Juſculis* cum *Chærefolio*, *Endiviâ*, *Lactucâ*, *Taraxaco*, *Acetosâ*, ad *æſtus febriles* reſtinguendos, ſanguinisque particularum motum placidiorem ac naturalem revocandum, *Renes* atque *Veſicam* extergendam, ac à Muco vel Sabulo liberandam, *Ulcerum*, *Vulnerumque* acidum deſtruendum, *Viſcerum obſtructiones* quales- *Uſus internus Cymbalariæ.* *In Juſculis.* *Ad Febriles æſtus.* *Vitia Renum ac Veſicæ.* *Ulcera, Vuln.* *Obſtructiones.*

 cunque

cunque expediendas, ſimilesque alios effectus morboſos feliciter debellandos non ſine fructu uſurpabitur. *Siccata* autem vel in *Decocto* cum aliis plantis traumaticis adhibita aperiendi, abſorbendi, detergendi atque conſolidationem promovendi virtute haud caret: vel inſtar *Foliorum Theé* ſola, aut aliis quoque ſociata, in prædictis Ægritudinibus ſalutarem Potum exhibet; præcipuè etiam cum *Anſerinâ* uſurpata *Fluorem Mulierum album* paulatim minuit, tandemque planè compeſcit, ſi diu ſatis in uſum vocata, atque ſimul *Extractum* ejus in Pilulis ſequenti modo ſumtum fuerit:

In Decocto. *Infuſis.* *Ad Fluorem album.* *Extractum.*

℞. *Extract. Cymbalar.* ℥iiß.
Diaphor. Jial. ℥j.
Succin. flav. vel alb. ppt. ℥ß.
Eſſent. Zedoar. q. s.

Miſc. Fiant Pilulæ ex ℥j. *numero* 40. *quæ conſperſæ Pulvere Cinam. dentur ad ſcat.*
Doſis mane ac veſp. duodecim vel quindecim.

In Acetariis.

Quin recentem Herbam *Cymbalariæ* felici cum ſucceſſu ad eundem *Fluorem album* in Acetariis ſub initium cœnæ quotidie comeſtam maximè prodeſſe *Celebris* P. Andr. Matthiolus teſtatur, *Commentar. in Libr.* iv. *Diſcorid. p. m.* 788. Denique ſiccata atque in *Pulverem* ſubtiliſſimum redacta hæc Planta, *Atrophiâ* laborantibus Pueris & Infantibus felici cum ſucceſſu ad octo, decem plurave grana quotidie bis vel ter in *Lacte*, vel *Infuſo Theé*, aut alio vehiculo data fuit, & quidem nunc ſola, ubi alvus quotidie eſſet ſatis libera, nunc etiam cum aliis permiſta; ſic enim *Pulveres* aliquando compoſiti *antatrophi* parantur valdè efficaces, ſequentem aut ſimilem in modum:

In Pulvere, ad Atrophiam.

℞. *Rad.*

℞. *Rad. Carlin.*
Ebor. phil. ppt. aa. ʒiij.
Diaph. ♃vial. ʒiß.
Fol. Cymbalar. ʒiiß.
Sem. Anis. ʒj.
Cinam. elect. ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥j.
Miſc. fiat Pulv. ſubt. detur ad ſcat. Doſis ℈j. *ad* ʒß. *vel* ℈ij.

Vel ℞. *Folior. Cymbalar.* ʒiij.
Trichoman.
Piloſell. aa. ʒj.
Rad. Ireos flor. ʒiß.
C. C. phil. ppt.
Bol. Baſil. ppt. aa. ℥ß.
⊖is volat. Fuligin. puriß. ʒß.
Sem. Fœnic. ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
Miſc. fiat Pulv. ſubt. detur ad ſcat.
Doſis ut ſuprà.

Vel ℞. *Folior. Cymbalar.* ℥ß.
Rut. murar. ʒij.
Sem. Violar. ʒiiß.
Fœnic. ʒiß.
Specif. ſtom. Poter. ʒij.
Spod. ex Ebor. ppt. ℥ß.
Rad. Zedoar. ℈ij.
Sacch. cand. alb. ℥ij.
Miſc. fiat Pulv. ſubt. detur ad ſcat.
Doſis ut ſuprà.

Ejus-

Ejuſmodi *Pulveribus* autem ſubinde blanda *purgantia* intercalari debent, ut eorum vi pituitoſi & crudi humores viſcidi, *Atrophiam* foventes, è corpore eliminentur; huncque in finem nunc *Infuſum Fol. Theé* ac *Senæ* cum *Semine Aniſi*, nunc *Trochiſci hermetici Scretæ* aut *Zvingeri*, nunc *Pulvis folior. Senæ* cum prædictis *Pulveribus antihecticis* ſive *antatrophis* miſtus exhiberi poteſt. Atque hæc Speciminis loco ſufficiant, ſequuturâ forſan ulteriore experientiâ augmentum non contemnendum impetratura, ſi modò id SUMMO placebit Animæ Corporisque ARCHIATRO, cui ſit Laus & Gloria in omnem æternitatem.

COROL-

Ca'
Biog'
Path. sp. Idn.
Mental Dis.
" Ther.
Med.
Toxicology
Mat. Med.

ll. i5 ... per involucrum

1081